



XVIII.. 25

97

IN ARDVIS NIDVM

AQVILA PONET

SCOTVS DOCTOR SVBTILIS.

F. M. MEVRISSE ROYENSIS, ORDINIS MINORVM, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI PARISIENSIS

Rerum Metaphysicarum Libri tres.

Ad mentem Doctoris Subtilis.

AD IPSVM VNVS DE SERAPHIN VOLAVIT

AD NVLLIVS PAVEBIT OCCVRSVM

LEO FORTISS.

FIRMIVS FIGIT PEDEM

BOS LASSVS

OCHAM PRINCEPS NOMINALIVM

S. BONAVENTVRA DOCTOR SERAPHICVS.


ALEXANDER ALENSIS DOCTOR IRREFRAGABILIS.

Ad Illustrissimum Principem D.D. HENRICVM BORBONIVM Metensem Episcopum.

SINE FICTIONE DIDICI

PARISIIS, Apud DIONYSIVM MOREAV, via Iacobæa ad insigne Salamandræ. M.DC.XXIII

cum Privilegio Regis — *Gaspar Isaac incidit*





ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. D. HENRICO DE BOVRBON METENSI EPISCOPO.



RÆCLARA Sanguinis tui Nobilitas, Princeps Illustrißime, incredibiles Animi dotes, ingens heroïcarum virtutum splendor, adultißima iam in adolescenti adhuc ætate doctrina, huncce primum ingenij mei partum Augustißimo Nomini tuo dicare ambientem terruissent, nisi tua singularis erga me beneuolentia cum summa humanitate coniuncta cunctantem, & adire timentem, quasi manu pertraxisset. Et præstantißima quidem illa studiorum incrementa nos omnes in admi-



rationem quotidie rapiunt, ſpemque certiſſimam ſuggerunt rerum maximarum, quas propediem in te ac per te editurus eſt diuinæ munificentiæ præpotens Spiritus, quem ego ſupplex oro ac veneror, vt quo pede tam feliciter cœpiſti, porrò pergentem dirigat ac tueatur. Tamdiu enim Reſpublica & Eccleſia Gallica, ſoſpite Rege Chriſtianiſſ. benè de ſua fortuna, de ſuis rebus ſperabit, quamdiu ſic te viderit bonis moribus & literis incumbentem. Et quot in te nunc oculos conijciunt Regni Proceres, qui ſolo tuo exemplo literis inſudant, te maximo Principe ſibi propoſito, qui nulli parcis labori; qui puluerem literarium non aſpernaris, in quo toties viciſti, quoties ſpectante vrbe, & mirante orbe dimicaſti! Audeo dicere per te vnum, Academiam literariam refloreſcere, ſopitas Muſas reſurgere, ac emortua penè ſtudia reuiuiſcere. Auget admirationem quòd nullâ aliâ ſpe id præſtes, præterquàm eâ quæ altiùs in Cœlis ſuas mittit radices. Nam in terris quid ſperas, niſi quod nos ex te & per te magna ſperemus? Nihil accidet vnquam, quod vel tui Sanguinis & Nominis authoritate, vel maximi Ingenij tui dexteritate, vel ſummâ tuâ doctrinâ & eruditione, vel eximiâ tuâ Religione & pietate non diſſoluas aut ſuperes. Non poſſum autem non felicem dicere illam iam tot meri-

tis celeberrimam Patrum Societatem, ex qua quantùm tibi literarum accessit ornamenti, tantum ei ex te contigit honoris & splendoris. Viue itaque felix (Princeps illustriss.) viue diu Christo, Ecclesiæ, Regno, Tibi, & nobis.

Hæc sunt vota tui serui deuinctissimi & humillimi Fratris
M. MEVRISSE.



IN REVERENDISS.

P. MARTINI MEVRISSII

DOCTORIS THEOLOGI,

LONGE DOCTISSIMI FRANCISCANI

SAPIENTIAM.

Carmen DIONYSII GVERIN, Doctoris Medici Parisiensis.



SI qua premit caligo animos, si tristis & vmbra
Noctis lucem oculis claram mortalibus aufert:
Si nihil in terris liquidum est: si cuncta tenebris
Circumfusa ruunt: Chaos est, quem cernitis orbis.
Cæcutit atque hæret mens sicut noctua Solis
Ad radios; quàm raræ Aquilæ, quæ lumine fixo
Solem adeant ipsum propiùs, quæ nube repulsa
In summâ regione poli splendore fruantur
Cælesti, vbertim recreatæ nectare Diuûm.
Quis, rogo, miratur? quis adhuc nouitate querelæ
Ducitur assiduæ? fuit hæc discordia raris
Ingenijs concepta sophûm, dispersa per vrbes,
Quas quondam lectis florens Academia Musis
Extulit: & lippi, quibus hæc natura negauit
Munera Doctores cumularunt lite Lyceum

Succres-

Succrescente nouum, turpi farragine cuncta
Verborúmque luto infecere volumina passim:
Inque scholis turbas qui pace coërceat omnes
Occurrit nemo: quíque expirauerat vsum
In medium reuocet pressè doctéque loquendi
Scrutandíque Artem: quis solers igne Prometheus
Argillam hanc animet, tentétque infundere sensus
Æthereos; hodie nullus. Sic semina rerum
Obscuris immersa locis, formásque sepultas,
Materiæ expertes, & quas sapientia prima
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Vnica pernouit causas, texítque profundo
Gurgite: Quid? stipata suis elementa ministris,
Nemo equidem variâ confusus imagine Mentis
Hactenus Ens, Vnumque Bonumque aliásque remotæ
Sensibus à nostris vigili cognoscere curâ
Diuitias Mentis potuit. Primordia rerum
Sic variant, mutántque suos, fingúntque subinde
Vultus, vt certè germanum Protea iures.
Quærit Aristoteles causas, Diuúsque Magister
Formas infusâ rimatur luce perennes;
Ideas ponit, quas frustrà vulgus ineptum
Carpit dente, quia haud capit, omni corpore nudas:
Atque alij quærunt aliud, faciúntque molestam
Ingenijs vim conantes peruadere cælum:
Icarios & amant cæcâ vertigine casus.
Non tulit hoc faustâ MEVRISSIVS *alite natus,*
Qui decus & Sophiæ par fama, & cura Mineruæ,
Qui Franciscanæ iubar immortale Coronæ
Audit, & est oculos ausus conuertere contra,

Atque Aquilæ, rarum, vegetos imitatus ocellos,
Ad superas sedes, terræ contage relictâ.
Primus enim in classes direxit & ordine docto
Ornauit Sophiam primam; quod praua docendi
Obscurum ratio & salebrosum inuexerat olim,
Detersit, radio Mentis vestiuit, & auxit.
Vos autem ô Iuuenes, quibus est mens conscia recti,
Quos Sophiam incessit sectandi magna cupido,
Huc alacres properate, viam hanc insistite nullis
Difficilem saxis aut spinis: plurima nacti
Commoda, mox totum hoc quod cernitis vndiq; Mundi
Immensum emensi: claustris quæ longiùs arcent
Plebeios animos, perruptis, aëre puro,
Et pace assiduâ, quam prodiga dextra Tonantis
Indulget, lætum rectâ scandetis Olympum.



R. P.

M. MEVRISSE

S. THEOLOGIÆ DOCTORI ET PROFESSORI;

TEMPLVM SAPIENTIÆ.



EST in prærupto cliuosi vertice montis
Templum augustum, ingens: hærent fastigia cælo,
Et supposta sibi despectat nubila limen.
Marmoribus Parijs, rutilâ nec Iaspide moles
Assurgit, gemmis aut ambitiosa refulget:
Materiam crystallus habet, quæ peruia claris
Obsequitur radijs, stantes imitatur & undas.
Picturam lux sola facit, namque Iride mirâ
Mille parit varios nullâ cum nube colores.
Hic domus, hic sacræ castum penetrale Sophiæ
Panditur, illa sedens medijs oracula fundit
Ex adytis, verum spirant ceu condita Numen,
Immensique Deum testatur pagina mundi:
Purus inexhausto fruitur quis spiritus æuo,
Et quæ flammiferos librans vis enthea motus
Legibus immotis dat sidera prona cieri.
Hanc fortunati superauit culminis ædem
Arcano relegens SCOTI *vestigia calle*

MEVRISSVS, plenum Sophiâ dictante volumen
Cedrinis scripsit tadulis; sic auspice cælo
Est reuoluta nouo SCOTI *Doctrina labore*
MEVRISSI sacrum in pectus, quem mentis acumen
Et pietas SCOTVM *fecit, non Scotica vestis.*

ISAACIVS HABERT S. THEOLOGIÆ BACCALAVR. SORBONICVS.

DOgmata si radient libris vt sidera Scoti
Meurissi hunc Solem noueris esse librum.

Frater Ioannes Gandillaud, Baccalaureus Parisiensis, & Vicarius Iuuenum.

EPIGRAMMA.

ARtibus affulget rutilans Metaphysica duplex
Meurissi, vt terræ lumina magna duo:
Præsidet hæc luci quæ cuncta recondita pandit
Ast ænigma fauens altera nocte micat.
Sideris vtrius radianti lumine gaudens,
Perpetuò claros experiere dies.

Frater Antonius de Boues, Baccalaureus Parisiensis, & Confessor Iuuenum.

DECIPIT aut fallor mentes lectura libelli
Perlego MEVRISSVM, *Scotus at ipse sonat.*
Ergo refert Scotum, aut simulata voce loquentem,
MEVRISSI aut corpus Scotica vita mouet.

Fr. ANDREAS MATHEI, Regens Grammaticorum suo Præceptori deuouit.



ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ ΠΑΙΔΕΥΤΟΤΑΤΟΥ

ΠΑΤΡΟΣ ΜΕΥΡΙΣΙΟΥ ΜΕΤΑΦΥΣΙΚΗΝ

δίστιχον.

ΤΗΝ σοφίην ἕλε θάμβος, ὅταν σεῦ δελτὸν ἀνέγνω
Καὶ λέγ' Ἀριστοτέλης μὴ νέος ἐστὶ βρότοις:

ἄλλο τετράστιχον.

Οὓς μετὰ τῶν φυσικῶν φρονίμως κατεγράψατο βίβλους:
Θεῖος Ἀριστοτέλης ὥσπερ ἐχῖνος ἐών.
Ορφνη καὶ σκότος ἦεν ἀλάμπετον. αὐτὰρ ἔταραξεν
Λαμπρότερ' ἠελίου Μευρισίοιο φάος.

ἄλλο.

Εἰ ποθέεις βιότοιο τρίβον θεότευκτον ὁδεύειν
Καὶ σοφίης μετιμεῖν ἀγλαόδωρον ὄρος.
Φυλὴν ὑψικέλευθον ἐλαφρίζων ἀπὸ γαίης
Λάμβανε μουσοφιλῆ Μευρισίοιο βίβλον.
Οὗτος γὰρ χρυσοῦν σοφίης θησαυρὸν ἀνοίγει
Εὔστροφον οὐρανίου κλεῖδα νόοιο φέρων.

ἄλλο.

Γράμματ' Ἀριστοτέλους νεφέλῃ κεκαλυμμένα πυκνῇ
Ὥσπερ βλαψινόον σφίγγος ὑπῆρχεν ἔπος.
Ἀλλά γε Μευρίσιος ψυχῆς σπινθῆρας ἰάλλων
Ἥλιος ὡς ἐφάνη καὶ σκότος ἔσχε φάος.
Οἰδίπους νέος ἐστὶ κελαινὴν σφίγγα φονεύσας
Ἄξιος ὢν σοφίης στέμματα φαιδρὰ λαβεῖν.

DARTOIS Doctor Medicus Royensis.



Vod Bonauentura, Ochamus, quod Scotus, Alensis
Audent, Meurissus dexteritate potest.
Audet quod nequeunt claro dum dogmate pandit
Obscuro hi tantum quod potuere stylo:
Flammiferum in cœlis non æquat luce Diana
Phœbum, nec tantis ignibus astra nitent
Doctorum ingenio Meurissus sidera complet
Luce sed ingenij splendidiore micat.

Fr. GVILIELMVS GALLESIVS studens Theologus obseruantissimus, charissimus, & discipulorum minimus hæc humillimè gratitudinis ergô posuit.



REVERENDO

ADMODVM PATRI

MARTINO MEVRISSIO

ELVCIDATÆ METAPHYSICÆ GRATVLATIO.



I quis erit placidâ qui me bibat aure canentem,
Meurissi, iussus hoc sciat esse tui.
Scis me Castalios latices, steriles que Camœnas
Pro mage diuinâ deseruisse domo.

Iam plectrum, iam siqua fuit musęa supellex,
Et quondam versu ludere docta Chelys,
Omnia defuncti bello suspendimus arma,
Dedicitq; suas tangere dextra fides.
At, si iterùm irasci iubeas in carmina musam,
Non iniucundum suscipit imperium.
Namq; tuo, quicquid vatum est, assurgere honori
Debet, & ad laudes iungere plectra tuas.
Franciscana suos solet alma familia natos
Sic colere, vt patrios Gnosia terra Ioues:
Vnde & iam gratâ repetens tua munera mente,
Plùs, quàm hominem terris credidit esse datum.
Quæ tibi non æterna sophi monumenta sacrabunt?
Inter honoratos gloria prima patres?
Nam prius obscurâ quàm nox obduxerat vmbrâ
Iam sophiæ informi pristina forma redit.
Quódq; suis per te sit nunc educta latebris,
Nec patuisse velit, nec latuisse dolet
Auxilijs redimenda tuis sapientia, plectit
Libera iam capiti laurea serta tuo.
Per te etenim reliquis, Meurisse, tacentibus, vna
Obtinet in Scholis Scotica *Secta loqui.*
Hinc mutasse suas, Scoti mens ardua, *sedes*
Creditur, & membris tota vigere tuis.
Siquid ais, tot sunt diuini oracula Scoti,
Quę Lacedęmonio promptius ore rotas.
Quæ scribis, tot sunt Scoti *miracula, quamuis*
Hæc propria ingenij sint monumenta tui.
Perge igitur, quæcumq; latent effundere; plus est
Namq; dare illa tuis, quàm retinere tibi.

F. F. BONAL studens Theologus.

APPROBATIO DOCTORVM.

NOS infrà-scripti Doctores Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, fidem facimus nos legisse hoc Opus de Rebus Metaphysicis, per Fr. M. MEVRISSE, Ordinis Minorum, Doctorem & Professorem Theologum eiusdem Facultatis; in quo quidem nihil reperimus contra fidem, & bonos mores, imò iudicauimus illud plenum maxima eruditione, & studio; ac proinde dignum quòd typis mandetur in vtilitatem publicam; maximè eorum qui doctrinam Doctoris Subtilis profitentur. Datum Parisiis vigesimâ Februarij Anni Domini 1623.

F. MAVRICIVS BRACHET apud Prædicatores Theologiæ Professor.

HIERONYMVS BACHELIER Doctor Sorbonicus.

F. E. PETIOT apud Minores Theologiæ Professor.

LICENTIA SVPERIORIS.

EGO infrà scriptus visâ Doctorum Approbatione, Licentiam feci Fratri MARTINO MEVRISSE, Doctori Theologo Parisiensi, & Professori hoc in maiori nostro Conuentu Sancti Francisci, mittendi in lucem hoc Opus de rebus Metaphysicis, quod summo studio & labore composuit ad mentem nostri Doctoris Subtilis, in vtilitatem publicam Ordinis. Datum in eodem Conuentu Fratrum Minorum Parisiensium, vigesimâ quintâ Februarij, Ann. Dom. 1623.

Frater CLAVDIVS MAHVET, Gardianus Conuentus Parisiens.



IN REVERENDVM
PATREM AC FRATREM
Martinvm Mevrissvm
Doctorem ac Professorem Theologum,
Metaphysicam suam edentem.

SCAZONTES.



VIS iste partus? quid nouum insolens orbi
Natura pandit? quid suum stupet fœtum
Suprà Platonem & erudita stagiræ
inuenta? Quicquid hactenus dedit sæclo
Romana tellus, quicquid Hellados mystæ;
Victurus vno vicit author in scripto.
Quis author hic? Mevrissvs, *arbiter recti,*
Cos veritatis, lima iudicî, certum
Opinionum dissidentium cribrum,
Lanx cuncta secum examine æstimans puro.
Spinosa Cleanthes, horrida eructet Zenon,
Chrysippus aspera, abdita eruat terris

Theophrastus, Ocham soluat ingenî nodos,
Scotus perennis gloriæ incitus pennâ
Hoc vastum inane, cælum & astra perrumpat,
Solus MEVRISSVS *omnium est prior primo.*

Fr. MICHAEL CHRISTIANVS
minor Fallesiensis, Baccalaureus Theologus primi Ordinis.
1623.



IN OPVS

SVBTILISSIMVM

METAPHYSICES HONORANDI MAGISTRI PATRIS AC FRATRIS Martini Meuriſſe, in ſacra Theologia apud Fratres Minores Doctoris & Profeſſoris longè meritiſſimi.

EPIGRAMMA.

Præceptoris amantiſſimi ad iuuentutem de re literaria bene meritam.



CCIPE celſarum nodoſa volumina rerum
Paruo ſed facili codice ſcripta meo.
Quid mirum? Auguſto dederas paradigmate quondam
Expanſa ingenij docta labore tui.
Accipe Supremo Gallorum ſanguine nati
Stemmatibus quæ nunc regia vota ferunt.
Quid mirum? Auguſti nomen ſanctique Senatus
Principis excelſum parua tabella tulit.
Accipe quæ primo fœcundans viſcera partu
Parua ſed immenſus pignora præbet amor.

Quid mirum? hæc possunt teneri incunabula partus
Extremo celebres quæ potuere viri.
Ardua persequere æterno dum viuis in orbe:
Nam maiora dabit qui tibi magna dedit.

Hæc Fr. GVILLIELMVS GALLESIVS, cum cæteris Discipulis.

INDEX QVÆSTIONVM PROOEMIALIVM IN METAPHYSICAM.



RERVM METAPHYSICARVM LIBER PRIMVS.

De Ente & eius diuisionibus & modis.

QVÆSTIO PRIMA.



RERVM METAPHYSICARVM LIBER SECVNDVS,

Qui est de principijs, & proprietatibus Entis.

PRÆFATIVNCVLA. 247. a.

PRIMA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE VNO.

 12

SECVNDA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE VERO.

TERTIA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE BONO.

QVARTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE EODEM ET DISTINCTO.

PRÆFATIVNCVLA.

QVINTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE NECESSARIO VEL CONTINGENTI; seu de necessitate vel contingentia.

PRÆFATIVNCVLA. 428.a.

SEXTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE ACTV ET POTENTIA.

PRÆFATIVNCVLA. 444. a.

RERVM METAPHYSICARVM LIBER TERTIVS,

Qui est de præcipuis partibus Entis.

PRÆFATIVNCVLA. 485. a.

FINIS.



F. MARTINI MEVRISSE ROYENSIS, ORDINIS MINORVM, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI Parisiensis rerum Methaphysicarum Præludia.

PRÆFATIO.



APIENTIAM amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius, inquit Sapiens, Sap. 8. Considerata enim fragili & imbecilli mortalitatis humanæ conditione, & circumspectis vndique sæculi vanitatibus, in quibus nihil nisi dolor & afflictio spiritus; proposuit hominum ille sapientissimus in animo suo, *adducere sibi sapientiam ad conuiuendum, & circuire quærens vt sibi illam assumeret, quoniam immortalitas est in cognatione Sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius*. Cùm verò *omnes homines naturâ scire desiderent*, & rerum cognitio atque Sapientia videatur communis hominum & Angelorum cibus; si non eædem vires omnibus, vt Salomoni, suppetant,

Sap 8.

Ibidem.

Arist. 1. Metaph.

ſi non iſdem fauor, non eadem de cœlo demiſſa gratia; idem tamen omnibus ineſt ſtudium conquirendi Sapientiam, & habendi conſortium eius. Ipſe ego qui ab ipſis ferè cunabulis vale dixi mundo, vt me in vitam tranquilliorem reciperem, expertus ſum me ſemper ingenti deſiderio, & incredibili amore Sapientiæ teneri. Eapropter ſemper


Sap.7. & 8. *optaui vt daretur mihi ſenſus, inuocaui vt veniret in me ſpiritus Sapientiæ. Sciebam enim quòd non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium, & quòd propter hanc habet quis claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores. Infinitus præterea theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei*: Quáquam enim Metaphyſica ſit ſolùm naturalis quędam Sapientia, & non ea fortaſſis de qua Sapiens loquitur; nihilominus prædicta ideò illi accommodantur, quia Sapientia naturalis viam ſternit ad ſupernaturalem, Philoſophia ad Religionem;

Rom.1. *Inuiſibilia enim ipſius Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. & naturam hominis hanc Deus eſſe voluit*, inquit Lactantius de falſa Sapient. lib. 3. cap. 11. *vt duarum rerum cupidus & appetens eſſet, Religionis & Sapientiæ, quoniam in his duobus inſeparabiliter connexis, & officium hominis & veritas omnis incluſa eſt.* Dum igitur cætera corporis mole & magnitudine grauantur animalia; nos mente ſolùm & intellectu gloriamur, quo illis excellimus, quo cuncta luſtramus, cuius ope ita excellenter informamur & transformamur, vt noſmet ipſi Deo ſimiles efficiamus. Intellectum autem hocce veluti diuino ornatu perficit Sapientia, quâ

Lactāt. de falſa ſapientia, lib. 3. cap. 11.

Intellectus iste noster in immensum sciendi cupidus, cuiuscumque naturalis veritatis luce perfunditur. Ne tamen cæcutiret, vel in immensa scientiarum multitudine, quæ creuissent in infinitum, si iuxta rerum naturas, tot fuissent, quot scibilia; vel nimia confusione, si illa quæ sciuntur, in vnica dumtaxat Scientia, putà Metaphysica, fuissent explicatà : prudentissimo Philosophorum studio constitutum est, vt de nobilioribus Entis partibus, à nobis, viâ sensus, cognoscibilibus, determinatæ quædam essent Scientiæ, scilicet Physica (vt à speculatiuis ordiar) quæ de corpore naturali, eiusque partibus & speciebus disputaret, ac Mathematicæ disciplinæ Arithmetica & Geometria, earumque subalternæ Musica, & Perspectiua, quæ de magnitudine & multitudine differerent : Postmodum Moralis disciplina (quæ Politicam, Oeconomicam, & Ethicam complectitur) quæ de obiecto practico, putà vel Republica gubernanda, vel familia regenda, vel priuatis moribus & actionibus instituendis, disceptaret. Demùm operæ pretium se facturos existimarunt, si vltra has minus vniuersales scientias, aliam quãdam vniuersalissimam constituerent, quæ Ens ipsum in tota sua latitudine, Entis communes affectiones, altissima Principia, Causasque & eiusdem Entis generalissimas species, scilicet ipsius substantiæ, & accidentium in se naturas specularetur : Ad quam spectarent ea quæ sunt à sensibus remotiora, vt Deus & Intelligentiæ, prout à nobis naturaliter attingi possunt: Et has omnes Philosophiæ partes sub nomine Sapientiæ sole-

mus intelligere, vt tota Philoſophia, Sapientia dicatur, quemadmodum & Philoſophi Sapientes nuncupantur. Nihilominus ſola hæc altiſſima Philoſophiã, propter aliquot rationes inferiùs afferendas, Sapientiæ nomen obtinuit; quemadmodum & Philoſophi etiam propter aliquot rationes inferiùs explicandas, ei Metaphyſicæ nomen indiderunt. Hanc autem nobiliſſimam Scientiam ad mentem Doctoris Subtilis examinandam aggredior, non alia ratione, niſi tum quia Theologiæ docendæ præfectus, ſingulis momentis cogor intermittere Theologica, & ad Metaphyſicorum, quibus iuuatur Theologia, & Scotus noſter abundat, conſiderationem deſcendere; tum vt lucis aliquid pro viribus addam Doctoris Subtilis doctrinæ, quæ iam à pleriſq; Modernis prætermittitur, diſcerpitur, aut adulteratur ita, vt nunc alia eius nomine doctrina ab illis impugnetur; tum vt fratribus meis, in quorum gratiam iſte labor ſuſcipitur, vtilitatem aliquam afferam. Verùm *iſte puteus altus eſt, ſi ex eo aquam cupias, voca virum tuum, adhibe intellectum virum animæ, per quem docearis, quo regaris*, vt cum auguſtiſſimo loquar Auguſtino. (D. Aug. tract. 15. in Ioan.) Huius porrò operis tres erunt libri: primus erit de Ente, & eius diuiſionibus ac modis. Secundus de eiuſdem principijs & proprietatibus tum ſimplicibus tum diſiunctis. Tertius denique de præcipuis & nobilioribus eius partibus. Sed ne ex abrupto nimis ordiri videar, præludia quædam ſubiiciam, quibus Metaphyſices huius exiſtentia, quidditas, ſubiecta materia, dignitas, neceſſitas, & vtilitas dignoſcantur.



QVÆSTIONES PROOEMIALES in Metaphysicam.

QVÆSTIO PRIMA.

Quæ sint nomina propria Metaphysicæ?



CVM Metaphysica cæteras Philosophiæ partes nobilitate superet; etiam insignioribus, omnibus aliis, titulis exornatur: vt autẽ definiamus qua ratione illi fuerint impositi.

Prœnotandum ſcientias duobus modis ſpectari poſſe; primò ex natura rei & obiectiuè, quatenus ſcilicet ſunt notitiæ obiectorum ſuorum ſecundum propriam eorum naturam conſideratorum: ſecundò prout hominum arbitrio cõſtitutæ ſunt, & intellectui noſtro accõmodatæ, qui pro hoc ſtatu nihil cognoſcit niſi beneficio ſenſuum. Iuxta priorem conſiderationem plures ſunt ſciẽtiæ totales, quàm iuxta poſteriorẽ: ſiquidem imprimis de Deo vt naturaliter cognoſcibili, putà, vel ab intellectu Angelico in puris naturalibus, aut in ſtatu viæ conſtituto, vel etiam fortè à primis Parẽtibus in ſtatu innocentiæ exiſtentibus, poteſt eſſe notitia quædam totalis, Theologia nimirum naturalis. Præterea poteſt eſſe alia quædam ſcientia de Angelis, vt naturali lumine intellectus ſeparati cognoſcibilibus, quæ Angelica, vel alio nomine nuncupari poteſt: Tertiò vltra has, pura Metaphyſica ſeu Metaphyſica tranſcendens, vt loquitur Scotus noſter lib. 1. Meta. q. 1. in fine: nam loquendo præciſè ex natura rei, non eſt potior ratio cur ſcientia vniuerſaliſſima de Ente, potius ad hanc quàm ad illam ſpeciem entis deſcendat, nimirum ad Deum & intelligentias, quàm ad ſubſtantias corporeas, cùm ex ſe æquè primo vtrumque mẽbrum reſpiciat: ſed placuit veteribus Philoſophis hãc ſcientiam naturalem quam pro hoc ſtatu de Deo & de intelligentiis habere poſſumus, ad illam vniuerſaliſſimam notitiã quæ de Ente differit, reuocare; tum propter paucitatem eorũ quæ à nobis fuiſſent tradenda in ſpeciali ſcientia de Deo & Angelis nobis modicum cognoſcibus viâ ſenſus, pro hoc ſtatu; tũ propter conuenientiam in modo

considerandi; nam sub eodem abstractionis genere, Ens Deus & Intelligentię considerari possunt. neque tamẽ propterea sequitur Metaphysicã ad omnes omninò species entis descẽdere, putà ad substantiæ corporeæ naturalis considerationem: tum quia multò plura de substantia corporea, quàm de spirituali, viâ sensus, pro hoc statu cognoscẽda nobis obijciuntur; tum quia non conueniunt in eodem modo considerandi; tũ quia hoc pacto scientiæ fuissent nimiũ confusæ, si in vna sola totali, cuncta scibilia fuissent explicata. Et hanc quidem distinctionem metaphysicæ, tum ex natura rei spectatæ, tum hominum beneplacito constitutæ diligenter obseruare debemus, tam in solutione huius quæstionis, quàm in progressu totius huius operis.

Vnica Conclusio.

Metaphysica his potissimùm nominibus insignitur, nẽpe Sapientiæ, Philosophiæ, primæ Philosophiæ, Theologiæ naturalis, Metaphysicæ, Scientiæ vniuersalis. Et imprimis dicitur Sapientia 1. Metaph. cap. 2. quia, vt ibi latè probat Aristoteles, omnes Sapientiæ conditiones ei conueniunt. Prima conditio Sapiẽtiæ est, vt occupetur quodammodò circa omnia. Competit autem Metaphysicæ, quæ cùm speculetur Ens & Entis communes affectiones, aliqua ratione cuncta speculari dicitur. Nam vt docet Doctor Subtilis in suis commentariis in hunc locum, qui nouit vniuersale, nouit quodammodò contenta sub vniuersali, si non secũdùm proprias rationes, saltem secundùm cõmunes, quas ab ipso Vniuersali mutuantur. Secunda cõditio Sapientiæ est, vt difficilia rimetur. omniũ est enim leuia & sensibus peruia cognoscere; solius verò sapiẽtis abstrusa, difficilia, & à sẽsibus remota scrutari. Et hæc etiam cõuenit Metaphysicæ: Cùm enim quò plus aliqua distãt à sensibus, eò difficiliora censẽatur; Metaphysica circa difficillima versabitur, quia circa vniuersalissima, proindeq; à sensibus remotissima versatur. Tertia Sapientiæ cõditio est, vt certiora perquirat: decet enim sapientem esse certissimũ de his quæ nouit. Conuenit etiã Metaphysicæ. Nam quò Scientiæ aliquæ sunt aliis priores; eò etiam sunt illis certiores; nam quò sũt priores, eò pauciora requirunt, vt Arithmetica v.g. quę est prior musica, pauciora requirit quàm Musica; quia Arithmetica numerũ simpliciter; Musica verò numerum sonorum cõsiderat: Quæ autem pauciora requirunt, certiores existunt, quia minus contingit errare circa pauca, quàm circa multa: ergo Metaphysica, vtpote omnium prima naturaliter, ac proinde paucioribus contenta, omnium erit certissima. Quarta Sapientiæ conditio est, vt maximè doceat, & reddat causas omnium quæ sciuntur, & quæruntur. Nam eum sapientiorem arbitramur, qui plurium rerum principia, causasque potest assignare. Et hæc conuenit etiam Metaphysicæ, quæ magis vniuersalia, proindeque omnium principia, & causas inquirit. Quinta conditio est, vt Sapientia maximè expetatur propter se, &

non gratia alterius, quæ etiam cõgruit Methaphysicæ: Cũ enim Sciẽtiæ speculatiuæ propter se expetãtur, quò plus aliqua erit speculatiua, eò propter se magis expetetur: ergo Metaphysica vt pote maximè speculatiua, maximè propter se, & non gratiâ alterius expetetur. Sexta & vltima Sapientiæ conditio est vt per eam sapiens ordinare, & non ordinari, suadere & non suaderi à minus sapiente debeat. Quemadmodum enim in artibus reperiuntur quidam Architectores, qui sapientes dicuntur, tùm quia alios dirigunt & ordinant, tum quia illis imperant & suadent: alij verò famulantes, quia à sapientibus ordinantur, & suadentur: Sic inter Scientias, illa princeps & sapientia iure merito dicetur, quæ alias ordinabit & persuadebit. Sic autem se habet Metaphysica, quæ causas altissimas considerans, nouit causam finalem cuius gratiâ cætera sunt agenda; proindeque cuncta in illum finem ordinat. Ex his colligi potest hæc Sapientiæ descriptio. *Sapientia est altissimus mentis habitus, occupatus circa vniuersalissima, difficillima, certissima, omniumque causas & principia; maximè propter se expetendus, qui alijs scientijs tanquam famulis imperat, easque in suos fines ordinat.* Quæ descriptio valdè bene quadrat in Metaphysicam.

Definitio sapientiæ.

Secundò per antonomasiam appellatur Philosophia 4. Metaph. text. 6. quia præstantior est cæteris Philosophiæ partibus. Eadem ratione dicitur prima Philosophia 6. Metaphys. cap. 1. tum etiam quia agit de Ente, nec non de primis ac potissimis Entis speciebus. Quartò appellatur Theologia 6. Metaphysic. cap. 1. quia differit de Deo, & eius attributis ac proprietatibus, quãtum luminis naturalis patitur capacitas. Sed hæc denominatio spectat ad Metaphysicam vt hominum arbitrio constitutam, vt patet. Quintò vocatur Scientia vniuersalis 5. Metaph. cap. 1. tùm quia versatur circa Ens, obiectum valdè vniuersale; tum quia differit de principijs omnium vniuersalissimis, tam complexis, quàm incomplexis. Sextò denique Metaphysica dicitur, idest post naturalis; quia licet ordine naturæ Physicam præcedat, cùm pertractet eorum cognitionem quæ in natura primas obtinent; tamen ordine inuentionis & doctrinæ Physicam subsequitur; quia ea de quibus agit, post cognitionem rerum naturalium sunt inuenta, & exploratè cognita. Vel etiam (vt aliis placet) Metaphysica dicitur quasi transnaturalis, quia cognitionem rerum naturalium transcendit, & ea quæ in altissimo rerum gradu posita sunt, considerat.

QVÆSTIO SECVNDA.

An sit, quomodo, & quare sit inuenta Metaphysica.



SVB hoc titulo sese offerunt examinanda officia, finis, & vtilitas Metaphysicæ; quæ ordine sequentibus conclusionibus perstringemus.

Prænotandum tamen primò

omnes ſcientias (latè ſumpto Scientiæ vocabulo) non eadem ratione comparatas fuiſſe, vt docet Ariſtoteles 1. Metaph. cap. 1. Nam quædam ſunt inuentæ ad neceſſarios vitæ vſus, vt artes mechanicæ, & omnes ferè Scientiæ practicæ. Aliæ ad iucundè viuendum, vt artes Cythariſtarum & Tibicinum: indigent enim mortales alterna laborum requie, iucundaque moleſtiarum intermiſſione. Aliæ denique propter ſolam rerum cognitionem, & contemplationem, vt Scientiæ theoreticæ. Et quia hæ, vtpotè nobis minùs faciles, maiore intelligentia indiguerunt, vt inuenirentur, quàm illæ: ideò etiam maiori & tranquilliori otio in his, quàm in illis inueſtigandis opus fuit. Quare eò loci docet Philoſophus à Sacerdotibus Ægyptijs, qui in otio vitam agebant, & quibus omnia ex publico cùm neceſſaria, tùm vtilia ad degendam vitam abundè ſuppetebant: vt conſtat etiam ex libr. Geneſ. cap. 27. primùm theoreticas Scientias, præſertim Mathematicas diſciplinas, vt Aſtrologiam repertas fuiſſe. Otio acceſſit ingens ſciendi cupiditas. Nam *omnes homines naturâ ſcire deſiderant*: acceſſit & hominum conditio. Nam *genus hominum arte viuit & ratione*: acceſſit & in ſubtiliùs rimandis rerum euentibus & naturis admiratio. *Nam propter mirari cæperunt homines philoſophari.* Et hinc nobiliſſimum Scientiarũ ſpeculatiuarum agmẽ.

1. Metaph. cap. 1. — Geneſ. cap. 27. — 1. Metaphyſ. cap. 1. — Ibidem — 1. Metaphyſ. cap. 2.

Prænotandum 2. duplici præſertim viâ & methodo Scientias inuentas fuiſſe, nimirum viâ analyticâ ſeu reſolutionis, & viâ ſyntheticâ ſeu compoſitionis. Viâ analyticâ, diuidendo ſemper & reſoluendo rem in ſuas partes, principia, proprietates, & effectus, quæ omnia ſic reſoluta, & ab inuicem quaſi ſeparata, magis innoteſcunt. Viâ autem ſyntheticâ, coniungendo inter ſe hæc omnia, & ex illis eliciendo ſuperiora genera, de quibus ſic abſtractis, quædam etiam paſſiones abſtractæ & communes affirmantur. Quæritur itaque an ad aliquem vitæ vſum, an ad iucundè viuendum, an verò potiùs ad ſolam veritatis contemplationem: & qua methodo, an reſolutionis, an verò compoſitionis ſit inuenta Metaphyſica?

Prænotandum 3. Metaphyſicæ duplicem diſtingui poſſe finem, ſcilicet abſolutum, & reſpectiuum: finis abſolutus eſt ille quem in ſe intendit: Reſpectiuus ad quem extra ſe tendit; ille prior eſt iſto: quia res quælibet priùs eſt in ſe, & ad ſe, quàm ad aliud. Finis reſpectiuus conſiſtit in officijs quæ circa alias Scientias exercet, ex quibus dignoſcitur quæ & quanta ſit eius vtilitas. His poſitis, ſit

Prima Concluſio.

Metaphyſicam exiſtere probat vnanimis Philoſophorum conſenſus, præſertim Ariſtotelis & Doctoris Subtilis, quorum primus tredecim Metaphyſicæ libros conſcripſit; alius verò ſubtiliſſimis commentarijs, & quæſtionibus eoſdem locupletauit.

Item Metaphyſicam non ad aliquem vitæ vſum, nec ad voluptatem,

luptatem, sed ad solam rerum contemplationem inuentam fuisse, & Aristotelis testimonio, & rei veritate perspicuum est: ampliusque sequenti conclusione probabitur. Quod spectat ad methodum, crediderim potius viâ compositionis, quàm resolutionis inuentam fuisse. Quia cùm omnium nouissimè inuenta fuerit, probabile valdè est id contigisse ex adunatione rerum omnium inter se, ratione cuius intellexerunt Philosophi Substantiã & Accidens simul conuenire in aliquo generali conceptu entis; Substantiam corpoream & incorpoream reperiri sub aliqua Substantiæ communi ratione: ac proinde inueniendam esse generalissimam quamdam Scientiam, quæ has cõmunes entis, Substantiæ, & similes rationes indagaret.

Secunda conclusio.

Finis absolut⁹ Metaphysicæ est sola veritatis cõtemplatio; nõ qualiscũque, quia is est etiam finis cuiuslibet Scientię speculatiuæ sed veritatis altissimæ & perfectissimæ: Finis verò respectiuus est officium & obsequium quod exhibet alijs Scientijs, præscribendo vnicuique obiectum suum, & vniuscuiusque principia confirmãdo. Ac in primis quidem constat ex doctrina Aristotelis hanc Scientiam esse propter solam veritatis contemplationem: quod declarat duplici signo. Vnũ est, quod homines propter admirationem & causarum ignorationem, hanc Scientiam inuenire cœperunt; ergo propter cognitionem, & non alterius operis gratiâ, eam inquisierunt. Secundum signum est, quia homines, cùm eis omnia ad hanc vitam necessaria suppeterent, hanc Scientiam inuestigarunt; non ergo propter alium vsum, sed ad expellendam ignorantiam, atque adeò propter ipsam veritatis cognitionem, eam inquisierunt. Constat secundò Metaphysicam non esse propter qualiscumque veritatis contemplationem, sed duntaxat altissimæ & perfectissimæ: quia occupatur in contemplatione Entis, & nobilissimarum Causarum, quod declarat Doctor Subtilis in prologo quæstionum Metaphysicarum, his verbis: *Sciendum est quòd finis proprius huius Scientiæ est operatio secundùm habitum istum, speculatio scilicet essentiarum rerum, & præcipuè altissimarum causarum, & substantiarum separatarum; in quarum speculatione posuit Aristoteles fœlicitatem, 10. Ethicorum. Et quidem ex hac contemplatione consurgit vnio intellectus cum substantijs separatis, & iterum ex vnione perfectior contemplatio*, vt ibidem prosequitur Scotus noster: in quibus consistit Metaphysicæ finis, & hominis speculatiua naturalis fœlicitas. Scot. in prolog. qq. Metaphysi. §. de. causa finali.

Secunda pars conclusionis probatur quoad id quod dictum est ad Metaphysicam pertinere præscribere vnicuique Scientiæ proprium obiectum: quia aliarum Scientiarum obiecta sunt particulæ quædam Entis, putà corpus naturale, linea, numerus, & cet. ex Aristot. 4. Metaphys. cap. 1. *Nulla enim*, inquit, *cæterarum* (supple Scientiarum) *id quod est, vt est ens considerat; sed partem quamque aliquam excipiens; id quod accidit, de hac contemplatur, vt Ma-* 4. Metaphys. cap. 1.

thematicæ Scientiæ faciunt. Sed Metaphysici est ex diuisionibus Entis & superiorum generum colligere huiusmodi particulas Entis; ergo Metaphysici est ex diuisione Entis, & superiorum generum, colligere omnia obiecta Scientiarũ, quæ sub illis diuisionibus continentur. Quia diuisione factâ, cuique Scientiæ postmodum, tanquam Regina propriam regioné assignat. Hinc patet quomodo etiam vniuscuiusque Scientiæ obiecta demonstret: demonstrat enim an sint, ostendendo per tales diuisiones illa esse, vel saltem non repugnare esse in rerum natura: sufficit enim ad dubitationem, An sint, ostendere quòd eis non repugnet existentia ex Scoto. qu. 7. quodlibet pag. 47. col. 1. post medium. Demonstrat prætereà quid sint, ostendendo per easdem diuisiones in quo gradu Entium sint posita, & quam quidditatem habeant.
Suarez tom. 1. Metaphys. disp. 1. sect. 4. num. 7. & 8. Nec hoc præstat solummodò à posteriori, & per causas extrinsecas, vt putant aliqui, sed etiam à priori, & per causas intrinsecas. Cùm enim iste processus sit diuisiuus, in quo per existentiam & quidditatem superiorum, inuestigantur existentia & quidditas inferiorum: id non fieri à posteriori, sed à priori perspicuum est.

4. Metaphys. cap. 3. Scotus. ibid. Probatur item quoad id quod dictum est Metaphysicæ munus esse cæterarum Scientiarum principia confirmare. Nam id expresſè docet Aristoteles 4. Metaphysic. cap. 3. vbi Scotus noster duas tradit vias, quibus id ostendit Metaphysicam præstare. primò nimirum, quia omnium planè principiorum explicat terminos, quibus explicatis statim intellectus assentit eorum veritati. *Notandum* (inquit in commentario illius loci) *quòd huiusmodi principia communia sunt communiter nota omnibus, eo quod termini eorum cadunt in conceptione cuiusque: nam componuntur ex terminis communibus qui sunt noti primò nobis, eo quod nostra cognitio incipit à communibus & confusis, vt habetur 1. Physic. Isti autem termini communes sunt ens, totum, pars, æquale, inæquale, & similes. Et quia huiusmodi termini communes pertinent ad considerationem Metaphysici, per consequens huiusmodi principia sunt de consideratione eius. Considerat autem Metaphysicus dicta principia non demonstrando, sed rationes terminorum declarando, vt quid sit totum, quid pars, quid substantia, quid actus & potentia, &c. quod facit in quinto: quibus terminis notis, statim intellectus assentit veritati talium principiorum.* Vide Scotũ in 1. dist. 3. q. 2. Cùm enim (addit Suarez) hæc principia in re non habeant intrinsecum & quasi formale medium, quo illorum extrema connectantur, per se cognoscuntur ex cognitione terminorum: vnde nihil magis potest ad eorum cognitionem iuuare, quàm scientifica & euidens notitia terminorum, seu rationum eorum, qualis est illa quæ in hac Scientia traditur. Alia via est reducendo propria cuiusque Scientiæ principia ad illa generalissima effata, quæ per se contemplatur Metaphysica: qualia sunt: *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est aliquid de eodem simul affirmari & negari.* Quæ sunt firmissima & certissima principia, quibus Meta-

physica cæterarum Scientiarum propria principia cõfirmat & corroborat. Cùm enim premuntur inferiores Scientiæ in suis propriis pronuntiatis ostendendis; & ex proprio fundo non habent vnde se fulciant, recurrunt ad illud generalissimum & ditissimum Metaphysices ærarium; vnde extrahunt illa veluti Scientiarum omnium firmissima propugnacula. Ex his colligitur quæ & quanta sit huius Scientiæ vtilitas. Est enim non modo vtilis & conueniens propter seipsam, & propter perfectionem Intellectus nostri, qui prout dependet à sensibus externis, perficitur sensibilibus & physicis: & quatenus pendet ab internis, præsertim Imaginatione, & Phantasia, Mathematicis: & vt abstrahit ab omnibus cùm internis, tùm externis, perficitur Metaphysicis: Verumetiam est vtilis ad alias Scientias, propter prædicta præstantissima munera, quæ circa illas exercet.

Obiicies: Hæc duo videntur secum pugnare, nimirum quòd Metaphysica sit propter seipsam, & tamen sit propter alias Scientias: Nam quod est propter aliud, non videtur esse propter seipsum. Confirmatur ex Doctore Subtili, qui in prologo quæstionum Metaphysicarum, §. *de causa finali*, docet hanc Scientiam *non ordinari ad aliquam aliam; sed omnes alias ad ipsam, nec esse vtilem ad aliam, secundùm Philosophum in litera, sed esse qualibet Scientia vtili digniorem, & nobiliorem, tanquam finem.*

Scot. in prolog. qq. Metaph.

Respondetur, quòd dupliciter contingit aliquid dici vtile ad aliud: vno modo tanquam medium ordinatum ad aliud: alio modo tanquam aliquid superius & nobilius, quod ratione eminentiæ & perfectionis suæ est vtile & proficuum alteri. Priori modo Metaphysica non est vtilis ad alias Scientias, sed potiùs vice versa aliæ sunt vtiles ad ipsam: quia, vt docet Scotus noster eò loci, aliæ omnes Scientiç tam speculatiuç quàm practicç ordinantur ad ipsam, vt ad finem, quia ipsa est perfectissima contemplatio, in qua consistit speculatiua hominis fœlicitas. Posteriori modo nihil prohibet ipsam esse ad alias vtilem propter rationes allatas. Vnde non negat simpliciter Scotus illam esse vtilem, sed solùm non esse vtilem, *prout vtile propriè dicitur ordinatum ad finem.*

De hac re vide Scotum in 4. dist. 44. q. 2.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Metaphysica sit Scientia, eaque speculatiua?



PRÆNOTANDVM I. pro intelligentia prioris partis quæstionis, duplicem alicuius rei distingui posse scientiam, scilicet incomplexam, & complexam. Scientia incomplexa est simplex & nuda apprehensio alicuius rei per sua essentialia prædicata, v.g. hominis, per animal rationale. In qua apprehensione, vnum quidpiam ex alio non infertur: sed incomplexum actu simplici & incomplexo, scientifico tamen, apprehenditur. Scientia complexa ea est quæ habetur de connexione alicuius proprietatis cum

suo subiecto, per medium aliquod necessarium. v. g. notitia illa quâ noui hominem esse risibilem, quia est animal rationale: & dicitur complexa, quia intellectus per medium illud, vnum cum alio complicat & connectit. Hanc duplicem notitiã alijs titulis nominat frequenter Scotus noster in Metaphysica: Priorem quidem, notitiam rei simpliciter: posteriorem verò notitiam alicuius de re: Seu, priorem notitiam alicuius; posteriorem, notitiam de aliquo: & quidem hoc posteriori modo, scientiæ nomen frequentius est in vsu, apud Arist. & alios Philosophos. Tunc enim vnumquodque propriè scire arbitramur, cùm eius principia & causas, propter quas illud sit, cognoscimus.

Prænotandum 2. pro intelligentia posterioris partis ex Doctore Subtili. q. vltima prologi Sentent. & libr. 1. Metaphysic. q.7. notitiam practicam eam esse quæ est directiua praxis. Est autem praxis omnis operatio quæ non est per essentiam, speculatio, & quæ non est à natura determinata; sed quæ indifferenter, benè scilicet vel malè potest elici. quod alibi fusius explicabimus, & ita non omnis notitia ordinata ad aliud est practica: sed ea sola quæ ad praxim moderandam ordinatur. Nam (vt loco posterius citato Scotus noster obseruat) notitia principij ordinatur ad conclusionem, tamquam causa ad proprium effectum. Omnis scientia speculatiua alia à Metaphysica, ordinatur ad Metaphysicam, vt ad finem. Item datur aliqua notitia directiua vlterioris speculationis, vt Logica, & tamen istæ notitiæ non sunt practicæ. His positis, sit.

Prima Conclusio.

Metaphysica est vera & propria Scientia. Probatur. 1. ex Arist. 4. Metaphysic. cap. 1. *Est quadam scientia*, inquit, *quæ speculatur Ens quatenus ens est, & quæ per se ei insunt*. Nulla autem id præstat præter Metaphysicam. Ergo est Scientia. Secundò, Ens secundùm se est vnum aliquod incomplexum quod per propriam rationem intelligi potest. Ergo huic incomplexo correspondet aliqua notitia simplex & incomplexa. Illa autem est Metaphysica. Ergo iam Metaphysica est Scientia incomplexa, & minùs propriè dicta. Tertiò ad rationem scientiæ propriè dictæ, sufficit vt habeat obiectum, cui insunt principia & proprietates de ipso demonstrabiles: at Metaphysica est huiusmodi. Ergo est vera Scientia. Maior est certa. Minor probatur. Metaphysica versatur circa Ens quod habet principia, si non essendi, saltem demonstrandi, ex Doctore Subtili. quæst. 3. prologi. q. 1. laterali ad 3. Item habet proprietates demonstrabiles de ipso, primò quidem à posteriori, vt quod v. g. sit bonum, quia est appetibile, vel etiam à priori, quia est Ens. Prætereà est nobis innatus appetitus cognoscendi Ens, quatenus Ens est. Igitur ne talis appetitus suo fine frustretur, debet dari scientia de ente quæ ipsum exsatiet.

4. Metaph. 1.

Scot. q. 3. prol. senten.

Obijcies, Sapientia est habi- Obiect.

tus specie distinctus à scientia, ex
6.Ethic. 3. Arist. 6. Ethic. cap. 3. Vbi constituit quinque habitus intellectuales inter se specie distinctos, scilicet Sapientiam, Intellectum, Scientiam, Prudentiam, & Artem. Sed Metaphysica est Sapientia, vt dictum est; ergo non est scientia. Respondeo scientiam quidem illam, quæ tantùm versatur circa conclusiones, specie distingui à Sapientia; quia Sapientia versatur circa conclusiones, & prima principia ex quibus deducuntur, vt docet Aristoteles 6. Ethic. cap. 7. *Sapientem igitur* (inquit) *non solum ea quæ ex principijs sunt, cognoscere; sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet.* Vnde cùm scientia prout specie distinguitur à Sapiētia, sit simplex habitus conclusionum: Sapientia est habitus conclusionum simul & principiorum, & non qualiumcumque, sed altissimarum & primarum causarum: quò fit vt simul includat Intellectum & Scientiam, vt ibidem docet Aristoteles, *quare*, inquit, *Sapientia erit Intellectus & Scientia, ac instar capitis scientia rerum præstantissimarum.* Quod non impedit quin sit etiam scientia, non quidem communiter vsurpata pro habitu conclusionum, sed scientia nobilissima suo ambitu complectens notitiam altissimarum causarum, & conclusionum, quæ ex eis eliciuntur: Quod ex eo confirmatur, quia Aristoteles ipsum eumdem habitum, Scientiam simul & Sapientiam indifferenter appellat.

Respons. | 6.Etic.7

Secunda Conclusio.

Metaphysica est speculatiua. Probatur ex Aristotele 6. Metaphys. cap. 1. *Quapropter*, inquit, *Philosophiæ tres erunt contemplatrices, Mathematica, Naturalis, id est Physica, Theologia, hoc est Metaphysica.* Confirmatur ex Doctore Subtili 6. Metaphysic. q. 1. vbi habet: *Ens quod est subiectum Metaphysicæ, est merè speculabile, circa quod in quantum huiusmodi, non est nata esse notitia directiua operationis practicæ, & alterius generis à speculatione*: Et illa sola cognitio seu scientia dicitur practica quæ est directiua praxis; ergo Metaphysica non est practica, sed speculatiua.

6. Metaphys. cap. 1. | Scotus 6. Metaphys. q. 1.

Obiect. 1. Obijcies 1. Metaphysica demonstrat Deum esse summè diligendum: quia est summè bonus, & noster finis vltimus. Sed hoc spectat ad notitiam practicam: ergo Metaphysica est practica.

Resp. Respondeo negando maiorem, quamuis enim Metaphysica demonstret Deum esse summè bonum, & nostrum vltimum finem naturalem: non dictat tamen practicè quomodo, seu quibus medijs hic finis sit ab homine consequendus: hoc enim relinquit morali Philosophiæ, & solùm de Deo speculatiuè considerat rationem vltimi finis & supremi boni; scilicet quatenus in se talis est; non verò an sit hoc vel illo modo, seu medio attingendus.

Obiect. 2. Obijcies. 2. Theologia supernaturalis est practica: ergo & Theologia naturalis. Antecedens est Doctoris Subtilis quæ-

stione vltima prologi Sentent. Consequentia probatur: Theologia supernaturalis & naturalis solo lumine differunt; quia hæc veritates lumine naturali cognitas de Deo demonstrat; illa veritates creditas & reuelatas: sed illa diuersitas luminis non potest causare tantam diuersitatem in vtraque illa Theologia: quòd si vna sit practica, alia quoque non sit eiusdem rationis; ergo si supernaturalis sit practica; naturalis erit quoque practica.

Resp. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, & maiorem probationis eius. Theologia namque supernaturalis & naturalis non differunt solo lumine; sed prętereà rationibus & modis quibus versantur circa sua obiecta: quia Theologia supernaturalis considerat Deū modo practico præscribendo modum & media, quibus eum tanquam finem nostrum supernaturalem possumus assequi, dictando videlicet quomodo sit amandus, honorandus & timendus. Theologia verò naturalis imprimis versatur circa Ens vt obiectum suū adæquatum modo planè theoretico: Denique veritates quas inquirit de Deo, vt obiecto suo partiali & indæquato sunt etiam merè speculabiles & theoreticæ.

QVÆSTIO QVARTA.

Quænam sit Obiectum Metaphysicæ?



VARIÆ sunt de quæstione proposita sententiæ. Quidam enim existimant Ens vniuersalissimè sumptum, prout est commune ad Ens reale, & ad Ens rationis esse huius scientiæ subiectam materiam. Alij Ens reale, quatenus comprehendit tam entia per se, quàm entia per accidens. Alij restringuunt obiectum Metaphysicæ ad solum Ens reale prædicamentale quod in decem prædicamenta diuiditur. Alij ad causas vniuersalissimas.

Alij ad solam Substantiam communissimè sumptam, prout est indifferens ad materialem & immaterialem, ad finitam & infinitam. Alij solum Deum Metaphysicæ subiectum constituunt, & reliqua omnia quæ in Metaphysica tractantur, in ordine ad ipsum considerari existimant. Alij solam substantiam immaterialem communem ad Deum & Intelligentias.

Alij denique Ens reale commune ad Deum & creaturas, ad Substantiam & Accidentia, proprium & adæquatum Metaphysicæ subiectum stabiliunt. Pro solutione huius quæstionis.

Prænotandum primò vel potius repetendum ex dictis, q. 1. Metaphysicam spectari posse duobus modis, ex natura rei, & vt hominum arbitrio constituta est: quam quidem distinctionem diligenter obseruare debemus, vt quid de obiecto eius hoc vel illo modo consideratæ dicendum sit, decernamus.

Prænotandum secundò in quolibet obiecto cuiuslibet scientiæ totalis, duplicem primò distingui posse rationem, scilicet materialem & formalem. Materialis est res ipsa considerata, quantum est

ex ſe indifferens ad varias notitias: vt animal quod ex ſe & ad Phyſicam, & ad Medicinam ſpectat.

Ratio formalis eſt ratio diſtinguens & determinans obiectum materiale ad certum quoddam genus notitiæ, vt naturalitas & ſanabilitas; quarum prior ad Phyſicam; poſterior verò ad medicinam ipſum idem animal contrahit & determinat. Sed iſta ratio formalis iterum eſt duplex: ſcilicet formalis, *qua*, *per quam*, ſeu *propter quam*, & *ſub qua*. Formalis *qua*, eſt forma ſeu ratio obiecti quæ conſtituit ipſum formaliter in eo eſſe quod ſcientia per ſe conſiderat: vt ſanabilitas eſt forma animalis, quæ conſtituit ipſum formaliter in eo eſſe quod medicina per ſe conſiderat.

Lichetus q. 3. prolog. Ita expreſſè Lichetus q. 3. prologi §. *ex his dictis:* vbi habet: *Ratio verò formalis ſubiecti dicitur illa quæ conſtituit aliquid in eſſe ſubiecti. Sicut ſi homo eſſet ſubiectum in aliqua ſcientia, putà in illa quâ ſciretur hominem eſſe riſibilem, & quæreretur quid ſit illud quod conſtituit ipſum in eſſe tali: Dico quod eſt quidditas hominis, putà animal rationale, & vniuerſaliter definitio eſt ratio formalis conſtituendi aliquid in eſſe ſubiecti ſcientiæ, ſi illud habet definitionem, & quid rei. Si verò ſubiectum non habet definitionem, ſicut Deus qui eſt obiectum Theologiæ, & Ens in quantum Ens ſubiectum Metaphyſicæ, tunc ratio formalis explicatur ſub nomine abſtracti, putà Deus ſub ratione Deitatis, & Ens ſub ratione Entitatis.* Et ita ex ratione materiali & formali, *qua*, integratur vna ratio totalis obiectiua vnius determinati habitus, & non alterius.

Quia verò huiuſmodi ratio formalis, *qua*, non ſemper complet rationem formalem ſpecificantem ac diſtinguentem habitum: Nam etiam ipſa diuerſimodè conſideratur ob diuerſa motiua, quibus intellectus inducitur ad aſſenſum, vt patet in Theologia noſtra, & Beatorum; vtraque enim reſpicit eandem rationem formalem, *qua*, nempe eandem rationem Deitatis; & nihilominus propter motiua ſiue diuerſa media, Theologia noſtra & Beatorum ſpecie differunt. Idcircò præter rationem formalem, *qua*, addi debet ratio formalis, *quâ*, ſeu *propter quam* intellectus determinatur ad aſſenſum: & ob hanc cauſam hæc ipſa ratio formalis, *qua*, interdum reducitur ad obiectum materiale. Quia enim id quod additur alteri, vt compleat illud in aliquo genere, habet rationem formæ: Id verò cui additur, rationem materiæ; fit vt ratio formalis, *per quam* addita rationi formali, *qua*, vt eam conſtituat in aliquo determinato genere habitus, per comparationem ad ipſam, habeat rationem formæ: Et ratio formalis, *qua*, reſpectu rationis formalis *per quam*, ſiue *propter quam*, eſt motiuum determinans intellectum ad certam ſpeciem aſſenſus, putà aſſenſus fidei, teſtimonium dicentis, & aſſenſus concluſionis ſcientificæ, principia ſic in demonſtratione diſpoſita, vt ex eis eliciatur concluſio ſcientifica. Et certè in ſcientijs naturaliter adinuentis & vulgatis, exiſtimo non aliter differre rationem

formalem, *qua*, & *per quam* seu *propter quam*, quàm quòd ratio formalis, *qua*, sit illamet quidditas absoluta obiecti primarij, secundùm quam, ipsum est motiuum intellectus ad cognitionem sui duntaxat: Ratio verò formalis, *propter quam*, sit eadem quidditas, prout assumitur ad sciendum seu ad demonstrandum aliud de subiecto, cuius est quidditas: verbi gratiâ; in scientia quæ habet hominem pro subiecto, quidditas hominis quatenus motiua intellectus ad cognitionem hominis censetur ratio formalis *qua* talis obiecti: Ipsa autem eadem quidditas quatenus assumpta ad demonstrandum risibile de homine, est ratio formalis *per quam* eiusdem obiecti, non quidem *per quam* ipsum obiectum incomplexum demonstretur: Definitum enim non demonstratur per definitionem: Sed per quam de ipso vt in se continente multas passiones, illæ eædem passionis demonstrantur. Propter prius docuit noster Lichetus loco nunc citato definitionem esse rationem formalem subiecti.

Lichet. vbi sup.

Propter posterius docuit noster Aureolus quæstione vltima prologi art. 4. propositionibus prima & secunda, rationem subiectiuam esse aliquid intrinsecum subiecto, quod mediat inter ipsum, & ea quæ demonstrari possunt de eo in scientia cuius est subiectum: Nam definitio subiecti, putà hominis, videtur aliqua ratione mediare inter ipsum & passionem, putâ risibilitatem de ipso demonstrabilem.

Aureolus q. vltima pr. art. 4.

Porrò quia in scientijs præsertim speculatiuis, in quibus ratio *sub qua* clarius distinguitur ab alijs, contingit sub varia concretione materiæ, vel abstractione à materia, subiectum aliquod scientificè cognosci, & de ipso proprias passiones demonstrari: Idcircò vltra rationem formalem, *qua*, & *propter quam*; huiusmodi varia abstractio à materia, censetur ratio formalis *sub qua*, specialiùs distinguens adhuc tres vulgatas scientias speculatiuas ab inuicem; scilicet abstractio à sola materia singulari, & concretio materiæ sensibilis, quâ distinguitur Physica à Mathematica & Metaphysica; abstractio à materia singulari & sensibili, & concretio solius materię intelligibilis, per quam distinguuntur Mathematicæ disciplinæ à Physica & Metaphysica; & abstractio ab omni materia cùm singulari, tum sensibili ac intelligibili, & concretio naturæ vel cui repugnat materia, vt sunt intelligentiæ, vel saltem cui ex se non conuenit materia, vt sunt Ens & substantia, per quam abstractionem distinguitur Metaphysica ab alijs duabus.

Addidi cum hac, vel illa abstractione, hâc, vel illam concretionē: quia cùm abstractio solitariè sumpta sit mera negatio, per illam non satis aptè distinguerētur tres scientiæ speculatiuæ à se inuicem. Hæc autem triplex abstractio nihil est aliud quàm modus & ratio seu conditio sub qua res variè considerantur in tribus scientijs speculatiuis Metaphysica, Mathematica, & Physica: ita vt tamen non sit pars conceptus rei consideratæ, sicut nec vniuersalitas est pars conceptus quidditatis

Scotus in 2. dist. 3. q. 1. ditatis intellectæ, ex Doctore Subtili in 2. dist. 3. qu. 1. sed tantùm modus rem ipsam considerandi, quiquidem diuersarum huiusmodi scientiarum obiectis non per solam mentis operationem accidit, sed ex natura rei conuenit, quod patet inductione: Nam in abstractione Physica primò duo reperiuntur, nempe ipsamet abstractio à materia Metaphysica, hoc est, à singularibus; & concretio materiæ Physicæ, & subiectæ accidentibus sensibilibus: Quia vt ait Aristoteles 6. Metaphys. cap. 2. *Omnia Physica similiter simo dicuntur. Simum autem conceptum est cum materia, quia simum, nasus concauus.* Hæc autem duo competunt obiecto Physicæ ex natura rei, quatenus scilicet ex natura sua etiam quatenus obiectum est, & materiam Physicam includit & Metaphysicam excludit, vel saltem non includit. Similiter in abstractione Mathematica duo sunt, scilicet ipsamet abstractio à materia Metaphysica & Physica seu sensibili, & concretio materiæ intelligibilis; quia concauum, verbi gratia, vel curuum ex natura sua, & quatenus tale, nec est singulare nec sensibile: nequit tamen intelligi sine materia, cùm sit curuum, longitudo aliqua, ac consequenter quantitas, & moles corporea. Nec dici debet abstractionem Mathematicam esse dumtaxat abstractionem per intellectum: quod nimirum dicatur abstractio secundum considerationem: Nam ea ratione dicitur abstractio secundum considerationem; quia Mathematicus abstrahit à consideratione singularium & sensibilium, speculando obiectum suum, & non considerando singularia & sensibilia, quæ cum eo coniuncta sunt. Similiter in abstractione Metaphysica duo sunt, nempè abstractio ab omni materia, & concretio naturæ, vel cui repugnat materia, vt sunt Deus & Intelligentiæ, quæ propterea dicuntur abstrahere à materia secundum esse: vel saltem cui ex natura sua non conuenit, vt sunt Ens, substantia, & similia, quæ propterea dicuntur abstrahere à materia secundum considerationem, quia ista non considerantur in hac scientia cum materia, quam in se possunt admittere, & quam includunt permissiuè. & hæc duo competunt etiam obiecto adæquato Metaphysicæ ex natura rei: quia nec Intelligentiæ, nec Ens & substantia materiam vllam concernunt ex se, sed ab omni penitus abstrahunt, licet diuersimodè. His positis, sit

(Margin: 6. Metaphysic. c. 2.)

Prima Conclusio.

ENs vniuersalissimè sumptum prout abstrahit ab Ente rei, & Ente rationis, non est obiectum Metaphysicæ. Conclusio est contra Aquarium lib. 1. Metaph. dilucidationũ, & quosdam alios; non verò contra Scotistas, vt credidit Iulius Sirenus tract. 3. Metaph. cap. 21. & probatur 1. Ens rationis non est pars obiecti Metaphysicæ; nam Aristoteles lib. 6. cap. vltimo, dicit omittendum esse Ens, quod est passio mentis, quodque est in anima, & habet esse tantùm in intellectu, atque solùm disputandum esse de Ente Contra Aquarium. 6. Metaphysic. cap. vltim.

reali; ergo Ens communissimè sumptum, prout comprehendit Ens rationis, non est huius scientiæ subiectum. Secundò probatur; Subiectum cuiuslibet scientiæ debet esse vniuocum, vt ex mente Scotistarum asserit Fauentinus in Philosophia naturali, theoremate 4. Sed nihil est vniuocum ad Ens rei, & Ens rationis, vt inferius probabitur; ergo nihil abstrahens ab Ente rei, & Ente rationis, erit Metaphysicæ subiectum.

Fauentinus in Philosophia naturali theoremat. 4

Obiect. 1. 4. & 6. Metaph.

Obijcitur 1. Aristoteles pluribus in locis suæ Metaphysicæ differit de Ente rationis, præsertim libro 4. & 6. ergo illud est pars obiecti Metaphysicæ.

Resp.

Respondeo distinguendo antecedens, discurrere scilicet de Ente rationis per accidens & indirectè, vel quia nimirum Enti rei opponitur, vel quia eius consideratio ad notitiam Entis rei conducit; non vero per se, & directè: Sic Physicus per accidens & indirectè disputat de vacuo, & de infinito; tum quia vacuum loco, sicut infinitum finitæ quantitati opponitur; tum quia vacui consideratio ad notitiam loci, sicut infiniti cognitio ad cognitionem finitæ quantitatis conducit.

Obiect. 2.

Obijcitur secundò: Ens rationis est scibile: Ergo in aliqua scientia scibile: in nulla autem videtur potiori iure scibile, quam in Metaphysica: ergo est scibile in Metaphysica tanquam pars obiecti eius.

Resp.

Respondeo quidem suo modo esse scibile; verùm quia adeò tenui & exigua scibilitate scibile esse comperitur, sufficiens non est quòd ab aliqua scientia per se spectetur, sed sufficit si per accidens. Hoc modo Doctor Subtilis in 4. dist. 1. quæst. 2. dicit Ens rationis non esse propriè & per se definibile, quia non tam est Ens, quàm defectus Entis, non tam quid, quàm quidditatis carentia.

Scotus in 4. dist. 1. q. 2.

Secunda Conclusio.

ENs reale, quatenus complectitur tam Entia per se, quàm Entia per accidens, non est Metaphysicæ subiectum.

Arist. 5. 6. & 7. Metaphysic.

Probatur ex Aristotele 5. 6. & 7. Metaphys. Item ex Doctore Subtili in suis commentariis in illos libros, & in 4. dist. 1. quæst. 2. §. *hic primò*: vbi docet Entis per accidens non dari aliquam vnam rationem aut aliquem conceptum vnum, quod tamen requiritur ad hoc, vt sub considerationem scientificam cadere possit.

Scotus in suis comment. & in 4. dist. 1. q. 2.

Porrò obseruandum est hîc cum Doctore Subtili 6. Metaphys. ca. 2. duplex esse Ens per accidens; vnum quod opponitur Enti per se, quatenus Ens est: & hoc Ens per accidens est aggregatum quoddam ex rebus diuersorum generum; vt sunt, homo albus, album dulce, & similia. Aliud est Ens per accidens, quod licet sit Ens per se in entitate sua; dicitur tamen per accidens ratione causæ à qua fit, quæ non ipsum, sed aliud naturaliter intendit, & istud Ens per accidens dicitur Ens fortuitum & casuale.

Scotus 6. Metaphysic. ca. 2. Ens per accidēs duplex.

Vtrumque autem reijcitur à ratione subiecti Metaphysicæ: Primum quidem, quia non tam est vnum, quàm multa, non tam

Ens, quàm Entia; proindeque non tam ad vnam, quàm ad varias ſcientias pertinens.

6. Metaphyſic. in fine. Secundum verò, quia eius cauſa eſt indefinita & indeterminata, vt docet Ariſtoteles 6. Metaph. in fine; obiectum autem ſcientiæ debet eſſe determinatum, neceſſarium, & eodem ſemper modo ſe habens.

Quod, meo iudicio, non ſatis ponderauit Suarez tom. 1. Metaph. diſput. 1. ſect. 1. num. 4. vbi contra mentem Ariſtotelis aſſerit à conſideratione Metaphyſica eſſe ſolum reijciendum Ens per accidens in ratione Entis, non verò in ratione effectus, ſeu quod ex accidente, contingenter, & præter intentionem agentis efficitur.

Obiect. Obijcies; Omnes ferè ſcientiæ Mathematicæ ſubalternæ ſunt de Entibus per accidens priori modo ſumptis, vt perſpectiua de linea viſuali, & Muſica de numero ſonoro: ergo Ens per accidens priori modo ſumptum non eſt arcendum à conſideratione Metaphyſica.

Reſp. Reſpondeo diſtinguendo Antecedens, illa nimirum eſſe Entia per accidens, ratione extremorum & vnionis eorum ad inuicem, quia extrema ex quibus conſtituūtur huiuſmodi Entia per accidens, non ſunt verè vnum, nec vnica generatione generantur: ratione tamen alicuius vnius proprietatis demonſtrabilis de illis ſic vnitis, illud totum in quo ſic vniuntur extrema diuerſi generis ad producendum aliquam vnam proprietatem, non debet cenſeri Ens omnino per accidens, ſed per ſe, perſeitate ſcilicet paſſionis demonſtrabilis de illo toto, quia vt loquitur Scotus noſter 6. Metaph. q. 2. vbi hanc rem tractat ex profeſſo: *Totum illud poteſt multas paſſiones includere, quas ſimul neutra pars per ſe includit:* non eſt tamen Ens per ſe perſeitate extremorum aut vnionis extremorum. De illo toto itaque vt conſtituto extremis diuerſi generis, non poteſt eſſe vnica notitia incomplexa, quia vtrumque illorum diuerſis notitiis incomplexis apprehenditur, putà numerus & ſonus in Muſica: de illo etiam in ordine ad illas paſſiones, quæ illi ſic poſſunt competere, non poteſt haberi ſcientia etiam complexa, demonſtratiua, & propriè dicta omnino vna, ſaltem vnitate ſpecifica: quia de alterutra parte ſeorſim ſumpta poſſunt haberi ſcientiæ ſpecie diſtinctæ: Poteſt tamen haberi ſcientia complexa vna vnitate generis proximi vel remoti: quod rectè ponderauit Scotus noſter loco citato, & poſt ipſum Fonſeca 6. Metaphy. cap. 2. q. 1.

(Scotus 6. Metaphyſic. q. 2.)

(Scotus ibidem & Fonſeca 6. Metaphyſic. ca. 2. q. 1.)

Tertia Concluſio.

DEvs ſolus non eſt totale & adæquatum obiectum Metaphyſicæ, (ſupl. hominū arbitrio conſtitutæ) ſed partiale tantum, magis tamen nobile. Concluſio primâ fronte videtur eſſe contra Doctorem Subtilem 1. Metaph. q. 1. vbi oſtendit defendi poſſe in fauorem Aben-Roïs Deum eſſe ſubiectum Metaphyſicæ: Sed vel ingenij ſubtilitate, vel ex modeſtia, fortè non auſus Commentatoris opinionem omnino reijcere, id probabiliter aſ-

(Cōcluſio eſt contra auerroem, & videtur etiam contra Scotum 1. Metaphyſic. q. 1.)

seruit, cùm alibi sæpè, præsertim sexto huius quæstionis 4. relicto Commentatore descendat in sententiam Aristotelis 4. huius in principio,& Auicennæ 1.Metaph. cap. 2. vbi dicit primum subiectum huius sententiæ, esse Ens in quantum Ens. Licet itaque & Aristotelis & Doctoris Subtilis testimonio, & rei veritate conclusio sit rectè posita; videndum tamen quibus stabiliri possit rationibus. Auicenna ideò putat Deum hîc non esse subiectum, quia demonstratur in hac scientia: Nulla autem scientia probat subiectum suum esse, sed supponit; ideò Commentator Aben Roïs 1. Physic commento vltimo è contrà docet Deum & Intelligentias, seu vt ipse loquitur, genus substantiarum separatarum non probari hîc, sed in sola Philosophia naturali, quatenus illas esse huius scientiæ subiectum melius conuincat. Rationem Commentatoris non probat Scotus 1. Metaph. q. 1. quia Metaphysica æquè benè probat primum Ens, sicut Physica probat primum mouens. Nec enim existimat ad exclusionem alicuius à ratione obiecti alicuius scientiæ, conferre quòd demonstretur in tali scientia quo ad an sit? Ideóque etiam quod ratio Auicennæ non sit satis ad probandum Deum non esse subiectum huius scientiæ, Sic ostendit Doctor.

Omnis scientia vtitur vel potest vti demonstratione quia: ergo probat vel probare potest suum subiectum esse, saltem à posteriori. Antecedés supponitur; consequentia probatur: In omni scientia, quæcumque considerantur, vel sunt effectus, vel partes, vel proprietates, vel aliquid aliud quod refertur ad subiectum. ergo ex eorum omnium existentia potest inferri subiecti existentia, vel saltem existentiæ non repugnantia; quia ista non possunt esse sine subiecto, quod est illorum causa, vel principium, vel totum. Præterea in Elenchis probatur Syllogismus Sophisticus, qui tamen ibi est subiectum. Ergo ex eo quod, Deus probetur hîc à posteriori, non rectè infertur ipsum non esse huius scientiæ subiectum; quia licet nullius scientiæ subiectum probari possit à priori, quia illud est reliquorum omnium primum: tamen probari à posteriori nihil prohibet. Scio hanc impugnationem non omnibus placere, sed de hoc aliàs. Alij probant Deum non esse hîc subiectum, quia non habet conditiones requisitas ad rationem subiecti, nimirum, principia, partes, & proprietates: sed hac ratione concludendum esset ipsum nullius planè scientiæ posse esse subiectum, proinde nec etiam Theologiæ reuelatæ, Ad hæc itaque sic respondet Doctor dicta q. 1. lib. 1. Metaph. §. ad quæstionem istam. *Deus habet multas proprietates vt esse appetibile, esse immobile, esse perpetuum, & primum mouens, & alias huiusmodi; hæ antè posterius aliquo modo concipiuntur secundum se, quàm essentia Dei absolutè, quia dicunt respectum ad extra.* Scotus 1 Metaphisic q. 1. §. ad quæstionē istam.


Nec oportet semper proprietatem esse aliud essentialiter ab illo cuius est: licet hoc semper sit in creaturis, vbi propter imperfectionem, habens non est, quidquid habet: vnde in eo est compositio actus & potentia; in Deo

autem omnes perfectiones existentes illimitatè sunt idipsum, quod est essentia eius, propter summam simplicitatem: tamen qualibet formaliter differt ab essentia, & talis differentia sufficit ibi inter proprietates & subiectum, sicut in creaturis differentia realis. Ideo in Deo potest esse demonstratio, non per causam priorem: sed per rationem aliquam priorem naturaliter altera; sicut per infinitatem demonstratur immensitas à priori. Nec oportet quodlibet subiectum habere principia priora se: sed principia proprietatum per qua sua proprietates sibi inhæreant, si de ipso sit demonstratio propter quid: de Deo autem, de quo præsertim est demonstratio quia; loco talium principiorum, sumuntur effectus pro medio, per quod concludimus perfectiones de Deo, tanquam per medium notius nobis. Ex his itaque patet rationem superius allatam non conuincere Deum non esse subiectum Metaphysicæ.

Suarez tom.1. Metaphysic. disput. 1.sect.1. num.10 Alij dicunt, ideo Deum non esse subiectum adæquatum huius sciétiæ, quia Metaphysica solo discursu naturali procedit. Ergo non attingit Deum prout in se est, sed quantum ex creatutis manifestari potest naturali lumine intellectus humani. Quo fit vt neque Metaphysica, neque vlla scientia naturalis ipsum attingat vt adæquatum obiectum: quia ratio sub qua respicitur, semper communis est aliis rebus creatis.

Refellitur. Ista tamen ratio videtur adhuc diminuta. Nam licet sit efficacissima respectu Metaphysicæ prout est in intellectu nostro qui per illam sic procedit, vt ex intuitu creaturarum colligat vniuersalissimas rationes, quas semotis imperfectionibus, attribuit Deo, vt habet Scotus in 1. dist. 3. q. 2. §. *Secundò non asserendo*, circa finem: tamen nihil probat de processu Metaphysicæ in se spectatæ, quæ sicut in intellectu nostro per cætera Deum inquirit: Ita in se, & in intellectu perfectiori, vel in statu perfectiori constituto, ex notitia Dei naturali, cætera potest coguoscere: Nam hunc vtrumque processum satis rationabiliter & acutè perpendit Scotus noster 1. Metaph. q. 1. §. *His sic pertractatis: Talem Metaphysicam*, inquit, *potuissent fortè Angeli habere, si fuissent multo tempore viatores, & ex notitia naturali Dei potuissent discurrendo aliorum notitiam acquirere. Secundo modo tamen potest nunc homo Metaphysicam habere (quidquid sit de notitia naturali beati, vel in statu innocentia) quia nunc omnis nostra cognitio oritur ex sensu. tantum igitur sic potuit tradi à Philosopho.* Hæc Scotus. Scotus in 1. dist.3.q. 2. Scotus 1.Metaphysic. q. 1.

Mihi videtur itaque præcisam huius rei rationem desumendam esse ex ipsa natura Metaphysicæ, quæ cùm sit per se habitus communium rationum & generalium Entis affectionum, occupari tota non debet circa vnam solam determinatam speciem Entis, qualis est Deus: quod etiam experientia confirmatur. Neque enim Metaphysici in suis libris solius Dei persequuntur rationes: sed eorũ omnium quæ Deo & creaturis communia sunt. Confirmatur authoritate Doctoris subtilis quæst. 3. prologi sentent. q. 2. laterali, §. *Ad primum argumentum secunda quæstionis*, vbi habet: *Ad secundum dico quòd Metaphysica non est de Deo* Scotus q.3.prologi sent.



tanquam de primo subiecto, quod probatur; quia præter scientias speciales, oportet esse aliquam communem, in qua probentur in communi omnia, quæ sunt communia illis specialibus: Igitur præter scientias speciales, oportet esse aliam communem de Ente, in qua tradatur cognitio passionum de Ente, quæ supponitur in alijs scientiis specialibus. Si igitur aliqua est naturaliter de Deo præter istam; est alia naturaliter scita de Ente inquantum Ens. cum vero probatur; est scientia de Deo per Philosophum lib. 6. Metaph. Dico, quod ratio eius sic concludit. Nobilissima scientia est circa nobilissimum genus, vel, vt primum obiectum, vel, vt consideratum in illa scientia, perfectissimo modo quo potest considerari, in aliqua scientia naturaliter acquisita Deus vero etsi non est subiectum primum in Metaphysica: est tamen consideratum in illa scientia, nobilissimo modo quo potest in aliqua scientia naturaliter acquisita considerari.

Occurritur. Nec occurri potest dicendo cætera quæ considerantur in Metaphysica præter Deum, considerari in ordine ad ipsum: sicut considerantur in Physicis materia & forma in ordine ad corpus naturale; & in libris Perihermenias nomen & verbum in ordine ad enuntiationem; nam quamuis omnia creata referantur ad Deum, relatione Physica, & effectus ad causam: non tamen referuntur ad ipsum relatione Metaphysica & scientifica, quâ in aliqua scientia totali, in qua partes & totum considerantur, potius partes ad totum, quàm totum ad partes referri debent; ideoque cum Ens & alia superiora prædicata habeant rationem totius potentialis respectu Entis infiniti & finiti, in Metaphysica, inuerteretur ordo, si ista ad Deum qui est veluti pars subiectiua illius totius, referrētur.

Soluitur.

Obiectio ex Arist. 6. Metaphysic. cap. 1. Obiicitur 1. Aristoteles 6. Metaph. cap. 1. vbi distinguit tres partes scientię speculatiuæ, dicens Physicam esse circa inseparabilia & mobilia: Mathematicam circa immobilia, & inseparabilia; primam vero Philosophiam circa separabilia & immobilia, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ. ergo Metaphysica est de substantiis separatis, vt obiecto.

Solutio ex Scoto 1. Metaphysic. q. 1. Scotus noster 1. Metaphy. q. 1. tres affert solutiones ad hoc argumentum. Prima est diuisionem illam scientiarum speculatiuarum esse fortè per principia & non per subiecta, nam ex 1. Poster. cap. 1. scientiæ etiam distinguuntur penes principia; & fortassis magis propriâ & intrinsecâ distinctione, quàm per subiecta; & iuxtam hanc solutionem argumentum nihil probat. Secunda, si diuisio sit penes obiecta, significari separabilia & immobilia secundum esse, non esse subiecta, sed tantum principales partes subiecti huius scientiæ. Tertia, Metaphysicam esse circa separabilia & immobilia, quia cuncta considerat separata à motu & ab omni materia secundum esse, vel secundum considerationem. Cùm igitur circa immobilia & separabilia secundum esse, & considerationem occupetur: sola immobilia & separabilia secundum esse, cuiusmodi sunt substantiæ separatę, non sunt huius scientiæ totalis, & adæquata materia.

ie- o.2. eodē iſt.

Obijcitur 2. Idem Ariſtoteles in Prologo Metaphyſicę vocat hãc ſcientiam diuinam, quia eſt rerum diuinarum. Item Theologiam, li. 6. alibi, ſcientiam præſtantiſſimã, & honorabiliſſimam, & non niſi quia agit de Deo: ergo Metaphyſica eſt de Deo vt obiecto adæquato.

olutio

Reſpondeo dici Theologiam, quia diſputat de Deo, nõ vt de obiecto totali & adæquato, ſed tanquam de nobiliſſima ſpecie Entis: quemadmodum Phyſica dicitur Animaſtica, quia nobiliſſima pars illius diſputat de anima. Eadem ratione dicitur ſcientiarum præſtantiſſima, & honorabiliſſima. ex quibus colligitur veritas eius quod in concluſione dictum eſt, nimirum Deum eſſe obiectum partiale, magis tamen nobile huius ſcientiæ. Reſpondet ſecundò Scotus noſter 4. Metaph. q. 2. Metaphyſicam dici poſſe Theologiam, *non à ſubiecto, ſed à cauſa: Sicut naturalis ſcientia*, inquit, *dicitur à natura, quæ non eſt ſubiectum illius ſcientiæ, ſed principium ſubiecti.*

Altera Solutio ex Scoto 4. Metaphyſic. q. 2.

Quarta Concluſio.

SVbſtantia immaterialis quatenus ſolum Deum comprehendit & Intelligentias, non eſt obiectum adæquatum Metaphyſicæ: imò nec pars ſubiectiua eius ſecundum peculiarem rationem ex propria quidditate deſumptam conſiderata. Prior pars Concluſionis eſt aduerſus quoſdam quos refert noſter Antonius Andreas ex mente Doctoris Subtilis 1. Metaph. q. 1. art. 2. & probatur. Dantur quædam rationes communiſſimæ & vniuerſaliſſimæ quæ abſtrahunt tàm à ſubſtantia immateriali, quàm à materiali, vt ſunt rationes Entis, eſſentiæ, ſubſtantiæ, ſubſiſtentiæ, & ſimiles, de quibus ſecundum adæquatam rationem tradi poteſt aliqua ſcientia: Nam his rationibus reſpondent principia & proprietates. Sed nulla alia ſcientia præter Metaphyſicam, has rationes conſiderat. Igitur Metaphyſica erit de his communiſſimis rationibus, vt de obiecto adæquato: proindeque obiectum eius erit ſub vniuerſaliori quadam ratione deſignandum, quam ſub ratione ſubſtantiæ immaterialis.

Antho-nius Andreas 1. Metaphyſic. q. 1. art. 2.

Secunda pars probatur: Metaphyſica non diſputat de ſubſtantiis immaterialibus & ſeparatis ſecundum proprias earum rationes à priori, vt probat Doctor Subtilis q. 1. prologi ſententiarum ratione tertia contra Philoſophos. Primò quia vt ſic non includuntur virtualiter in primo ſubiecto Metaphyſicæ, ſcilicet in Ente, de quo tractat Metaphyſica in communi, non in particulari.

Scotus q. 1. prologi ſent. ratione 3.

Præterea non poſſunt cognoſci proprietates ſubſtantiarum ſeparatarum, nec earumdem proprietatum connexio cum ſuis ſubiectis, niſi cognoſcantur ipſa earum ſubiecta in quibus includitur ratio, ſeu *propter quid* prædictæ connexionis huiuſmodi proprietatum cum ſuis ſubiectis: ſed hæc propria ſubiecta non ſunt à nobis pro hoc ſtatu naturaliter cognoſcibilia.

Quia quidquid naturaliter pro hoc ſtatu cognoſcimus, illud debet eſſe ſenſibile, cuiuſmodi non

ſunt ſubſtantiæ immateriales: Ergo naturaliter non poſſumus cognoſcere proprietates ſubſtantiarum ſeparatarum, nec earumdem proprietatum connexionem cum ſuis ſubiectis. Denique à poſteriori & ex effectibus, non poſſunt etiam cognoſci ſubſtantiæ ſeparatæ ſecundum ſuas peculiares rationes: nam effectus vel relinquunt intellectum dubium quo ad iſtas rationes, vel in errorem inducunt, quod apparet ex proprietatibus primæ ſubſtantiæ immaterialis. Vna enim ex proprietatibus naturæ eius ad intrà, eſt quòd ſit communicabilis tribus, ſed effectus naturales non oſtendunt iſtam proprietatem, quia non producuntur à Deo quâ trinus eſt: Quare ſi ab effectibus arguatur ad cauſam, potiùs in oppoſitum quàm in propoſitum, in errorem quàm in veritatem pertrahunt; quia in nullo effectu inuenitur vna natura numero niſi in vno ſuppoſito. Item vna ex eiuſdem naturæ proprietatibus ad extrà eſt cauſare contingenter: effectus tamen ducunt in contrarium, vt patet ex opinionibus Philoſophorum, qui dixerunt primam cauſam neceſſariò cauſare. Illud idem patet de proprietatibus aliarum ſubſtantiarum, quia effectus magis ducunt in æternitatem & neceſſitatem earum quàm in contingentiam & nouam creationem. Propterea ex motibus cœlorum deduxerunt Philoſophi non plures eſſe ſubſtantias ſeparatas, quot ſunt orbes mobiles, quod tamen falſum eſt. Item dixerunt eiuſmodi ſubſtantias eſſe naturaliter beatas, & impeccabiles, quæ omnia ſunt abſurda. ergo neque à priori, neque à poſteriori, cognoſcit Metaphyſica Subſtantias ſeparatas ſecundum proprias earum rationes. Ita ferè Scotus vbi ſuprà. Quod tamen ſemper intelligendum eſt de earum maximè propriis rationibus: Alioquin enim certum eſt nos ex ſenſibilibus aliquas etiam earum rationes vltra communiſſimas rationes Entis poſſe venari, vt quod verbi gratia, ſint à materia ſecretæ, motrices, mente prædità; aliàs enim vltra communiſſimam conſiderationem Entis, ſequeretur Metaphyſicam ad Deum & Intelligentias tanquam ad peculiares ſui obiecti partes non deſcendere. Conſultò verò diximus, pro hoc ſtatu, quia intellectus à materia ſeparatus naturaliter pertingere poteſt ad cognitioné ſubſtantiarum ſeparatarum ſecundum aliquas proprias earum rationes: pro hoc ſtatu autem, quia non ita nobis innoteſcunt, iuuamur auxilio fidei, quod cum lumine naturali coniunctum, nobis ſubminiſtrat optimam proprietatum & rationum ſubſtantiarum ſeparatarum cognitionem. Itaque ſubſtantiæ ſeparatæ duobus modis ſpectantur. Primò ſecundum proprias earum rationes ex propria quidditate depromptas: Secundò penes illas quas ex ſenſibilibus venamur. Priori modo ad neutram Metaphyſicam ſpectant, nec ad purã, nec ad illam quę hominum arbitrio conſtituta eſt: Non ad illam, quippe quæ eſt de ſolo ente, & de his quæ ad ſubſtantias abſtractas, & cum materia concretas communia ſunt.

Non

Non etiam ad hanc, propter rationes nunc allatas. Posteriori modo spectatæ, ad Metaphysicam hominum arbitrio constitutam pertinent, quæ est de Ente, de Deo, & de Intelligentiis, quatenus per rationes sensibiles à nobis cognosci possunt.

Obiectio 1. ex Arist. 6. Metaphysic.

Objicitur primò contra priorem partem: Aristoteles 6. Metaphysicæ textu 3. dicit: *Si igitur nulla sit alia substantia præter eas quæ natura constant, naturalis sanè facultas prima scientiarum erit. Si verò substantia sit in ratione rerum quædam immobilis: hæc erit profectò prior, Philosophiaque prima & vniuersalis hoc pacto.* Quibus verbis sentit naturalem Philosophiam fore primam, si non sint substantiæ immateriales. Ergo tota ratio obiectiua huius scientiæ, quæ illam suo modo constituit, & ab aliis distinguit, est substantia immaterialis: hæc ergo erit adæquatum obiectum eius.

Solutio ex Scoto.

Respondeo concessa authoritate & explicatione eius, negando consequentiam. Si enim nulla esset substantia immaterialis, tunc omne Ens esset Physicum & naturale; proindeque considerationis Physicæ, vt docet Doctor Subtilis eo loci: ex quo propterea non sequitur solam substantiam immaterialem esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, per quod à cæteris scientiis distinguitur; aliàs non diceret Philosophus hanc scientiam esse vniuersalem: sed solùm ablatâ substantiâ immateriali, non fore amplius rationes communes substantiis materialibus, & immaterialibus, quæ rationes constituunt obiectum adæquatum huius scientiæ primæ & vniuersalis, cuius est de Ente inquantum est Ens speculari, vt subiungit idem Philosophus: quare existente solâ substantiâ materiali, datâ illâ hypothesi, omnia forent materialia, naturis constantia, & ad Physicam, tunc scientiarum primam, spectantia.

Obiectio 2. ex Arist. 4. Metaphysic. cap. 2.

Objicitur secundò contra eamdem partem idem Aristoteles 4. Metaphysic. cap. 2. vbi habet: *atque tot sunt Philosophiæ partes, quot substantiæ sunt.* At duplex est tantum substantia, materialis vna, immaterialis altera: ergo duplex erit Philosophiæ pars, duplexque scientia, altera de substantia corporea naturali, nimirum Physica, altera de immateriali, Deo scilicet & Intelligentiis, nempe Metaphysica. Respondeo primò cum multis modernis concedendo totum argumentum: nam reuera quot sunt substantiæ, tot sunt scientiæ de substantia. Non sequitur tamen quòd Metaphysica sit de substantia immateriali vt de adæquato obiecto, quemadmodum Physica est adæquatè de substantia corporea naturali: sed sufficit quòd de substantia immateriali sit aliqua scientia, sicut & de substantia materiali, licet non eodem modo.

Responsio 1.

Respondeo secundò authoritatem Aristotelis sic esse intelligendam, quemadmodum docet Doctor Subtilis & noster magnus Alexander in illum locum, vt tot sint partes Philosophiæ, scilicet huius, quot sunt substantiæ: nam licet Metaphy-

Responsio 2. ex Scoto & Alexandro Alensi.

sica sit vna, quasdam nihilominus habet partes subiectiuas, quarum altera agit de substantia sensibili, non quidem per se, sed per accidens, continetur que septimo & octauo libris, & ista pars, inquit Scotus, est prima primitate doctrinæ, quia omnis doctrina incipit à notioribus: altera disputat de substantia insensibili & immateriali, & continetur duodecimo huius, estque posterior posterioritate doctrinæ, licet sit prior prioritate dignitatis & intentionis huius scientiæ.

Obiectio 3. Obijcitur tertiò contra eamdem partem; Obiectum Metaphysicæ abstrahit ab omni materia: sed sola substantia immaterialis abstrahit ab omni materia: Ergo sola substantia immaterialis est obiectum huius scientiæ.

Responsio. Respondeo distinguendo maiorem, nimirum Metaphysicam abstrahere ab omnia materia permissiuè seu per aliud; non formaliter & per se: Nam Ens abstrahit tantum à materia, ratione substantiæ immaterialis, in qua reperitur absque materia, licet ratione substantiæ materialis non abstrahat à materia saltem secundum esse, cùm in ipsa non existat absque materia.

At verò substantia immaterialis per se & secundùm se abstrahit. propter hanc autem diuersitatem abstractionis ab omni materia repertam in Ente, vt sic, & in substantia immateriali, non censuerunt multiplicandos habitus totales Metaphysicæ, Philosophi, quorum alter occupetur circa ea quæ abstrahunt tantùm à materia permissiuè, & per aliud; alter verò circa ea quæ abstrahunt à materia per se: quia vnicam Metaphysicam ita nostro captui accommodarunt quæ pro vtrisque sufficeret.

Quinta Conclusio.

Conclusio est aduersus Mirandulanum. ENS solum prædicamentale quod in decem prædicamenta diuiditur nō est obiectum adæquatum huius scientiæ. Conclusio est aduersus Mirandulanum & quosdam alios, & probatur: Aliquod Ens non prædicamentale, putà Deus, est aliquo modo naturaliter scibile: Ergo in aliqua scientia scibile: Sed nulla alia scientia potest excogitari ad quam potiori iure spectet, quàm ad Metaphysicam, cùm sit omnium scientiarum naturalium prima & dignissima: Ergo aliquod Ens non prædicamentale est Metaphysicæ considerationis, proindeque solum Ens prædicamentale non est obiectum adæquatum eius. Ista quidem ratio procedit de Metaphysica vt hominum arbitrio constituta. De Metaphysica autem ex natura rei posset probari conclusio, ex eo nimirum, quia differit de ijs, quæ sunt cōmunia Enti prædicamētali & non prædicamentali: Nam Ens reale in tota sua latitudine considerat, & non tantùm Ens prædicamentale.

Obiectio 1. Obijcitur primò Aristoteles, qui postquàm libro sexto Metaph. docuit subiectum huius scientiæ esse Ens, posteà libro septimo diuidit hoc Ens in decem prædicamenta. Ergo voluit Ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, esse obiectum huius scientiæ.

Responsio. Respondeo negando Aristotelem illud idem Ens quod constituit obiectum Metaphysicæ di-

misisse posteà in decem prædicamenta: sed aliud inferius ipso, nempe Ens causatum: quod ex eo confirmatur, quia duodecimo Metaph. disputat de prima substantia quæ est Ens incausatum.

Obiectio 2. Obijcitur secundò: Deus & Intelligentiæ (illi enim reijciunt etiam Intelligentias à prædicamentis) non spectant ad Metaphysicam nisi per accidens & extrinsecè, quatenus scilicet sunt principia & causæ obiecti illius: Ergo non per se vt obiectum, vel vt pars obiecti.

Solutio. Respondeo negando antecedens; quia hæc scientia non solùm considerat Deum & Intelligentias sub ratione principij vel causæ, sed illas proprietates & attributa de eis perquirit, quæ potest lumine naturali consequi. Confirmatur ex Aristotele 4. Metaph. textu septimo, vbi ait Metaphysicam superare Philosophiam naturalem, quia considerat primam substantiam & alias substantias abstractas, nimirum vt præcipuum obiectum: Nam vt extrinseca principia, etiam à Philosopho naturali, aliquo modo considerantur, vt patet ex 8. Physicorum. Ita Anthonius Andreas lib. 1. Metaphisicæ, q. 1. respondendo ad secundum argumentum principale. (Anthonius Andreas 1. Metaphysic. q. 1.) Obserua tamen quòd ista semper procedunt de Metaphysica vt hominum arbitrio constituta, & nostro captui accommodata.

Sexta Conclusio.

SVbstantia vniuersaliter sumpta prout est indifferens ad substantiam materialem & immaterialem, finitam, & infinitam, non est adæquatum obiectum huius scientiæ. Conclusio videtur contra Niphum & quosdam alios, & probatur 1. authoritate Aristotelis 4. Metaphy. textu 1. vbi docet Metaphysicam agere de Ente vt Ens est, & reliquas scientias abscindere sibi partem Entis: sed substantia est tantum pars Entis, ergo illa non est Metaphysicæ considerationis adæquata materia. (Est cōtra Niphum. 4. Metaphysic. c. 1.) Probatur 2. ratione: Proprietates quæ demonstrantur de Ente in hac scientia, sunt communes substantiæ & accidentibus, sicut & Ens ipsum: ergo sola substantia, excludendo accidentia, non est adæquatum obiectum huius scientiæ.

Obiectio 1. ex Arist. 7. Metaphysic. cap. 1. Obijcitur 1. authoritas Aristotelis 7. Metaph. cap. 1. in fine, vbi post diuisionem Entis in substantiam & accidentia, ita concludit: *Quapropter nobis maximè & primum & solùm (vt est dicere) de sic Ente speculandum quid est.* Id est, nobis incumbit hîc solùm disputare de substantia.

Responsio. Respondeo cum Doctore Subtili hîc, Metaphysicam quidem principaliter, non tamen solùm, disserere de substantia: & ideò notanter ait Aristoteles: *solùm (vt est dicere)* vel *(vt ita dicam) de sic Ente*, hoc est, de substantia, *speculandum est*. Hæc enim particula *(vt est dicere)* est oratio diminuens, quâ solemus vti per exaggerationem in his quæ non habent omni ex parte veritatem. Videri poterit idem Scotus in 2. dist. 3. q. 4. contra istam conclusionem: Vbi docet Metaphysicam *determinare de substantia tanquam de primo*, & principali obiecto suo.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Accidentia considerantur in Metaphysica tantùm quatenus proprietates substantiæ. Ergo sola substantia est obiectum adæquatum eius. Antecedens manifestatur exemplo Philosophiæ naturalis, in qua considerantur accidentia tanquam proprietates corporis naturalis. Consequentia verò probatur. Nulla scientia demonstrans proprietates aliquas de subiecto, habet pro subiecto, aliquid commune subiecto & proprietatibus eius. v.g. scientia quæ demonstraret aliquas proprietates de homine, non haberet pro subiecto, aliquid commune homini & proprietatibus demonstrabilibus de ipso: sed, ex antecedente, Metaphysica considerat accidentia tanquam proprietates demonstrabiles de substantia: ergo non habet pro subiecto aliquid commune substantiæ & accidentibus, sed solam substantiam.

Responsio. Respondetur negando antecedens: neque enim Metaphysica demonstrat primò accidentia, putà quantitatem & qualitatem de substantia: sed potius vnum, verum & bonum de Ente: Adde quòd, si verum esset antecedens, sequeretur solam substantiam de qua demonstrari possent accidentia, scilicet finitam, esse subiectum adæquatum Metaphysicæ: non enim demonstrari possunt accidentia de substantia infinita, quippe quorum non est receptiua. Hinc vlterius sequitur quòd si substantia secundùm se, ponatur adæquatum obiectum Metaphysicæ, assignari debent proprietates quæ de ipsa, vt sic, demonstrentur, quæ quidem vt patet, non possunt esse accidentia, quæ considerantur in Metaphysica. Ad exemplum de Philosophia naturali: Respondeo negando paritatem, tum quia accidentia quæ spectantur in Philosophia naturali, sunt proprietates reciprocæ cum omni planè corpore naturali: non sic autem accidentia spectata in Metaphysica, respectu substantiæ, vt dictum est: tum quia Metaphysica est scientia vniuersalissima, quæ complectitur omnia entia, ac per consequens accidentia, tanquam partes obiecti sui adæquati, maximè cùm de illis Ens, & Entis communes affectiones, absolutè enuntiari possint.

Porrò aduerte hanc sententiam eò faciliùs à nobis defendi, quia admittimus vnum conceptum obiectiuum Entis communem substantiæ & accidenti: qui enim huiusmodi conceptum non admittunt, nihil habent reale abstractius substantia & accidēte, quod possint statuere huius scientiæ obiectum adæquatum. Sed de hoc infrà.

Septima conclusio.

Ens reale inquantum Ens, est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Hanc conclusionem iam satis superque probatam ex confutatione aliarum opinionum, iterum optimè probat noster Antonius Andreas. 1. Metaph. q. 1. art. 3. conclus. 3. hoc pacto: *Hanc*, inquit, *ostendo sic. primò authoritatibus, secundò rationibus; authoritatibus scilicet Aristotelis, qui postquam distinxit 6. Metaph. tres partes scien-* Antonius Andreas 1. Metaphysic. q. 1. art. 3. conclus. 3.

tia speculatiua : quærit vtrùm prima Philosophia sit vniuersalis , aut circa aliquod genus determinatum? Soluit dicendo quòd est vniuersalis, & inde circa finem solutionis dicit : De Ente inquantum Ens , huius vtique erit speculari. Præterea ibidem in 6. dicit quòd si non est altera substantia, præterquam naturâ consistens , tunc physica erit prima scientia: quia physica tunc esset de omnibus Entibus, sicut nunc est de omnibus naturalibus; quia tunc omnia Entia essent naturalia. Sed nunc de omnibus naturalibus primum subiectum eius est aliquod commune omnibus naturalibus. Ergo subiectum primæ scientiæ est aliquid communissimum , Aliter consequentia Aristotelis esset nulla. Illud autem communissimum non est nisi Ens.

Probatur denique rationibus.

Primò sic. Illud est subiectum cuiuslibet scientiæ , cuius per se primò sunt passiones, quæ considerantur per se in illa scientia. Sed nihil ab Ente est huiusmodi; quia passiones quæ considerantur in Metaphysica sunt per se primò illius: Ergo Ens, & nihil aliud , est subiectum primum huius scientiæ. Maior est euidens accipiendo per se primò, *vt accipit Aristoteles 1.Post. cap. de vniuersali, vbi dicit illud inesse primò alicui , quod scilicet inest ei secundùm quod ipsum, & non per aliud , sed omni alij inest per ipsum. Hæc est enim conditio primi subiecti cuiuslibet passionis. Sed minor patet quantum ad vtramque partem; quia passiones Metaphysicæ , putà vnum, verum, bonum, vnum & multa , actus & potentia, idem & distinctum, non sunt alicuius inferioris Entis per se primò , sed cuiuslibet inquantum Ens, nam aliàs non conuenirent omni Enti : ergo sunt per se primò passiones Entis inquantum Ens.*

Præterea si Metaphysica esset de aliquo genere determinato , & non de Ente in quantum Ens : tunc aliqua scientia esset prior & superior ista; consequens est falsum , quia iam ista diceretur impropriè ab Aristotele 6.huius, & 1.de Generat. & alibi frequenter prima philosophia , quia nihil est prius primo. Probatur autem consequentia : Illud genus determinatum de quo esset Metaphysica , haberet aliquid superius ad ipsum , de quo per se primò possent aliquæ proprietates demonstrari in aliqua scientia. Ergo eadem passiones essent demonstrabiles de subiecto huius scientiæ, accipiendo pro medio illud subiectum superius cuius essent illæ passiones primò, quo modo v. g. probatur Isocelem habere tres angulos , sumendo pro medio triangulum , qui est aliquod superius , cui primò conuenit habere tres angulos. Et ita illa scientia de subiecto communiori demonstrabit aliquid tanquam conclusionem , quod accipitur hîc pro principio. Et sic simpliciter illa scientia erit prior & superior ista.

Præterea maxima scientia est circa maximè scibilia secundùm Aristotelem hîc in prologo. Sed Metaphysica est maxima scientia , secundum eundem , ibidem. Ergo est circa maximè scibilia. Maximè autem scibilia dicuntur dupliciter , vel quia primò omnium sciuntur , sine quibus alia non possunt sciri : cuiusmodi sunt communissima, vt Ens inquantum Ens , & quicquid consequitur Ens inquantum Ens : vel quia sunt certissima scibilia , cuiusmodi sunt principia & causæ , quæ tantò secundùm se certiora sunt , quantò

sunt priora. Ex illis enim dependet tota certitudo posteriorum. Ergo Metaphysica considerabit hæc vtraque maximè scibilia; nimirum Ens inquantum Ens, atque prima principia, & causas.

Octaua Conclusio.

RAtio formalis *qua* obiecti Metaphysicæ optimè explicatur per hanc notam reduplicationis (*inquantum Ens*) probatur. Ratio formalis, *qua*, est forma ceu ratio obiecti, quæ constituit ipsum formaliter in eo esse quod scientia per se considerat. At per particulam illam reduplicatiuam (*inquantum Ens*) exprimitur forma constituens ipsum Ens in eo esse quod Metaphysica per se considerat: Ergo per illam particulam exprimitur ratio formalis *qua* obiecti Metaphysicæ. Maiorem declarauimus prænotato secundo. Minorem sic probo. Illa ratio constituit obiectum scientiæ in eo esse quod illa scientia per se considerat, quæ est forma constituens ipsum in tali esse, cui vt sic insunt proprietates demonstrabiles de ipso in illa scientia: At per particulam illam (*inquantum Ens*) exprimitur forma vel ratio constituens Ens in tali gradu, cui vt sic insunt proprietates primò & per se, quæ de ipso etiam vt sic demonstrari possunt in Metaphysica; ergo per particulam illam (*inquantum Ens*) exprimitur ratio constituens ipsum Ens in tali esse, quod Metaphysica per se considerat. Maior iterum est certa: quia scientia omnis per se versatur circa subiectum suum, quatenus illud habet passiones, quæ per principia illius scientiæ demonstrari possunt in illa scientia cuius est obiectum. Minor etiam est euidens, quia Enti vt sic, & in illa amplitudine sumpto insunt proprietates cùm incomplexæ, vt vnum, verum, bonum; tùm complexæ, vt actus, & potentia, idem & distinctum, & cæt. quæ de Ente quatenus est Ens demonstrantur in Metaphysica: ergo per particulam illam, (*inquantum Ens*) exprimitur ratio constituens Ens in tali esse, cui vt sic insunt proprietates primò & per se, quæ de ipso vt sic, demonstrari possunt in Metaphysica. Et hanc quidem doctrinam non satis intellexit Niphus censor doctrinæ Doctoris subtilis, cùm 1. Metaphysic. disput. 1. cap. 5. respons. ad 9. docet per particulam hanc (inquantum Ens) reduplicari tantùm modum intelligendi: Ita vt obiectum Metaphysicæ sit omne illud quod intelligitur sub eo modo, sub quo Ens intelligitur. Nam hoc dicere, est confundere rationem formalem, *qua*, cum ratione formali, *sub qua*, obiecti Metaphysicæ: quæ tamen rationes longè differunt.

Porrò quia ratio, *per quam*, principaliter habet locum in scientia partiali: quia nimirum omnis conclusio per aliquam rationem priorem, scilicet per principium aliquod demonstratur: ideò hìc, vbi de scientia totali disputamus, illam omittimus. Quod spectat ad rationem formalem, *sub qua*, obiecti huius scientiæ; iam ex dictis & Aristotelis testimonio, & Philosophorum omnium consensu constat

esse abstractionem ab omni planè materia, cùm singulari, tùm sensibili, ac intelligibili. Quod si aliqua immersa materiæ consideres Metaphysica, id non per se, neque vt docens; sed vel per accideret, vel vt imperans id præstat, vt sequenti quæstione dicemus.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm Metaphysica consideret rerum omnium quidditates in particulari?



VÆSTIO supponit rerum quidditates esse in duplici differentia; quasdam communes, vt est quidditas hominis quà est ens & substantia; alias particulares, vt eiusdem hominis quidditas, quà est animal rationale. Quæritur itaque, an Metaphysica consideret peculiarem hominis quidditatem, quà animal rationale est? An solum communem, quà ens est & substantia? Pro huius quæstionis solutione,

Prænotandum est Metaphysicam, sicut & Dialecticam, duobus modis spectari posse, scilicet vt sunt habitus absoluti ex se & propriis limitibus contenti, & vt respiciunt alias disciplinas: Metaphysica quidem, prout illis imperat & præest: Dialectica verò, prout eisdem inseruit & famulatur. Hæc isto posteriori modo sumpta, dicitur vtens & famula: priori modo docens. Illa etiam priori modo docens, posteriori modo præses & imperans rectè dici potest. Atque hac ratione Aristoteles 4. Metaphy. cap. 2. tex. 5. Metaphysicam, Dialecticam, & Sophisticam ad inuicem comparauit; quòd hi tres habitus non contenti propriis limitibus circa totum ens negotientur; *Sed Metaphysica differt à Dialectica quidem modo potestatis:* addit Philosophus, *hoc est*, inquit Scotus noster, *Ratione maioris virtutis in probando: quia Metaphysica procedit certò & demonstratiuè; Dialectica verò incertò & opinatiuè.* A Sophistica verò differt *vitæ prohæresi*, hoc est, *electione & intentione finis*: quia Metaphysica intendit veritatem: Sophystica verò solam veritatis apparentiam. Hoc posito, sit 4 Metaphy sic. c.

Prima Conclusio.

Metaphysica absolutè spectata, saltem vt hominum arbitrio constituta, non solum considerat rationes vniuersales Entis, sed etiam peculiares rationes quarumdam specierum eiusdem Entis, scilicet Intelligentiarum, prædicamentorum, præsertim rationes substantiæ & accidentis, & generaliter eorum omnium, quæ æquè benè possunt esse & intelligi absque materia, atque cum materia, vt sunt rationes naturæ, essentiæ, virtutis, potentiæ, operationis, actionis, passionis, dependentiæ, independentiæ, causæ, effectus, & similes.

Probatur: quia vel ista sunt partes subiectiuæ obiecti Metaphysices, vel saltem conueniunt in abstractione illa sub qua Meta-

physica obiectum suum considerat.

Obiectio 1. ex Scoto. Obijcitur 1. Metaphysica non agit de Intelligentiis secundum proprias earum rationes, vt probatum est quæst. præcedente ex Doct. Subt. q. 1. prologi ratione 3. contra Philosophos.

Solutio. Respondeo non agere de illis secundum proprias rationes depromptas ex earum quidditate & natura, vt pote viâ sensus naturaliter incognita, sed secundùm eas, quas ex sensibilibus venari possumus, vt dictum est præcedenti quæstione.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Metaphysica abstrahit ab omni materia: sed sunt quædam prædicamenta quæ necessariò concernunt materiam saltem intelligibilem, vt quantitas, imò etiam sensibilem, vt Situs & Habitus: ergo Metaphysica non descendit ad considerationem peculiarem omnium prædicamentorum.

Solutio. Respondeo distinguendo maiorem, scilicet Metaphysicam abstrahere ab omni materia, ea quæ per se & primò considerat, non verò ea quæ sunt illi adiumento ad distinguenda ea quæ sunt peculiaris considerationis eius; vnde quia Substantia, Qualitas, Relatio, Actio, Passio & Vbi abstrahunt ab omni materia, cùm æquè benè possint esse & intelligi absque materia atque cum materia, ideò illa primò & per se Metaphysica considerat. Quia verò Quantitas, Situs & Habitus concernunt materiam, non illa per se considerat, sed quatenus conducunt ad distinctionem & cognitionem eorum quæ abstrahunt à materia; quemadmodum postquam Metaphysicus intellexit substantiam, cogitur eam diuidere in corpoream & spiritualem, speculando etiam illud membrum diuisionis, nempe substantiam corpoream; non quidem per se, sed quatenus conducit ad distinctam cognitionem substantiæ spiritalis, quæ quia abstrahit à materia, per se consideratur in Metaphysica saltem hominum beneplacito constituta.

Secunda Conclusio.

Metaphysica absolutè spectata, non considerat omnium specierum Entis quidditates in particulari.

Est Aristotelis 1. Metaph. cap. 2. vbi habet, *Sapientem scire omnia vt possibile est scire, non habentem singulariter eorum scientiam.* Et lib. 4. in principio vbi distinguit hanc scientiam à cęteris, quia *speculatur Ens vt Ens est, & quæ ei per se insunt: nullæ autem cæterarum vniuersaliter de Ente prout Ens est considerant, sed eius aliquam partem abscindentes quod ei accidit, speculantur, vt Mathematicæ scientiæ.* Cùm ergo hæc scientia distinguatur à cæteris quia circa particularia Entia versantur; non versabitur circa partem illam Entis quam aliæ abscindunt. 1. Metaphysic. cap. 2. Et lib. 4. cap. 1.

Est etiam expressa Doctoris Subtilis sententia 1. Metaph. q. 9. vbi impugnat Doctrinam quorumdam quos refert, volentium ad Metaphysicam pertinere cognoscere quamlibet quidditatem secundum quod quidditas, & etiam secundum quod hæc quidditas, non tamen secundum Scotus 1. Metaphysic. q. 9.

cundum omnem rationem cuiuscunque eius quod accidit huic quidditati v. g. ad Metaphysicam spectare cognoscere corpus secundum quod corpus est, & etiam hoc corpus secundum rationem huius corporis, imò etiam mobile secundum quod mobile: quia, inquiunt, mobilitas est de quidditate mobilis, ideò Metaphysici est cognoscere mobile sub ratione mobilitatis. Istud autem mobile non est de quidditate corporis, sed ei accidit: Ideò ad Physicam spectat cognoscere corpus sub ratione talis accidentis. Impugnat itaque primò hanc doctrinam in eo quod statuat mobilitatem rationem formalem obiecti Physicæ; sed de his in Physicis. Secundò principaliter simulque probando conclusionem sic: Si Metaphysicus consideret mobile quatenus mobile, tunc eadem ratio formalis obiectiua considerabitur in duabus scientijs, quia etiam iam consideratur in Physica. Sed hoc est impossibile stante distinctione scientiarum: ergo mobile quà mobile non consideratur in Metaphysica. Minor est euidens, quia scientiæ primò distinguuntur penes varias rationes formales obiectiuas. Sequela Maioris probatur: quantumcunque mobilitas ad diuersa comparetur, nimirum ad corpus cui accidit, & ad mobile cui est intrinseca & essentialis, semper remanet mobilitas, & secundum propriam rationem essentialem vtrumque istud respicit: aliàs enim corpus esset mobile, quod tamen non haberet rationem per se mobilitatis, & aliquid mobile quod eandem mobilitatis rationem per se non haberet; ergo eadem ratio formalis esset per se ratio obiectiua in diuersis scientiis. Præterea, Metaphysica abstrahit à motu & mobili secundum Aristotelem: ergo & à quidditate motus & mobilis. Probatur consequentia. Si Metaphysica abstrahendo à motu & mobili, non abstraheret à ratione & quidditate motus & mobilis; non tam ab ipso motu & mobili diceretur abstrahere, quàm ab aliquo consequente rationem quidditatiuam motus & mobilis; & tunc quæri posset, quid sit illud? & cùm assignari non possit; verum manebit Metaphysicam abstrahere à motu & mobili, quatenus abstrahit à quidditate motus & mobilis; itaque consequenter non considerabit ipsam quidditatem motus & mobilis.

Probatur insuper conclusio hac ratione Doctoris Subtilis: quia si Metaphysica consideraret quidditates particulares, tollerentur omnes aliæ scientiæ, & esset vna scientia de rebus omnibus, quod militat aduersus arbitrariam scientiarum diuisionem, quâ vnicuique particularium scientiarum peculiaris est assignata materia, putà Physicæ, corpus naturale, & Mathematicæ quantitas. Quòd si hanc beneplacito hominum factam scientiarum diuisionem tollere volueris, nemini dubium est quin constitui possit vna scientia totalis ex Metaphysica, Physica, & Mathematica, ad quam

ſpectabit, & communes & peculiares rerum quidditates contemplari.

Fonſeca. Præterea ab aliis probatur ex his quæ de hac ſcientia, ſcripta reperiuntur: nec enim videmus Metaphyſicos in ſuis libris perſequi omnium rerum quidditates ſpeciatim, veluti animalium, plantarum & ſimilium, vt fit in Phyſica; ſed totum huius ſcientiæ negotium conſumere in explicanda natura Entis, Subſtantiæ, Accidentis, & aliorum omnium attributorum, cauſarumque, & proprietatum generalium, & his adiungere explicationem naturæ primæ cauſæ, & aliarum ſubſtantiarum corporis expertium.

Poſtremò probari poteſt concluſio ex inuentione Metaphyſicæ. Etenim antequam eſſet inuenta, iam aliæ ſcientiæ in particularibus quibuſdam naturis cognoſcendis verſabantur. Non eſt igitur inuenta Metaphyſica, vt omnes rerum eſſentias ſpeciatim intelligeret, ſed eas tantum, ad quarum intelligentiam cæterarum facultas non ſatis erat.

Obiectio 1. ex Ariſt. 4. Metaphyſic. text. 2. Obijcitur primò authoritas Ariſtotelis 4. Metaph. textu 2. vbi habet: *Omnis autem generis vnius, ſenſus eſt vnus, atque ſcientia, vt Grammatica vna exiſtens, omnes ſpeculatur voces. Quapropter & Entis in quantum Ens quaſcumque ſpecies ſpeculari, vnius eſt ſcientiæ genere: ſpecies autem ſpecierum.* Ex quo colligunt aliqui Metaphyſicam debere eſſe de Ente & de omnibus eius ſpeciebus, & adhuc ſpecierum ſpeciebus: ſicut viſus eſt de omnibus viſibilibus, & Grammatica de omnibus vocibus; ergo Metaphyſica deſcendit vſque ad peculiares rationes omnium ſpecierum Entis.

Reſponſio 1. Reſpondeo primò hoc eſſe verum ex natura rei, non ex voluntaria ſcientiarum diuiſione.

Reſponſio 2. Secundò dico hunc eſſe ſenſum verborum Ariſtotelis, vt voluerit vnius ſcientiæ genere, eſſe contemplari ſpecies Entis in communi & in genere; ad variarum tamen ſpecierum ſcientias pertinere contemplari varias ſpecies Entis ſecundum proprias & ſpecificas earum rationes; hoc modo exponit Ariſtotelem Doctor noſter in ſuis commentariis in hunc locum, & poſt ipſum Suarez & Fonſeca.

Obiectio 2. Obijcitur ſecundò: eodem modo ſe habent habitus ſcientifici circa cognoſcibilia, quo ſe habent potentiæ circa obiecta ſua: ſed potentiæ benè ordinatæ ſic ſe habent, quòd ſuperior poteſt in omnem rationem obiectiuam, in quam poteſt inferior, vt patet de imaginatiua, quæ poteſt in id omne in quod poſſunt potentiæ viſiua, auditiua, & aliæ ſenſitiuæ; ergo habitus ſcientifici ita ſe habebunt, vt circa id omne occupetur ſuperior, circa quod occupantur inferiores: ſed inferiores, vt Phyſica & Mathematicæ, occupantur circa omnes rerum quidditates in particulari, ergo illud idem præſtabit ſuperior, nempe Metaphyſica.

Reſponſio ex Scoto. Reſpondet Scotus noſter longè diſparem eſſe rationem in habitibus & in potentiis: quia potentiæ habent maiorem vir-

tutem, & ſuperiores quidem adæquatè reſpiciunt obiecta vniuerſalia & particularia, maximè cùm ad illa determinantur per eorumdem obiectorum proprias ſpecies; habitus autem ſcientifici non ſic ſunt indeterminati: imò quemadmodum ſpecies ſenſibilis non eſt indeterminata & determinabilis per aliud, ſed potiùs ex ſe determinata & determinatiua alterius, nimirum phantaſiæ circa hoc vel illud obiectum particulare: Ita habitus ſcientifici non ſunt indeterminati, ſed determinati, & etiam determinant intellectum indeterminatum circa propriam illam materiam quam ex ſe reſpiciunt: Ideoque non debet vnus & idem ſpecie habitus occupari circa omnem planè materiam intelligibilem.

Obiectio 3. Obijcitur tertiò: Tam latè patet ſubiectum Metaphyſicæ, quàm obiectum intellectus; vtrumque enim eſt Ens ex natura habitus & potentiæ: ſed intellectus intelligit omne Ens ſpeciatim & diſtinctè; ergo etiam Metaphyſica cognoſcit omnium rerum naturas ſpeciatim. Quòd ex eo confirmatur, quia ita ſe habet ſcientia ad ſubiectum, vt potentia ad obiectum: Potentia autem non ſolùm verſatur circa obiectum in genere, ſed etiam ſecundum ſpeciem, vt viſus non tantum circa colorem, ſed etiam circa album, nigrum, & alios ſpeciales colores; ergo habitus eodem modo ſeſe habebit circa ſubiectum ſuum.

Reſpondetur tam latè patere ſubiectum Metaphyſicæ, vt res eſt, quàm patet obiectum intellectus, non tamen vt ſubiectum eſt, hoc eſt, vt cadit ſub conſiderationem Metaphyſicæ. Obiectum enim intellectus complectitur omnia Entia ſub quauis ratione Entis; at ſubiectum Metaphyſicæ vt ſubiectum eſt, non complectitur omnia Entia, niſi quatenus abſque omni materia concipiuntur: Nec mirùm; id enim circa quod verſatur habitus, limitatius eſſe debet quã id circa quod verſatur potentia, alioqui vnus tantum habitus ſufficeret vni tantum potentiæ.

Ad confirmationem dico comparationem inter habitum & potentiam in hoc non habere locum: niſi dicatur quod quẽadmodum potentia, putà viſiua, ſub eadem ratione viſibilitatis attingit omnia obiecta viſibilia, alioqui in ratione rei valdè diſtincta: Ita placuit Philoſophis, ea quæ aliqua ratione in modo conſiderandi conueniunt, ab vno aliquo habitu ſpeculari.

Obijcit' 4. Scotus: Cognitio in vniuerſali eſt imperfecta, quia eſt confuſa & indiſtincta; ergo ſi ſapiens per Metaphyſicam cognoſcat tantum in vniuerſali, erit imperfectè ſciens, & alij perfectè ſcientes, quod repugnat Ariſtoteli initio primi Metaph. vbi docet Sapientem, id eſt Metaphyſicum, eſſe perfectiſſimè ſcientem. Obiect. 4. ex Scoto. Reſpondeo cognitionem vniuerſalis duobus modis ſpectari poſſe, primò vt eſt cognitio vniuerſalis formaliter & vt habentis inferiora, ſecundò vt eſt cognitio ſimplicis quidditatis eius in- Solutio

cludendo sola prædicata essentialia, & secludendo inferiora quæ non sunt de conceptu eius: si vniuersale cognosceretur priori modo, non cognito respectu ad inferiora, confusè cognosceretur, quia vt sic est aliquid confusum & indistinctum: posteriori modo verò, nihil prohibet cognitionem eius esse distinctam, quia cùm in se sit quidditas & natura aliqua distincta, distinctè quoque cognosci potest, quia ex Doctore Subt. in 1. dist. 3. q. 2. *Tunc aliquid distinctè concipitur, quando concipitur, sicut exprimitur per definitionem.* Et paulò pòst hæc subdit quibus nostra responsio confirmatur. *Secundò dico de cognitione actuali distinctè conceptorum, quòd primum sic conceptum est communissimum, quia nihil concipitur distinctè nisi quando concipiuntur omnia quæ includuntur in ratione eius essentiali: Ens includitur quidditatiuè in omnibus conceptibus quidditatiuis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior distinctè concipitur, nisi concepto Ente: Ens autem non potest concipi, nisi distinctè, quia habet conceptum simpliciter simplicem; ergo potest concipi distinctè sine alijs, & alij non sine eo distinctè concepto; ergo Ens est primus conceptus distinctè conceptibilis. Ex hoc sequitur quòd ea quæ sunt sibi propinquiora, sunt priora; quia cognoscere distinctè habetur per definitionē quæ inquiritur per viam diuisionis, incipiendo ab Ente vsque ad conceptum definiti: In diuisione autem prius occurrunt conceptus communiores, deinde genera & differentiæ, in quibus concipitur distinctè conceptus inferior.*

Scotus in 1 dist. 3. q. 2.

Obiicitur vltimò Aristoteles initio 6. Metaphysicæ, vbi dicit alias particulares scientias, neque vllam de ipso *quid est*, rationem omnino facere. Idem habet Scotus noster in 2. dist. 3. q. 1. §. *ad quæstionem*, vbi dicit ipsum *quod quid est*, esse per se obiectum intellectus, & per se vt sic considerari à Metaphysico. Item in 1. dist. 2. q. 1. in initio, dicit Geometram quidem confusè concipere lineam esse longitudinem sine latitudine; non concipere tamen adhuc distinctè ad quod genus pertineat linea, sicut considerat Metaphysicus, qui distinctè nouit lineam esse speciem quantitatis continuæ distinctam contra superficiem & corpus. Ergo Metaphysicus speculatur omne *quod quid est*, seu omnes omnium rerum quidditates etiam in particulari.

Obiectio vltima ex Arist. 5. Metaphys. & Scoto 2. dist. 3. q. 1. & dist. 2. q. 1.

Respondeo primò, Aristotelem intelligi posse de *quod quid est*, subiectorum particularium scientiarum, quæ ipsæ non demonstrant, saltem à priori, sed supponunt, & de ipsis proprietates, aliæ molliùs, vt Physica, aliæ exactiùs, vt Metaphysica demonstrant. Dico secundò, neque Aristotelem, neque Doctorem Subtilem negare voluisse particulares scientias considerare, *quod quid est*; quia quælibet scientia vtitur propriis definitionibus, & demonstrationibus; sed solum intellexisse Metaphysicam omnium exactissimè & perfectissimè cognoscere ipsum *quod quid est*: nam ad perfectissimam cognitionem eius, necessaria

Respō- sio 1.

est omnium graduum essentialium qui in ipso continentur, etiam vsque ad vniuersalissimos, cognitio, quam solus habet Metaphysicus; alioquin certum est sistendo in propria materia, quamcumque scientiam cognoscere etiam ipsum, *quod quid est*, quemadmodum Physica, quæ, vt docet Aristoteles eo loci, definit semper cum materia: *Nullius enim*, vt loquitur, *ipsorum quæ considerat sine motu ratio: & semper habent materiam: hinc palam quomodo oportet in Physicis ipsum quod quid est quærere & definire.* Ex his principaliter soluitur ille locus Doctoris Subtilis ex primo, dicendo quod quia Metaphysicus Entis & specierum eius communissimas habet notiones, & diuidendo Ens in suas species, nouit quæ ad hanc, quæ ad illam speciem pertinent; cognoscit lineam spectare ad hanc speciem Entis, nempè ad quantitatem, & non ad aliam. Hæc solutio est eiusdem Doctoris in suis commentariis in sextum Metaphysic. vbi habet: *Et hoc aliquo modo accipitur à Metaphysico, scilicet ipsius quod quid est cognitio, qui Metaphysicus de eo quod quid est distinctè loquendo, rationem facit, prout possibile est fieri ad quod quid est inquirendum: Cùm enim talis ratio sit via diuisiua ex 2. Post. qua debet incipere à communissimis quæ certum est inesse illi cuius quod quid quæritur, quatenus illa communissima à Metaphysico considerantur, eatenus Metaphysicus iuuat ad faciendum rationem de quod quid est subiectorum specialium, & etiam quatenus diuidens in processu suo dirigitur per quædam principia communia Metaphysica, vt de quolibet affirmatio vel negatio.*

Scotus in commentariis ad 6. Metaphysic.

Vltima Conclusio.

METaphysica prout est præses & imperans, descendit ad multorum considerationem quæ in suis rationibus materiam includunt. Probatur: Metaphysica hoc modo spectata præscribit vnicuique scientiæ proprium obiectum, vt dictum est; sed cuiuscumque scientiæ alterius ab ipsa obiectum materiam includit: ergo Metaphysica vt imperans multa considerat quæ materiam includunt. Ad hæc, Metaphysica disputat de potentia passiua; ergo de pura potentia passiua, tanquam de præcipuo significato potentiæ passiuæ; at pura potentia passiua est in materia prima: ergo Metaphysica vt imperans & communis artifex, materiam ipsam, nedum ea quę materiam includunt, considerat.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm Metaphysica sit vna scientia?

PRÆNOTANDVM I. vt iam aliquoties inculcauimus, Metaphysicam duobus modis posse spectari, scilicet ex natura rei, & vt hominum arbitrio constituta est: priori modo complectitur eorum duntaxat considerationem quæ Enti finito &

infinito, ſubſtantiæ & accidenti, ſubſtantiæ corporeæ & ſpiritali communia ſunt; quo pacto propriè dicitur Metaphyſica: poſteriori modo deſcẽdit vſque ad ſubſtantiarum ſeparatarum contẽplationem: idq; veterum Philoſophorum placito. *Placuit enim veteribus authoribus circa diuerſa ſubiecta contemplari* (inquit Scotus noſter 6. Metaphyſic. q. 1.) *& tot conſiderationi ſuæ ſubdere, quot videbant aliquam conuenientiam in principiis, & in modo conſiderandi habere.*

Prænotandum 2. Metaphyſicam, ſicut & quamcumque aliã ſcientiam, duobus iterum modis poſſe conſiderari, ſcilicet vt in ſe, & vt in nobis; in ſe, quatenus eſt habitus aliquis vel qualitas abſolutè, & ſecundum propriam Entitatem ſpectata; in nobis, prout actu exiſtit in intellectu noſtro, illumque promptum & expeditum efficit ad producendos ei habitui conſimiles actus. Exiſtimant multi ab intellectu, ſicut & quodlibet aliud accidens, ab hoc vel illo numero ſubiecto cui inhæret, accipere ſuam vnitatem numericam, ſed id inferiùs improbabitur ex mente Doctoris Subtilis.

Duplex vnitas in ſciẽtiis, intrinſeca & extrinſeca.

Prænotandum 3. duplicem inſuper poſſe reperiri vnitatem in Metaphyſica, ſicut & in qualibet alia ſcientia: Extrinſecam vnam, intrinſecam aliam. Extrinſeca ea eſt quam habet ab obiecto, quod cùm ſit cauſa partialis ſcientiæ, eſt etiam cauſa partialis vnitatis quæ ipſam conſequitur. Intrinſeca, quam ex ſe & ex propriis intrinſecis habet, quatenus in ſe & ex ſe eſt hæc ſpecie qualitas & non alia; ſed hæc poſterior non ita nobis innoteſcit ac prior vnitas: quia ſicut actiones earumque vnitates per terminos; ita ſcientiæ earumque vnitates per obiecta melius nobis innoteſcunt: quare licet intendamus hîc quærere vnitatem intrinſecam Metaphyſicæ; tamen per extrinſecam, tanquam per nobis notiorem, eam inueſtigare conabimur.

Habitus dici poteſt vnus tribus modis.

Prænotandum 4. ex Doctore Subtili 6. Metaphyſic. q. 1. tribus modis aliquem habitum dici poſſe, vnum ſcilicet vnitate generis remoti, vnitate generis proximi, & vnitate ſpecifica formali. Vnitate generis remoti, quando habitus inclinat formaliter ad conſiderandum aliquod obiectum commune, & ex conſideratione eius inclinat tantum in vniuerſali, & in potentia remota, ad conſiderandum proprias Entitates inferiorum, quæ ſunt ſcibiles per proprias rationes eorum, & non per rationem obiecti communis, vt habitus v.g. qui inclinaret ad ſpeculandum ſubſtantiam eſſe Ens per ſe ſubſiſtens, valdè remotè inclinaret ad cognoſcenda proprias rationes hominis, putà, illum eſſe riſibilem, flebilem, doctrinæ capacem, & ſimiles, quæ ſciri non poſſunt per rationem generalem ſubſtantiæ, ſed per propriam hominis quidditatem. Habitus tunc eſt vnus vnitate generis proximi, quando inclinat ad ſpeculandum aliquid formaliter, in quo continentur virtualiter rationes inferiorum, vt habitus inclinans

formaliter ad considerandũ omne corpus viuens esse generabile, augmentabile, alterabile, & corruptibile; inclinat virtualiter ad cognoscendum hominem esse generabilem, augmentabilem, alterabilem, & corruptibilem: quia homo secundum eas rationes continetur virtualiter & permissiuè in corpore viuente; ideoque ex eo quòd formaliter hæ veritates considerentur de corpore viuente, possunt enunciari de hoc corpore viuẽte, nempe de homine, quia homo continetur virtualiter in corpore viuente. Tandem habitus tunc est vnus vnitate specifica, cùm inclinat ad speculandum formaliter aliquod obiectum specificũ: v. g. habitus ille geometricus acquisitus ex multis actibus vel ex vno intensissimo & perfectissimo, quo inclinatur intellectus ad cognoscẽdum triangulum habere tres angulos, censetur vnus vnitate specifica.

Habitus sciẽtificus tribus modis spectari potest.

Ex his patet habitum scientificũ tribus modis spectari posse; Primò simpliciter, in ordine ad obiectũ suum incomplexum, circa quod primò, & per se, & immediatissimè versatur; & hoc modo est vnus specie actu & formaliter; & dicitur incomplexa incomplexi notitia seu potius intellectus; est enim simplex & incomplexa notitia, seu definitio obiecti primi: Secundò in ordine ad idem obiectum quatenus virtualiter continet vnitates de seipso, & de suis inferioribus demonstrabiles: & sic est vnus vnitate generis virtualis proximi, quod quidem genus quia multa specie differentia virtute continet; iste quoque habitus hoc modo dici potest virtute multiplex. Tertiò prout coalescit ex multis principijs & conclusionibus iam actu elicitis ex illo obiecto incomplexo, & sic est actu specie multiplex, vnus tamen vnitate generis actualis proximi.

Prænotandum 5. rationem, *sub qua*, videlicet hanc aut illam abstractionem à materia, non sufficere ad constituendum aliquem habitum specie vnum; quia, vt diximus, illa nihil est aliud quàm modus sub quo res considerantur in hac vel illa notitia: Habitus autem seu notitia non à modo, sub quo, sed ab obiecto, circa quod, specificatur; vnde cùm sub eadem abstractione sint plura scibilia specie differentia, putà sub abstractione à sola materia singulari, & concretione materiæ sensibilis, locus, tempus, motus, corpus animatum, corpus cœleste, & similia; habitus complectens hæc omnia, non poterit esse specie vnus, quantumuis abstractio sit specie vna: nec enim ab abstractione habet obiectum quòd sit scibile, vt voluit Caietanus 1. p. q. 1. act. 3. sed à ratione, *per quam*, scilicet à principiis in demonstratione sic vel sic dispositis: nam ab eo habet aliquid quòd sit scibile, à quo habet quòd sit demonstrabile: At per principia, & non per hanc aut illam abstractionẽ, res quælibet scibilis, est demonstrabilis v. g. non per abstractionem à materia singulari, sed per hoc principium: *Omne animal rationale, est risibile*, demonstratur

hominem esse risibilem: Itaque non per hanc aut illam abstractionem sunt specificanda scibilia: sed per hæc aut illa media. Adeóque cùm in vna & eadem totali notitia, sub eadem abstractione sint plura media specie differentia, plura quoque erunt scibilia specie distincta: *Placuit tamen diuersis Authoribus* (inquit Scotus noster 6. Metaphysicorum q.1.in fine) *circa diuersa subiecta speculantibus tot sua considerationi subdere, quot viderunt habere conuenientiam in modo considerandi,* & connexionem in principijs; ita quod penes varios specie modos considerandi, non penes obiecta scibilia sub eodem specie modo, specie distincta, tres vulgatas scientias speculatiuas distinxerint. His prænotatis, sit hæc

Prima Conclusio.

Metaphysica sumpta pro simplici & incomplexa notitia solius Entis obiecti sui, est vna vnitate specifica formaliter. Patet ex dictis & ampliùs probatur. Ens in ratione cognoscibilis est quid vnum specie, licet in ratione rei sit minùs vnum quàm genere. Ergo notitia incomplexa illius est vna specie. Consequentia patet, quia scientiæ specificantur ab obiectis. Antecedens probatur. Istud incomplexum, Ens, solitariè sumptum, & secluso quocumque respectu ad ea quæ continet virtualiter, siue illa sint eius propriæ passiones, siue sua inferiora, natum est producere notitiam sui, per actus solo numero differentes. Ergo in ratione scibilis est quid vnum vnitate specifica formaliter. Non immoror in explicanda vnitate generis virtualis, quam habet Metaphysica vt est notitia obiecti sui prout continentis virtualiter & suas proprietates, & sua inferiora, quia nodus difficultatis, & punctum controuersiæ consistit in sequenti conclusione.

Secunda Conclusio.

Metaphysica prout est scientia totalis constituta ex notitia incomplexa Entis sui obiecti, & ex omnibus peculiaribus notitiis suorum omnium principiorum & conclusionum simul, non est etiam vt sic vnus, sed multiplex specie habitus. Quicquid sit de mente aliorum, conclusio est Doctoris nostri 6. Metaphysic. q.1. & in prologo Sententiarum q.3. *Hoc modo* (inquit) *in scientijs assignatur obiectum commune, à quo non est habitus vnus secundum speciem, sed tantùm secundum genus.* Probari autem potest imprimis generalibus rationibus, quibus probatur omnem planè scientiam totalem non esse hoc pacto specie vnam.

Peculiariter verò vltra Doctores nostræ Scholæ, hanc sententiam sequitur & rationibus Scoti probat ex modernis Fonseca 6. Metaphysic. cap. 1. q. 2. sect. 2. Primò, quia actus naturaliter est generatiuus habitus, per hoc quòd naturaliter suam similitudinem relinquit in passo: differentium autem specie secundùm proprias rationes, agentium, sunt diuersæ similitudines

reales:

reales : ergo quanta est differentia actuum, tanta & habituum. Atqui actus sciendi diuersarum conclusionum, etiam eiusdem scientiæ totalis, semper sunt specie distincti : ergo & habitus sciendi qui ex illis gignuntur. Prior syllogismus est euidens : Subsumptio probatur. 1. Actus sciendi diuersarum conclusionum constant præmissis & antecedentibus specie differentibus : ergo & illi specie differunt. Antecedens patet, quia vbi antecedentia non differunt; conclusiones etiam non differunt : tunc autem differunt antecedentia, vel cùm media diuersa sunt, vel cùm idem medium quod potens est varias proprietates demonstrare de aliquo subiecto, coniungitur huiusmodi variis proprietatibus, ad illas inferendas de tali subiecto, vt rationale quod est ratio demonstrandi risibile & flebile de homine : nam hæ conclusiones: *Homo est risibilis. Homo est flebilis*, etiam specie differunt, licet per idem medium probentur. Prætereà, cum intellectu principiorum aliquorum, & scientia aliquarum conclusionum in aliqua scientia totali, putà geometria, stare potest ignorantia alicuius conclusionis eiusdem scientiæ : neque enim omnes conclusiones geometriæ ita pendent ab inuicem, vt cognitis quibusdam, necessariò cognoscantur omnes : at impossibile est respectu eiusdem incomplexi simul in eodem intellectu stare habitus oppositos : ergo conclusio ignorata non est idem specie complexum cum principiis & conclusionibus scitis. Confirmatur primò; quia quando conclusio ignorata addiscitur, habitus oppositus ignorantiæ præcedenti inducitur : ergo habitus ille qui de nouo acquiritur, non est eiusdem speciei cum priore iam acquisito : quia si sic, sicut ille qui de nouo acquiritur, expellit ignorantiam conclusionis prius ignoratæ ; ita & ille qui iam erat acquisitus ; cuius tamen contrarium videtur ex eo quòd cum eo stabat ignorantia illius conclusionis. Confirmatur secundò : Eorum quæ sunt idem specie infimâ, quicquid naturaliter potest vnum efficere, aut non potest, potest vel non potest alterum, si tamen vtrumque æquè perfectum sit, aut imperfectum : ergo si habitus scientię diuersarum conclusionum, quarum neutra quicquam pendet ab altera, sunt idem specie in diuersis hominibus, in quemcumque actum demonstrandi potest, aut non potest exire vnus ; potest aut non potest alter, si ambo sint æquè perfecti aut imperfecti : at per habitum conclusionis scitæ, non potest intellectus exire in actum sciendi conclusionis ignoratæ : ergo signum est habitus istarum conclusionum non esse eosdem omnino specie.

Respondent authores aduersæ sententiæ confirmiter suis principiis per habitum conclusionis scitæ, intellectum posse in actum conclusionis ignoratæ, dummodò ille habitus extendatur per aduentum demonstrationis circa conclusionem ignoratam. Volunt enim per actum solius primæ demonstrationis,

acquiri habitum ſcientiæ totalis; per alios autem ſiue ſpecie diuerſos, ſiue eoſdem ſpecie, non acquiri nouum habitum, ſed eundem vel extendi circa diuerſas concluſiones, vel intendi circa eaſdem: quemadmodum vnum ſpecie quantum extenditur per aduentum nouarum partium quantitatiuarum: & vna ſpecie & numero albedo per aduentum nouorum graduum. Quibus ſi dicatur non eſſe parem rationem de aduentu nouarum demonſtrationum in habitu totali ſcientifico, ac de incremento quantitatis, & intenſione albedinis: quia hæc fiunt ex partibus ſimilaribus & eiuſdem rationis, quæ facilè in vnum quidpiam coaleſcunt: habitus autem totalis ſcientificus non poteſt componi ex demonſtrationibus ſimilaribus, cùm vt plurimùm ſint ita diſſimilares vt differant ſpecie; ex quibus proinde non ſatis capi poteſt quomodo vnum quidpiam conſurgere poſſit. Reſpondebunt iterum illas omnes vniri inter ſe ad compoſitionē totius ſcientiæ, quemadmodum vniuntur partes diſſimilares animalis ad conſtitutionem totius animalis. Contrà; hoc modo ipſam ſuam ſententiam inuertunt, dum illam ſtabilire moliuntur; quia partes huiuſmodi diſſimilares ſcientiæ totalis ex eo ſunt diſſimilares, quia ſunt diuerſæ ſpeciei. Nec exemplum compoſitionis animalis ex partibus diſſimilaribus vlla ratione conducit ad manifeſtandum id quod tali compoſitione componitur, eſſe vnum ſpecie, cùm illa dicantur eſſe vnum ſpecie, quæ participant idem genus proximum, & eandem differentiam infimam, non quæ componuntur phyſicè ex variis partibus diſſimilaribus; quæ quia diſſimilares ſunt, ex eo diuerſæ ſunt ſpeciei, vt ſunt carnes & oſſa; ſicque etiam in ſcientia totali diſſimilares demonſtrationes efficiunt concluſiones diſſimilares & diuerſæ ſpeciei.

Prætereà in qualibet ſcientia totali, diſtinguuntur ſaltem ſpecie habitus principiorum, qui dicitur intellectus, & habitus concluſionum, qui dicitur ſcientia, ex Ariſtotele 6. Ethic. cap. 6. cuius ratio eſt, quia principia ſunt propter ſe, & ex terminis euidentia; concluſiones autem propter aliud, & per diſcurſum; quæ diſtinctionis ratio eſt planè ſpecifica; ergo ſcientia totalis non eſt vnus ſpecie habitus. Hinc etiam probatur habitum omnium concluſionum ſcientiæ totalis non eſſe vnum & eumdem ſpecie: nam ſicut principia, quorum termini ſpecie differunt; ipſa quoque ſpecie differunt, ita concluſiones quarum media ſpecie differunt, ipſa quoque ſpecie differunt: ergo habitus ex illis omnibus concluſionibus conſtitutus, non poteſt eſſe ſpecie vnus. Quòd ſi quis dicat eſſe eumdem ſpecie habitum, quia concluſiones illæ pendent à ſe inuicem, poſteriores ſcilicet ex prioribus. Contrà, non plus pendet habitus poſteriorum concluſionum ab habitu priorum, quàm habitus priorum cōcluſionum ab habitu principiorum; Ergo, ſi

non obſtante dependentia priorum concluſionum ex principijs, habitus principiorum & priorum concluſionum ſunt diſtincti ſpecie; etiam non obſtante dependentia poſteriorum concluſionum ex prioribus, non minus habitus harum & illarum erunt diſtincti ſpecie.

Vltimò ſic probatur: Si quælibet ſcientia totalis eſſet vnus ſpecie habitus, maximè propter vnitatem ſpecificam rationis formalis, *ſub qua*, conſiderantur ea omnia quæ tractantur in ſcientia totali, vt volunt aduerſæ ſententiæ authores; ſed hæc ratio nulla eſt. Probatur: Nam illa ratio (*ſub qua*) eſt hæc aut illa abſtractio à materia, vt docetur communiter; ſed hæc aut illa abſtractio à materia non ſatis eſt ad conſtituendum habitum ſpecie vnum, vt dictum eſt, Prænotato 4. Ergo à ratione, *ſub qua*, non habet habitus quòd ſit ſpecie vnus. Nec puto certè aduerſarios ab hac aut illa abſtractione à materia, docere poſſe tres vulgatas ſcientias ſpeculatiuas aliam vnitatem ſpecificam habere, quàm vnitatem ſpecificam modi conſiderandi, cum qua vnitate ſtat diſtinctio ſpecifica ſcibilium, quia diſtinctio ſpecifica principiorum, atque conſequenter concluſionum ſcitatum.

Obiect. 1. Objicitur primò: Habitus ſcientię eſt in prima ſpecie qualitatis, eiuſque ſpecies quædam: omnis autem ſpecies qualitatis, quemadmodum eſt qualitas, ita

Solutio & vna qualitas, non plures qualitates: Reſpondeo cum Fonſeca, vulgatas ſcientias totales nō eſſe ratione ſui ſub genere qualitatis, ſed ratione habituum, quibus ſingulę cōcluſiones demonſtrantur: ſola enim ordinata eorum habituum collectio quamlibet ſcientiam totalem propriè conſtituit; quo etiam pacto mundus non eſt per ſe ſpecies aliqua ſubſtantiæ, ſed ratione earum ſubſtantiarum ex quibus conſtat. Eſt enim nihil aliud quàm rerum omnium conuenientiſſimus ordo & diſpoſitio, cùm tamen in libris de Cœlo ſub nomine cœli diſtinguatur ab hoc mundo, vt ſpecies quædam ſubſtantiæ à ſuo vnico indiuiduo.

Obiicitur 2. habitus fidei catholicæ etſi ſit de tàm multis credibilibus; tamen eſt vna ſpecie qualitas in omnibus fidelibus, & vna numero in ſingulis, quæ tota ſimul infunditur in baptiſmo, totaque amittitur ab hæretico, qui vel vnum negat fidei articulum. Ergo videtur eſſe eadem ratio de ſcientia totali, quæ licet ſit de tot ſcibilibus, erit tamen vna ſpecie in omnibus intellectibus in quibus exiſtit, & vna numero in ſingulis. Obiect. 2.

Reſpondet Fonſeca negando conſequentiam, & rationem diſparitatis aſſignando in eo quòd fides catholica quantumuis ſit de innumeris credibilibus, innitatur vni tantum rationi diuinæ reuelationis; ſcientia verò totalis tot habeat rationes, ſeu media, quot habet concluſiones diuerſas: ac proinde hanc eſſe diuerſam: illam verò vnam ſpecie in omnibus. Sed exiſtimo melius ſa- Reſpōſ. 1. Reſpōſ. 2.

tisfactum iri negando antecedens; neque enim est vnica specie fides in omnibus fidelibus, quantumuis sit vnica ratio credendi, nempe reuelatio diuina, sicut nec vnicus specie habitus conclusionis scientificus, quantumuis medium sit vnicum, si possit assumi ad probanda specie diuersa de aliquo subiecto; nam eâ vel solâ ratione, nimirum quia sub eodem medio reuelationis diuinæ, multa specie distincta credi possunt, non est vnica illorum omnium fides; quâ enim ratione idem principium potest esse medium demonstrationis diuersarum conclusionum; eâdem, reuelatio diuina potest esse ratio assentiendi varijs specie credibilibus.

Non est vnica specie fides in omnibus.

Obiectio 3.

Obijcitur 3. Vt se habet sensus ad obiecta sensibilia, ita scientia ad obiecta scibilia, vt docet Arist. 3. de anima cap. 8. at sensus non diuiditur in varias species sensuum iuxta varietatem obiectorum materialium, quæ sunt ipsæ qualitates sensibiles, alioqui quot sunt species colorum v. g. tot essent species sensuum qui circa eas versantur; sed diuiditur iuxta varietatem obiectorum formalium, hoc est rationum seu modorum sentiendi: omnes enim colores v.g. vno & eodem modo sentiuntur. Ergo & scientia non est diuidenda in varias species iuxta varietatem obiectorum materialium, quæ sunt ipsa obiecta scibilia, sed iuxta varietatem obiectorum formalium, idest modorum considerandi scibilia, quæ sunt variæ abstractiones à materia, quarum quælibet est communis pluribus obiectis scibilibus.

Solutio

Respondeo comparationem in eo solùm consistere, quòd quemadmodum potentiæ sensitiuæ specificantur penes varias rationes sub quibus attingunt obiecta sua; & earum potentiarum actus, penes varias rationes obiectiuas, quas in ipsis obiectis percipiunt, (existimo enim visionem hominis, v. g. & visionem lapidis distingui specie penes varias specie rationes obiectiuas existentes in homine & lapide, quibus eadem potentia visiua mouetur:) ita scientiæ totales distinguuntur penes varias rationes sub quibus, nimirum varias abstractiones à materia, & scientiæ partiales penes rationes per quas impellitur intellectus ad hunc vel illum assensum conclusionis scientificæ: & ita, quemadmodum vnius specie potentiæ plures sunt specie actus, propter varias specie rationes obiectiuas motiuas: ita vnius scientiæ totalis, plures sunt specie scientiæ partiales, propter diuersas specie rationes motiuas & inductiuas ad assensum scientificum. Patet itaque quomodo ex hac collatione potentiarum sensitiuarum cum scientijs, sic explicata, potius illustretur, quàm impugnetur propositum.

Visio hominis & visio lapidis specie differunt in eodem oculo.

Tertia Conclusio.

Metaphysica pura & transcendens, sicut & alia quæcumque scientia totalis, est vna vnitate generis actualis proximi. Probatur: Illa scientia est vna eiusmodi vnitate, quæ in-

clinat ad speculandum aliquid formaliter, in quo continentur virtualiter rationes inferiorum, & per quod aliqua possunt ostēdi demonstratiuè de illis inferioribus; sed Metaphysica id præstat, inclinat enim ad speculandum formaliter Ens, in quo rationes Substantiæ & Accidentis virtualiter continentur, & per quod aliqua possunt ostendi demonstratiuè de Substantia & Accidente: v. g. quòd omnis Substantia sit actu vel potentia; quia omne Ens est actu vel potentia: quòd omne Accidens sit ei cuius est accidens, idem vel distinctum, quia omne Ens est alteri idem, vel distinctum. Ergo Metaphysica pura quæ est Entis, & eorum omnium quæ sunt indifferentia ad Substantiam incorpoream & corpoream, est vna vnitate generis proximi actualis. Dico (actualis) quia illa notitia est notitia generis actualis quæ occupatur circa ipsum vt habens species actu; sed Metaphysica est huiusmodi: namque speculatur Ens, quod habet actu Substantiam & Accidens, vt proprias species actu, cùm etiam in Metaphysica instituantur speciales disputationes de Substantia & Accidente. Ergo Metaphysica est vna vnitate generis actualis. Non existimes tamen propterea Ens esse genus saltem in ratione naturæ, sed tantùm in ratione scibilis.

Ex his colligitur Scotum nostrum non statuisse solùm vnitatem per Accidens, aut aggregationis, in sciētijs totalibus, vt moderni quidam existimant; imò verò vnitatem naturalem, & per se: quia licet vnitas generica sit minor vnitas, quàm vnitas specifica; illa non est tamen minus vnitas per se, quàm ista. Sicut enim multa indiuidua eiusdem speciei ordinantur naturaliter ad suam speciem, tanquam ad suum naturale correlatiuum: Ita multæ species eiusdem generis ordinantur naturaliter & per se ad suum genus, tanquam ad suum per se correlatiuum; ac proinde habitus qui occupatur circa hæc omnia sic habentia naturalem coordinationem & vnitatem per se, est etiam vnus per se.

Quarta Conclusio.

Metaphysica prout communiter traditur in Scholis, & quatenus complectitur considerationes Entis, Dei, & Intelligentiarum, non est vna vnitate generis actualis proximi, sed remoti dumtaxat. Probatur: Ille habitus est vnus vnitate generis actualis remoti, qui inclinat formaliter ad considerandum aliquod obiectum commune, & ex eo inclinat tantùm in vniuersali, & in potentia remota ad considerandum proprias Entitates inferiorum, quæ sunt scibiles per proprias rationes eorum, & non per rationem obiecti communis. Sed Metaphysica sic sumpta id solùm præstat. Ergo vt sic est solùm vna vnitate generis remoti. Maior supponitur vera ex his quæ diximus quarto prænotato, exponendo quid sit noti-

tiam esse vnam vnitate generis remoti. Minor probatur: Metaphysica prout communiter traditur in Scholis, inclinat ad speculandum Ens formaliter, obiectum communissimum & vniuersalissimum; & ex eo inclinat tantùm in vniuersali, & in potentia remota ad considerandum proprias entitates Dei, & Intelligentiarum, quæ non sunt scibiles per rationem communem Entis: Ad probandum enim v. g. Deum esse infinitum, æternum, &c. non assumitur pro medio Ens ipsum, aut Entis aliqua communis affectio. Ergo Metaphysica sic sumpta inclinat ad considerandum formaliter aliquod obiectum commune, & ex eo solùm in potentia valdè remota ad considerandum proprias rationes eorum quæ sub illo obiecto communi continentur, Dei nimirum, & Intelligentiarum.

Prætereà si Ens, Deus, & Intelligentiæ considerentur ex natura rei, de illis haberi possunt tres scientiæ totales à se mutuò genere proximo distinctæ, nimirum Metaphysica pura, Theologia naturalis, & Intelligentilogia. ergo illæ tres scientiæ solo hominum arbitrio connexæ, non possunt habere vnitatem generis actualis proximi, sed remoti solùm.

Obijci solùm potest contra hanc Doctrinam idem genus abstractionis à materia, in quo cõueniunt Ens, Deus, & Intelligentiæ, ratione cuius Metaphysica dici potest vna specie, vel saltem genere proximo. Nam non alia etiam ratione, Physica dicitur vna, cùm aliàs ablatâ eâ abstractione quæ est Physicæ propria, illa quæ considerantur in Physica, etia plusquam genere proximo differant. Sed imprimis respondetur conuenientiam in modo abstractionis non sufficere ad vnitatem specificam aut genericam proximam scientiæ, si modò principia & rationes per quas intellectus impellitur ad assensum, diuersę sint. Quemadmodum enim sub eodem abstractionis genere, in vnica scientia totali, possunt esse plures scientiæ partiales specie distinctæ, propter diuersa specie motiua, quę tamen omnes habent vnitatem generis proximi, non ab hoc aut illo modo abstractionis, sed ab obiecto quod semel cognitum, potest inclinare ad cognitionem inferiorum suorum, etiam per suam rationem; ita sub eodem abstractionis genere, possunt esse plures scientiæ totales inter se genere proximo distinctæ, & vnitatem solius generis remoti habentes, si modò vnaquæque habeat sua propria principia, & conueniant solùm in aliquo genere, quod semel cognitum, nõ potest inclinare per cognitionem suę rationis, ad cognitionem eorum quæ sub eo continentur; quod in proposito contingere probabilius existimo. Secundò dico Entis, Dei, & Intelligentiarum considerationes non adeò conuenire in modo abstractionis, vt propterea debeant esse vna specie scientia, vt defenditur communiter, vel vna genere proximo: Nam longè aliter Deus & In-

telligentiæ abstrahunt à materia, quàm Ens & Substantia; quia Ens & Substantia materiam saltem permittunt, licet non includant; Deus autem & Intelligentię nec permittunt nec includunt. Vnde saltem ex mente aduersariorum, scientia de Ente, & scientia de Deo, ac de Intelligentiis, deberent esse distinctæ specie, si specificentur penes varias rationes abstractionis: Quia abstractio ab omni materia secundùm esse, Deo & Intelligentiis propria, & abstractio ab omni materia secundùm considerationem, quę conuenit Enti, distinguũtur specie, propterea quòd hæc permittat materiam, illa non sic.

Nec est quòd dicatur hanc Doctrinã militare aduersus Arist. qui notitiam de Ente, de Deo, & de Intelligentijs vt vnam totalem scientiam speculatiuam, à Mathematicis & Physica distinctam, tradidit, quam modò primam Philosophiam, & Sapientiam, quia agit de Ente & de altissimis Principiis, modò Theologiam, quia disputat de Deo appellat; nam fateor quidem Aristotelem, & veteres Philosophos propter istam qualemcumque conuenientiã in eodem abstractionis genere, has tres scientias totales, Metaphysicam, Theologiam naturalem, & Intelligentilogiam simul adunasse, & vt vnam explicuisse; nunquam tamen inter illas ita strictam & præcisam vnitatem statuere voluisse, ac statuunt communiter moderni. Adde quòd pura Metaphysica potest etiam dici Theologia, non quòd agat de Deo absolutè, & per se, vt Metaphysica hominum arbitrio constituta; sed respectiuè, quatenus scilicet est prima causa; quia puri Metaphysici est agere de omnium primis & vniuersalissimis causis. Exemplum quod adducitur de Physica, nihil probat, quia omnia Physica conueniunt in vna omninò abstractionis ratione specifica; & pręterea habent ordinem naturalem ad vnum obiectum commune, quod semel cognitum per rationem suam potest inclinare ad cognitionem eorum quę sub eo continentur.

Quòd dicũt aliqui scientiam de Deo, & de alijs substantijs separatis, debere tradere cognitionem pręedicatorum communium & transcendentium, quia nimirum illa scientia est suprema omnium naturalium: proindéque nullam aliam superiorem debet agnoscere, in qua tractentur Entis, & Entis proprietatum rationes; videtur sine sufficienti fundamento dictum. Nam si intelligant scientiã de Deo & de Intelligentijs esse summam, quòd sit omnium naturalium dignissima, verum est quidem, sed nihil ad rem, quia rationabiliter quęri posset cur in hac potius scientia, quantumuis excellenti, de hac specie Entis, nempe Deo & alijs substantiis separatis, quàm in Philosophia naturali, quæ est de altera specie Entis, tractari debeant Entis communes rationes? Si verò intelligant esse summam, quia est abstractissima, negatur: quia loquendo pręcisè Suarez.

ex natura rerum, scientia quæ est de Ente & de prædicatis transcendentibus, est abstractior. Quòd item dicunt ea omnia quæ in hac scientia tractantur, adeò esse inter se connexa, vt non possint commodè diuersis scientijs attribui, videtur omninò gratis dici: quia ex natura rerum, non est maior connexio inter Ens, & vnam suarum specierum, quàm inter ipsum idem, & alteram, nisi quia fortè vna est nobilior altera, & magis conuenit cum Ente in modo abstractionis: sed hæc ad vnitatem specificam huius scientiæ stabiliendam non sufficiunt.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm Metaphysica sit omnium scientiarum nobilißima?



EX vltima conditione sapientiæ allatæ quæstione primâ, constat ex Aristotele Metaphysicam esse cæterarum scientiarum imperatricem, ac consequenter nobilissimam: nunc tamen specialiùs est inquirendum in quibus consistat eius imperium & nobilitas præ cæteris.

Scientiæ spectantur tribus modis. Prænotandum itaque 1. Metaphysicam, & alias sciẽtias, prout ad præsens institutum pertinet, posse spectari tribus modis, scilicet vel in ordine ad obiecta sua, vel absolutè, in se, quatenus sunt quidam mentis habitus totales constituti ex suis propriis principiis & conclusionibus, vel tertiò in ordine ad se inuicem, quatenus scilicet vel conferunt, vel recipiunt aliquid ab inuicem.

Imperium duplex, practicum & speculatiuum. Prænotandum 2. duplex esse imperium, scilicet practicum, & speculatiuum. Imperium practicum est quo imperatur aliquid circa mores, & vltra genus contemplationis exercendum; vt cùm intellectus per prudentiam, vel potius voluntas directa per intellectum prudentem, imperat omnibus actibus humanis vt ad bonum conuertantur. Imperium speculatiuum est quo imperatur aliquid ad veri cognitionem, & solum genus contemplationis ordinatum, vt si Physicus per hoc principium speculatiuum: *Corpus naturale est quod naturis constat*, imperaret & dirigeret eum qui cœli indagandæ naturæ daret operam, ad illam cognitionem, quâ sciret cælum esse corpus naturale, quia constat naturis.

Quando imperans est subalternans, & ancillãs subalternata, & quãdo non. Prænotandum 3. scientiam imperantẽ esse quandoque propriè & strictè subalternantem, respectu ancillantis, vt est Geometria respectu Perspectiuæ; aliquando verò non. Imperans tunc est propriè subalternans, & ancillans subalternata: cùm huius est ab illa tanta dependentia, vt hæc non possit alicui esse scientia, sine illa; quemadmodum Perspectiua nulli intellectui est scientia sine Geometria; proptereà quòd non contingat esse scientiam sine demonstrationibus; Perspectiua autem nihil perfectè demonstret sine Geometria, vt docet Doctor Subtilis in 3. distinct. 24. q. vnica: Tunc verò imperans non est subalternans,

alternans, nec ancillans subalternata, cùm hæc potest alicui esse scientia, sine illa, licet ab ea lucem & claritatem aliquam accipiat, vt in proposito contingere mox probabitur. His positis, sit,

Prima Conclusio.

IN ordine ad obiecta, Metaphysica præstat aliis scientiis. Probatur: quia vltra id quod Ens ipsum in vniuersum considerat, descendit etiam particulariter ad omniū nobilissimas species Entis, scilicet Deum & Intelligentias.

Secunda Conclusio.

MEtaphysica in se absolutè spectata eminet etiā aliis scientiis in se consideratis. Probatur iisdem rationibus quibus q. 1. ostendimus illam esse sapientiam, ac consequenter certissimam, ad docendum aptissimam, & maximè propter se expetendam; ista enim arguunt maximam eius dignitatem. Non aliter autem probatur eius certitudo, quàm ex principiorum eius certitudine, quæ eā ratione certissima iudicantur, quia sunt simplicissima, naturâ suâ notissima, & maximè stabilia; nec aliter eius ad docendum aptitudo, quàm ex eorumdem principiorum independentia & superioritate.

Obiectio 1. Obijcitur tamen 1. contra certitudinem eius. Mathematicæ scientiæ certiores sunt Metaphysicâ, quia illæ ex principiis euidentissimis, imò & sensu notissimis procedunt; hæc verò ex principiis à sensibus remotissimis, obscurissimis, & difficillimis, ac proinde etiam incertissimis: ergo Metaphysica certitudine nō eminet aliis scientiis.

Solutio. Respōdetur quòd etsi hæc scientia prout est in intellectu sensibus immerso minus certum & accuratum sibi vendicet demonstrandi modum, propterea quòd res in quibus versatur, longissimè distant à sensibus; si tamen ea absolutè & simpliciter spectetur, etiam Mathematicas scientias demonstrandi certitudine superat: versatur enim in rebus non modò simplicissimis, & suapte naturâ notissimis, sed etiam omnium maximè stabilibus, vt potè omnis materiæ, ac mutationis expertibus.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Contra id quod dicitur Metaphysicam esse omnium ad docendum aptissimam. Dialectica est aptior ad docendum quàm Metaphysica, quia tradit modum sciendi, docendi scilicet, & discendi. Ergo Metaphysica non est omnium aptissima ad docendum.

Solutio. Respondeo Dialecticam esse aptiorem ad docendum, quàm Metaphysicam, quantum ad methodum, & modum seu formam; non verò quantum ad materiam, seu principia per quæ demonstrationes fiunt. Nec est quòd dicas hoc etiam competere aliis scientiis, quæ, sicut & Metaphysica, ratione materiæ catenus etiā sunt aptæ ad docendum, quatenus in propria materia, rem demonstrant per proprias causas, sicut & Metaphysica. Nam licet aliæ scientiæ demonstrent suas pro-

prietates vel effectus per proprias causas eis accommodatas: quia tamen illæ causæ non sunt primæ nec independentes, sed superioribus subordinatæ, ideò non sunt ita aptæ ad docendum ac Metaphysica, quæ primas rerum causas & principia considerat, quæque propterea aliis scientiis in principiorum ac causarum independentia, & superioritate eminet; quô fit vt per se sola, & sine alterius adminiculo doceat exactè omnia quæ sub obiectum eius cadunt: Aliæ verò scientiæ in multis pendent ab hac, vt exactam causarum cognitionem tradere possint.

Tertia Conclusio.

Metaphysica comparata cum alijs scientijs quatenus eis aliquid confert, est illis præstantior. Probatur, quia imperat omnibus, non imperio quidem practico, sed speculatiuo, dirigendo scilicet illas ad veri cognitionem, tradendo principiorum altissimorum certitudinem, primarum causarum cognitionem, obiectorum suorum limitationem, & alia: Tamen propter hoc imperium, non sibi propriè subalternat alias scientias. Prima pars conclusionis patet ex dictis, quæstione 2. conclusione 2. Secunda pars probatur: Ad propriam subalternationis rationem, oportet subalternatam indigere subalternante, vt rationem induat scientiæ: At multæ scientiæ inferiores Metaphysica, non indigent Metaphysica, vt sint perfectæ scientiæ; Constat de Philosophia naturali, & Mathematicis: nam vt dicit Fōseca, etsi harum scientiarum principia possint à Metaphysico demonstrari deductione ad impossibile, propterea quòd prima principia Metaphysicæ sunt omnium manifestissima, & quorum opposita sunt omnium absurdissima; non omnia tamen ab illo ostensiuè demonstrantur; tum quia cùm cæteræ scientiæ habeant plurima principia immediata, seu, quod idem est, indemonstrabilia, non possunt eorum omnia principia ostensiuè demonstrari à priori, vt patet ex primo Posteriorum. cap. 2. text. 5. alioqui iam non essent immediata ac indemonstrabilia: tùm quia alioqui nulla alia scientia demonstraret, *propter quid*; ac proinde vt aliquid sciretur *propter quid*, oporteret priùs addiscere Metaphysicam: quod tamen non fieri docet experientia. Confirmatur præterea hæc conclusio ex Doctore Subtili primo Metaphysicorum. q. 9. vbi hanc rem breuiter attingit.

Obiectio 1. Obijcitur 1. Vltra hanc subalternationem ratione principiorum, est alius modus subalternationis ratione obiecti, quando videlicet subiectum subalternatę continetur sub obiecto subalternantis, & in obiecto illius additur differentia accidentalis supra obiectum huius; quo pacto Musica subalternatur Arithmethicę. At subiecta cæterarum scientiarum includunt subiectum Metaphysicæ, eique addunt accidenta-

rias differentias cõtinui, discreti, & alias huiusmodi, quæ accidunt Enti, quatenus Ens est: hæc ergo scientia cæteras sibi subalternat.

Solutio 1. Respondeo primò ad maiorem, non semper requiri vt differentia obiecti subalternatæ sit per accidens illi: dicuntur enim libri de cœlo, & de corpore generabili & corruptibili, subalternari octo libris Physicorum, in quibus disseritur de corpore naturali in se: neque tamen supra corpus naturale, differentiam addunt accidentariam, sed per se.


Solutio 2. Secundò nego minorem; nam differentia quæ additur, debet immediatè afficere subiectum subalternantis, vt sonus numerum; at naturalitas, continuitas, & discretio non Ens ipsum, sed illa quidem corpus; hæ verò magnitudinem, & multitudinem afficiunt.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Etiam ratione principiorum cæteræ scientiæ subalternantur Metaphysicæ: patet de Dialectica, quæ hæc sua pronuntiata: *Quinque sunt species Vniuersalium. Decem sunt Prædicamenta.* Non aliter probare potest, quàm per Metaphysicam.

Solutio. Respondeo hoc probare cæteras scientias subalternatione quadam partiali, & quoad aliquas veritates, subalternari Metaphysicæ, non subalternatione totali, de qua hîc loquimur.

Et hæc de Prœludijs rerum Metaphysicarum.





F. MARTINI MEVRISSE ROYENSIS, ORDINIS MINORVM, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI Parisiensis, Rerum Metaphysicarum

LIBER PRIMVS.

DE ENTE ET EIVS diuisionibus ac modis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid nomine Entis intelligatur?

Ens, res, & aliquid idem significant ex Aureolo.



PRÆNOTANDVM I. ex Aureolo nostro in primo Sentent. dist. 2. parte 1. art. 1. vocabula Entis, rei, & alicuius, idem planè significare, & etymologia solùm differe: Tum quia idem obijcitur intellectui nomine Entis, quod nomine rei, & alicuius; Tum quia ista easdem omninò patiuntur diuisiones. Sicut enim Entis aliud est actu, & aliud potentia; aliud in anima, & aliud extra animam, aliud substantia, & aliud accidens: Ita rei, alia est actu, alia potentia, alia in anima, alia extra animam, alia substantia, alia accidens; Et idem dicendum est de aliquo; Tum quia sicut nihil & non Ens, æquipollent: ita nihil & non res, nihil & non aliquid. Quod spectat ad harum dictionum

etymologiam, mox dicemus vnde dicatur Ens. Henricus apud Doctorem Subtil. in 1. dist. 3. q. 5. & dist. 36. q. vnica. docet nomen, res, vel à verbo, *reor*, vel à participio, *ratum*, originem trahere: & quidem prout à verbo, *reor*, deducitur; tam ad entia rationis, quàm ad entia rei se extendere; prout autem à participio, *ratus*, ducit originem, solis Entibus rei conuenire, quòd nimirum illa rata sint & firma. Nihilominus multa reprehendit in quibusdam dictis illius Doctor Subtilis, potissimùm in eo quòd latè philosophando de Ente rato, doceat ratitudinem Entis (si tamen his barbaris dictionibus post ipsum vti liceat) consistere in respectu exemplati ad suum exemplar, quatenus Ens ratum illud est quod habet quidditatem veram & realem, per quam distinguitur à figmentis: figmenta enim, inquit, non habent exemplar: vel in respectu producti ad suum producens & efficiens, quatenus Ens ratum idem est quod Ens aliquale seu existens. Hæc inquam reprehendit Scotus: primum quidem, quia falsum est ratitudinem Entis consistere in respectu æterno ad suum exemplar, eo modo quo id docet Henricus, nimirum sic quòd omne Ens aliud à Deo, virtute illius ratitudinis, & respectus, habuerit aliquod esse reale ab æterno: Nam, vt docet in 1. dist. 36. & nos etiam infrà docebimus, nullum Ens aliud à Deo, habuit aliquod esse reale ab æterno: Secundum verò, quia quantumuis omne Ens

Res à verbo reor, vel à participio ratus.

Reprehenditur Henricus à Doctore Subtili, in 1. dist. 3. q. 5. & dist. 36.

creatum & finitum habeat respectum ad suum efficiens; tamen ratitudo seu firmitas & certitudo eius non consistit in illo respectu: *Quòd autem dicitur*, inquit Scotus, *quòd homo est Ens formaliter ratum aliquâ relatione, videtur valdè absurdum; quia secundum August. 7. de Trinit cap.* 1. Si est nihil ad se, nihil est ad aliud. *Et hoc ipsi concedunt quòd relatio non potest fundari in relatione, sed in absoluto. Quæro igitur de fundamento talis relationis, quæ dicitur ratitudo, dicatur, à, etsi est ad se: Ergo non includit essentialiter in suo intellectu per se respectum; quia nihil essentialiter includens respectum, est ad se formaliter. Istud, à, inquantum est ad se, aut est ratum, & habeo propositum; aut non est ratum; & tunc ille respectus fundabitur in Ente non rato; & respectus per ipsum Henricum, est idem fundamento: Ergo respectus est idem Enti non rato; & maximè est consequens inconueniens, si accipiatur non ratum pro illo, cui repugnat esse: quia tunc sequitur quòd ratitudo illa fundatur in non rato, quod est nihil: & ita ille respectus esset nihil, & tunc Ens ratum esset ex duobus nihilis.* Hæc Scotus in 1. dist. 36. Idem ferè habet dist. 3. q. 5. *Quantum ad istum articulum*, inquit, *dico quòd nullus respectus est ratitudo, sine quo aliquid est firmum Ens, vel verum Ens, vel certum Ens in quacumque Entitate: quia omnis respectus aliquid habet in quo fundatur, quod secundùm se, non est ad aliud: & in illo priori, in quo est essentialiter Ens ad se, si non est essentialiter Ens certum, aut Ens firmum, non erit capax alicuius respectus, per quem fiat Ens ratum*

quia ens ratum si fiat ratum ; aut fiet ratum ex se, quod includit contradictionem, quia quidquid est ex se aliquale, est necessariò tale : aut ab aliquo causante fiet ratum ; & si hoc, prius naturaliter absolutum aliquod potest terminare illam causationem, quam respectus : quia formalis ratio cuiuslibet termini primi producti, non est necessariò respectus.

Concludit Scotus ratitudinem Entis non consistere in respectu vllo nec exemplari ad exemplar, nec producti aut effectus ad efficiens: sed in esse essentiæ & existentiæ, vel saltem in non repugnātia ad illud vtrumque esse.

Quia autem Henricus in fauorem suæ sententiæ, adduxerat illud Auicennæ 5. Metaphysicorum : ***Humanitas est tantùm humanitas*** : quatenus ostenderet rationem humanitatis non esse rem ratam ; proindeque oportere quòd aliquo alio extra rationem humanitatis, putà respectu aliquo, sit ens ratum. Ideò respondet Doctor Subtilis quòd particula illa, *tantum*, non excludit ea quæ sunt de per se ratione humanitatis, cuiusmodi est Entitas rata : sed excludit illa quæ sunt per se passiones Entis, vt vnum, actus, potentia &c. sicut patet ex verbis ipsiusmet Auicennæ. Concludit itaque Scotus Ens ratum illud esse quod habet esse essentiæ & existentiæ ; vel saltem cui non repugnat illud vtrumque esse.

Ens duobus modis spectatur, vt participium & vt nomen verbale.

Prænotandum 2. Ens ex ratione dictionis consideratum, esse participium verbi substantiui, *est*, non tamen ex vsu Philosophorum solam participij significationem retinuisse, sed nominis obtinuisse : & vt participium quidem, rem actu existentem denotare : vt nomen verò, id vel cui actu competit, vel cui competere potest existentia, significare : quod conuenit etiam verbo substantiuo, *est*, quod nunc rem actu existentem, vt in propositionibus de secundo adjacente ; nunc essentiam, vel saltem essentialis prædicati conuenientiam, vt in propositionibus de tertio, significat. Et hanc quidem duplicem significationem paucis complectitur Aristoteles 3. de Anima. cap. 4. vbi habet: *Aliud est magnitudinem esse, & aliud magnitudini esse*. i. aliud est magnitudinem existere, aliud est magnitudini inesse suam quidditatem. Hoc idem verificatur in quibusdam alijs prædicatis essentialibus, vt in hac voce *viuens*, quæ vt participium verbi *viuo*, significat actum viuendi, & vt nomen substantiuum eiusdem verbi, gradum vitę, seu viuentis essentiam denotat ; quomodo in Categoria Substantiæ, tanquam attributum essentiale continetur. Ratione prioris significationis, dicimus Scotum mortuum, quia actu non viuit. Ratione posterioris, dicimus esse viuentem, quia cùm sit homo & animal, gradu vitæ non caret. Meritò itaque dubitari potest an cùm in Metaphysica de Ente disceptatur, id solùm quod actu est, vel potius indifferenter tam id quod est, quàm id quod potest esse, eius nomine significetur? Quidam ex Thomistis, quos refert Masius, ex doctissima Prædicatorum familia, lib. 1. suę Metaphysicę cap. 3. & lib. 2. cap. 12. volunt entis nomine existentiam significari: illemet verò non existentiam, sed potius essentiam denotari sustinet.

Duobusmodis res accipitur ex doctore Subtili. q. 3. quodlibetica.

Prænotandum 3. Ens, ſicut & rem, varijs modis vſurpari, vt docet Doctor Subtilis q. 3. quodlibet. art. 1. Primò enim ſumitur communiſſimè, prout ſe extendit ad id omne quod non eſt nihil: illud autem ſolùm propriiſſimè eſt nihil, quod includit contradictionem; quia quod includit contradictionem excludit omne eſſe, tam extra intellectum, quàm in intellectu: Quod enim includit contradictionem, ſicut non poteſt eſſe extra animam, ita non poteſt eſſe aliquid intelligibile, ſeu aliquod ens in anima: numquam enim contradictorium cum contradictorio conſtituit vnum intelligibile, nec vt obiectum cum obiecto, nec vt modus cum obiecto. Non quidem vt obiectum cum obiecto: quia quod includit contradictionem, coaleſcit ex multis, quorum vnum eſt contradictorium alteri, vt chymæra, cuius partes quantumuis ſint per ſe, & ſeparatim intelligibiles, tanquam obiecta veluti partialia: tamen ſimul vnitæ conſtituere nequeunt vnum quidpiam intelligibile ex obiecto & obiecto, quippe quorum vnum repugnat alteri, tam à parte rei, quàm à parte intellectus rectè concipientis: nec item vt modus cum obiecto; quia quod includit contradictionem, inuoluit multa ſimul incompoſſibilia: omnis autem modus debet eſſe compoſſibilis cum re cuius eſt modus. Itaque quod includit contradictionem, non conſtituit vnum quidpiam intelligibile ex obiecto & modo obiecti. Hoc modo igitur communiſſimè nomen Entis ſiue rei vſurpabitur pro eo omni quod vel eſſe, vel ſaltem intelligi poterit: & hæc quidem acceptio quamuis videatur extenſa valdè, non eſt tamen impertinens: nam & intentiones logicas, & relationes rationis, entia rationis ſolemus nuncupare. Secundo modo minus communiter ſumitur Ens ſiue res pro eo ſolùm quod habet vel habere poteſt eſſe extra animam: & ſic entia rationis non ſunt entia, ſed nihil; non quidem nihil quod includit contradictionem: ſed nihil quod nec eſt, nec eſſe poteſt aliquod ens extra animam. Tertio modo nimis ſtrictè nomen entis ſiue rei denotat apud Boëtium 1. de Trinit. cap. 10. illud ſolùm quod ita propriè eſt ens & res, vt non ſit modus vel circumſtantia rei: ſicque ſecundum ipſum, finitas, infinitas, actus, potentia, & fortè ſeptem poſtrema ſumma genera non ſunt res & entia. Quarto ſtrictiſſimè ſumitur ens apud Ariſtotelem 7. Metaphyſic. pro ſola ſubſtantia: nam eò loci dicit Accidentia non eſſe entia niſi entis: quod, quo modo ſit intelligendum, inferius dicemus. Iam quæritur quid horum, entis nomine, quod apud Metaphyſicos paſſim circumfertur, intelligatur?

Prima Concluſio.

ENtis nomine ſumpto abſolutè, & ſine vlla modificatione, non ens in anima, ſed ens extra animam ſemper in-

telligitur. Probatur: Analogum in propositione positum stat semper pro potiori significato: Sed Ens respectu Entis in anima, & Entis extra animam, est analogum, immò & æquiuocum, vt sequenti quæstione dicetur: Ergo in quacumque oratione siue propositione, sine modificatione, positum, stare debet pro potiore Entis significato: At illud est Ens extra animam: Nam Ens in anima, non tam est Ens, quàm Entis similitudo: Ergo Entis nomine sumpto absolutè, & sine modificatione, non Ens in anima, sed Ens extra animam debet intelligi. Confirmatur exemplo huius vocis, *homo*, quæ absolutè sumpta, non pictum, sed verum hominem significat.

Secunda Conclusio.

QVamuis Entis nomine, omne Ens extra animam intelligatur; non tamen primùm & proximè id quod quouis modo est extra animam, putà passiones & proprietates Entis, sed ipsum Ens, cuius sunt tales proprietates, debet intelligi. Probatur. Nam cùm profertur ista dictio, *Ens*, intellectus statim non concipit passionem aliquã, veri, scilicet, aut boni rationem; sed ipsum gradum vniuersalissimum ab his & illis rebus; his, aut illis rationibus, constitutis, hoc vel illo modo affectis, abstractissimum, quo simplicissimè quidpiam esse aliquid actu, vel potestate, & non esse nihil, dicitur. Ergo licet Entis nomine, omne Ens extra animam intelligatur; non tamen primùm & proximè id quod quouis modis est extra animam; sed illud solùm quod habet rationem illam simplicissimam essendi aliquid, & non essendi nihil, primariò, directè, & ex germana vocis significatione debet intelligi.

Tertia Conclusio.

ENtis nomine, nec existentia, nec essentia propriè significatur. Probatur ex ratione significationis Concretorum & Abstractorum. Ens sumptũ tam vt participium, quàm vt nomen, est quid concretum. Ergo rem abstractam simpliciter non significat. At existentia & essentia sunt abstracta, existentia quidem modus seu forma quâ aliquid actu est, essentia verò forma quâ aliquid simpliciter esse dicitur. Ergo Ens nec existentiam, nec essentiam propriè significat. Et certè qui ita loquuntur, eodem modo loquuntur ac si dicerent albi nomine albedinem denotari, cùm potius id quod habet albedinem significetur. Cõcreta non significant solas formas in abstracto.

Quarta Conclusio.

ENs ex vsu Metaphysicorum, non vsurpatur quâ participium, vt id quod actu est duntaxat denotet; sed quâ nomen, vt tam id quod est, quàm illud quod potest esse, & cui non repugnat essentia & existentia, indifferenter significet. Probatur hac communi ratione: Res considerantur in scientijs prout

abstrahunt

Res quę considerantur in scientijs, abstrahũt ab existentia.

abstrahunt ab existentia: quia considerantur quatenus perpetuæ sunt; vt autem actu existentes, non sunt perpetuæ. Ergo Ens quod consideratur in Metaphysica, quæ est vera scientia, debet abstrahere ab existentia: proindeque sumi non debet vt rem actu existentem, sed vt id quod est, vel quod potest esse, significat.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quæ & qualis sit diuisio Entis in Ens rei, & Ens rationis?

Entis aliud reale, aliud rationis.



VÆSTIO supponit Entium aliud esse reale, aliud rationis: seu aliud esse extra animam, & aliud in anima, vt loquitur Aristoteles.

Ens rationis sumitur tribus modis ex Scoto in 4. dist. 1. q. 2.

Prænotandum tamen 1. Ens rationis tribus modis vsurpari, vt docet Doctor Subtilis in 4. dist. 1. q. 2. Primo modo, pro eo quod habet esse in anima, vel intellectu seu ratione, tanquam in subiecto & in causa, vt species, actus, habitus, verbum mentis, & similia, quæ & directè producuntur à ratione tanquam à propria causa, & remanent in ratione tanquam in proprio subiecto. Ex Arist. 3. de anima. c. 5. vbi habet: *Rectè igitur, inquiunt, qui dicunt animam esse locum specierum: præterquàm quòd nec tota, sed intellectiua; nec actu, sed potestate, est species illa.* Secundò sumitur pro eo quod est in intellectu obiectiuè, seu quod obiicitur intellectui cognoscendum, vt vniuersalia, ex eodem Arist. 2. de anima. cap. 5. mihi pagina 637. & in antiquis impressionibus text. 60. vbi dicit: *Ipsa autem*, supple vniuersalia, *sunt quodammodo in ipsa anima:* Quodammodo, id est, obiectiuè, vt interpretantur nostri. Tertiò denique accipitur Ens rationis, vel pro eo quod cùm nihil sit, apprehenditur tamen, ex imperfectione intellectus nostri, per modum Entis, vt negationes & priuationes: Vel pro eo quod remanet in obiecto cognito, vel comparato, ex eo quòd cognitum vel comparatum ad aliud, fuerit; vt genus, species, attributum, subiectum, & aliæ similes relationes rationis, vel secundæ intentiones, ac etiam denominationes extrinsecæ, quibus denominantur obiecta ex operatione intellectus, vel alterius facultatis collatiuæ circa ipsa.

Ens rationis primo & secundo modo sumptum, non est Ens rationis simpliciter, sed Ens reale: quod patet primò de Ente rationis primo modo sumpto; tùm quia quod inhæret realiter subiecto reali, illud censetur accidens reale; tùm quia quod per se & directè fit à causa reali, est Ens reale; tùm quia quod continetur per se in Categoria Qualitatis, est Ens rei, quia in Categorijs solùm Entia rei collocantur: Ens rationis primo modo sumptum est huiusmodi: Ergo simpliciter est Ens reale. Patet etiam de Ente rationis secundo modo vsurpato: quia

illud est natura aliqua realis repræsentata sub vniuersalitate intellectui vt intelligatur, ita tamen vt vniuersalitas non sit pars conceptus eius primi, nec modus cum natura ipsa intellectus, sed modus dumtaxat naturam intelligendi: & ita quantumuis vniuersalitas ipsa fieret ab intellectu; (de quo aliàs) tamen illud ens rationis quod est obiectiuè in intellectu, non est simpliciter ens rationis, sed rei: quia quod primò & per se obijcitur intellectui, est natura realis, nō vniuersalitas. Ita Scotus noster in 2. dist. 3. q. 1. §. *ad quæstionem*. Ens rationis tertio modo sumptum, quod scilicet est simpliciter ens rationis, & nullo modo reale, illud est quod habet esse dumtaxat per actionem intellectus considerantis. Verùm huius entis rationis natura, causis, & proprietatibus nunc omissis; quæritur quânam ratione se habeat ens ad ens rei, & ens rationis: An scilicet omnium prima diuisione diuidatur in illa duo membra? & an illa diuisio sit vniuoci in vniuocata, vel potius æquiuoci in æquiuocata?

Diuisio vna duobus modis dici potest prior altera.

Prænotandum 2. duobus modis vnam diuisionem esse posse altera priorem; vno modo secundum dignitatem, & altero secundum naturam. Illa est prior secundum dignitatem, cuius mēbra diuidentia sunt aliis nobiliora: Illa verò est prior secundum naturam, cuius membra diuidentia magis distant. Nam lex optimæ diuisionis est, vt tradatur per membra contraria: quæ autem magis distant, sunt magis contraria: ergo diuisio tradita per membra magis distantia, erit omnium prima secundum naturam.

Prænotandum 3. *Vniuoca seu synonyma* ex Aristotele in Antepraedicamentis, *esse quorum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen, eadem. Æquiuoca autem seu homonyma, quorum nomen quidem est commune, sed ratio substantiæ, secundum illud nomen, diuersa.* Inter hæc autem vniuoca & æquiuoca, non datur medium, vt obseruat Doctor Subtilis in 1. dist. 8. q. 2. Non enim primò denominatiua media sunt inter illa; nam licet non prædicentur vniuocè de suis subiectis, quia de illis non prædicantur essentialiter, sed denominatiuè; tamen sunt prædicata vniuoca, quia tribuunt eandem rationem, licet accidentariam, secundum idem nomen, suis subiectis, vt patet de albo respectu niuis & parietis. Nam hoc discrimen statuitur à Doctore nostro in 1. dist. 3. q. 3. & in 3. dist. 7. q. 1. inter vniuocè prædicari, & esse prædicatum vniuocum, quod illud sit prædicari secundum eandem rationem essentialem vniuocatis; hoc verò sit prædicari secundum eandem rationem accidentariam inferioribus. Non mediant etiam analoga inter vniuoca & æquiuoca. Nam inter vnum & multa, nullum medium inueniri potest in rebus; ergo nec in vocibus, inter significare vnum & multa, medium inuenietur. At vniuoca & æquiuoca opponuntur penes significare vnum & multa; er-

Inter vniuoca & æquiuoca non datur mediū.

Quid sit vniuocè prædicari, & esse prædicatum vniuocum.

go inter ea nullum poteſt conſtitui medium. Si igitur nomen aliquod ſignificat quidpiam vnum multis commune, vniuocum eſt: ſi verò plura, æquiuocum. Quare nullum eſt analogum quod ſit ſimpliciter tale; ſed vel eſt analogum vniuocum, vel analogum æquiuocum: Analogum quidem vniuocum; ſi ratio eius vna & eadem conueniat multis, cum ordine tamen; ita vt prius dicatur de vno, quàm de altero: Vt v.g. ratio animalis reſpectu hominis & bruti, quæ eadem, cum ordine tamen, competit illis. Prius enim, hoc eſt nobilius, ratione ſcilicet nobilioris differentiæ, conuenit homini quàm bruto: Non enim homo dicitur perfectior homo quàm brutum, ſed perfectius animal. Et quidem quia ratio illa animalis eſt eadem in homine & bruto, dicitur vniuoca: quia autem in illis eſt cum ordine quodam, dicitur analoga. Hæc doctrina eſt Ariſtotelis 7. Phyſic. cap. 4. text. 31. & 10. Metaphyſic. text. 26. & alijs in locis, in quibus docet analogiam in natura generum ſubeſſe, quam analogiam D. Thom. in 1. diſt. 19. q. 5. art. 2. vocat analogiam ſecundum eſſe, & Caietanus in libello de analogia nominum cap. 1. analogiam inæqualitatis; & hanc ſtare cum vniuocatione nullus inficiatur. Analogum æquiuocum eſt cuius ratio eſt diuerſa in multis, ſeruata tamen ſimilitudine vnius cum altera, vt ratio riſus reſpectu hominis & prati, quæ diuerſa omninò in homine & prato, propter ſimilitudinem tamen quam habet pratum cùm floret, cum riſu hominis, dicitur analoga æquiuoca: & quidem quia diuerſa eſt in vtroque, dicitur æquiuoca: quia autem cum iſta diuerſitate formali, ſeruat ſimilitudinem aliquam, dicitur analoga. Hinc patet qua ratione dixerit Scotus noſter in 1. diſt. 8. q. 2. §. *ad argumenta opinionis oppoſitæ, ad tertium*, ſolùm vnitatem attributionis non ponere vnitatem vniuocationis: quia vnitas attributionis minor eſt vnitate vniuocationis; minor autem vnitas non concludit maiorem, licet ſtare poſſit cum illa, ſicut v. g. quæ ſunt vnum genere, ſunt vnum ſpecie, licet vnitas generis ſit minor quàm vnitas ſpeciei. Nam his verbis intendit non omne Analogum attributione debere eſſe vniuocum, ſed eſſe indifferens ad hoc vt ſit vniuocum vel æquiuocum, prout eius ratio ſe habebit reſpectu eorum quibus conuenit. Sunt itaque duo vniuocorum genera, & totidem æquiuocorum. Primum genus vniuocorum eſt eorum quæ habent eandem rationem, & eodem omninò modo diſtributam inferioribus, & eius generis vix reperiuntur alia quàm ſpecies infimæ, quarum rationes eædem & eodem modo, ratione differentiarum indiuidualium æqualis omnino perfectionis aut imperfectionis, participantur à ſuis inferioribus: & hæc dicuntur purè vniuoca. Alterum genus eſt eorum quorum eſt eadem ratio, non tamen eodem modo, ſed cum ordine

communicata inferioribus: sic sunt genera & species nō infimę: & ista dicuntur vniuoca analoga. Primum item genus æquiuocorum est eorum quæ habent diuersam omninò rationem, & nulla similitudine communicatam multis: & hæc sunt purè æquiuoca. Alterum est eorum quorum est diuersa ratio, cum aliqua tamen similitudine & proportione inexistente in multis, vt ridere respectu hominis, & prati: & ista dicuntur æquiuoca analoga. Quòd si quis inde velit inferre inter purè æquiuoca, & purè vniuoca, dari medium, nempe vniuoca analoga, & æquiuoca analoga: dicendum erit illa non esse media, ratione rationis eorum, quæ participatur ab inferioribus, quæ semper est vna vel multiplex; sed tantùm ratione illius rationis, vt participatur ab ijsdem inferioribus. Participare enim rationem diuersam seruata similitudine, in quo consistit ratio Analogi æquiuoci; & participare rationem eandem, seruato ordine, aut dependentia, in quo consistit ratio Analogi vniuoci, videntur mediare inter participare eandem rationem eodem omninò modo, in quo consistit ratio puri vniuoci, & participare rationem diuersam, nulla seruata similitudine, in quo consistit ratio puri æquiuoci. Quare cùm definiuntur analoga: *quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, secundum illud nomen, partim eadem, partim diuersa*: distinctione opus est. Ratio enim substantiæ quæ participatur, in se necessariò est vel eadem, vel diuersa: vt autem varijs modis & rationibus participatur, est partim eadem, partim diuersa. Vltra quòd hæc doctrina est Doctoris nostri, & interpretum eius Radæ in 1. controuers. 21. art. 1. & Posnaniensis in 1. dist. 3. q. 1. art. 3. dubit. 3. Item Ochami in 1. dist. 2. q. 9. lit. e. dicentis nullam esse prædicationem analogam distinctam contra prædicationem vniuocam, & æquiuocam: videtur etiam non obscurè insinuata ab Arist. qui in Anteprædicamentis agens de æquiuocis & vniuocis, vt hæc admitteret ad Categorias, illa ab ijsdem arceret: non meminit analogorum, quorum tamen eo loci præsertim, mentionem debuisset facere. Item 2. Posterior. dicit quòd simile, quod quidem dicitur de colore respectu coloris, & de figura respectu figuræ, est æquiuocum, & secundum analogiam dictum. Confirmari etiam potest discurrendo breuiter per omnia analogorum genera. Cùm enim analogorum alia sint attributionis, alia proportionis seu proportionalitatis; & attributionis quidem, alia sint quorum ratio est eadem in analogatis, vt animal v. g. cuius ratio est eadem in suis speciebus, quæ dicuntur tamen analogata attributionis, quia minus nobiles per quandam attributionem, respiciunt nobiliorem tanquam suam mensuram & metrum: Alia sint, quorum ratio est omninò diuersa, vt sanum respectu animalis, diætæ, potionis, & deambulationis: Nam causare sani-

tatem, & esse formaliter sanum, sunt rationes secundum se diuersæ. Proportionis verò, alia sint metaphorica, vt ridere respectu hominis, & prati: Alia verò propria, vt pes respectu extremæ partis animalis, montis, & scamni, & principium respectu fundamenti domus, puncti lineæ, & præmissarum demonstrationis: Constat iam primò, analogorum attributionis priora esse vniuoca, & posteriora æquiuoca; nam nulla est ratio sanitatis v.g. in qua animal, diæta, & potio non sint omnino diuersa: quia tamen cum ista diuersitate æquiuoca, deambulatio, potio, & diæta attribuuntur ad animal, cuius sanitatem efficiunt; hinc fit vt illa non sint simpliciter æquiuocata, sed æquiuocata analogata. Constat etiam analogorum proportionis priora esse æquiuoca; quia ridere propriè dicitur de homine, & per metaphoram solùm de prato florente: posteriora autem esse vniuoca, vt communiter fatentur moderni ex Arist. 5. Metaph. cap. 1. vbi enumerans v. g. principia omnia diuersæ rationis, asserit illa conuenire in ratione principij, his verbis: *omnibus igitur principijs commune est esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Ergo analoga non sunt media inter vniuoca & æquiuoca; sed omne planè analogum est aut vniuocum, aut æquiuocum, prout eius ratio se habet ad illa, de quibus dicitur.

His positis controuertitur inter Scholasticos, an ad Ens rei & ad Ens rationis, Ens transcendentissimè sumptum sit synonymum, vel homonymum? Et si homonymum, an purè homonymum, an homonymum analogum? Aliqui, quos refert Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 47. sect. 3. nu. 2. existimant aliqua saltem Entia rei & Entia rationis synonymè conuenire, nimirum relationes reales, & relationes rationis, ad quas docent genus prædicamenti ad aliquid, esse synonymum. Pro hac sententia refertur D. Thom. 1. p. qu. 28. art. 1. vbi habet: *Considerandum est quòd solùm in ijs quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem tantùm, & non secundum rem.* Quibus verbis, inquit Suarez, sentit ea quę secundum rationem tantum referuntur, verè ac vniuocè esse ad aliquid: nam si solùm esset sermo de denominatione æquiuoca, vel analoga, non tantùm in eis quæ sunt ad aliquid, sed etiam in aliis generibus, inuenirentur aliqua secundum rationem tantum, vt cæcitas in qualitate, & sic de aliis. Citatur adhuc art. 2. eiusdem quæst. & quæstione 13. art. 7. & quodlibet. 1. art. 2. & alibi sæpè. Vnde Cajetanus dictis locis 1. p. apertè sentit ipsum esse, *ad*, vniuocè dici de relatione reali, & de relatione rationis: Ita etiam Capreolus in 1. dist. 33. q. 1. & Soncinnas 5. Metaphysic. q 26. conclus. 2. quamquam Masius lib. 1. Metaphysic. cap. 7. citet hunc 4. Metaphysic. q. 5. & 10. q. 1. pro sententia eorum qui docent Ens esse purè homonymum ad Ens rei & rationis.

Idem Masius eodem 1. Metaphysic. cap. 9. in solutione vltimi argumenti, putat Scotistas etiam existimare Ens habere vnicum conceptum, & esse synonymum ad Ens rei & ad Ens rationis, sed immeritò; quia nullus Scotista hanc Doctrinam vsquam tradidit. Alij innumeri docent Ens esse purè homonymum ad Ens rei & rationis. Alij censent esse quidem homonymum, at non purè, sed homonymum analogum. Veritatem sequentibus conclusionibus aperio.

Prima Conclusio.

DIuisione omnium prima secundum naturam, Ens diuidi debet in Ens extra animam, & in Ens in anima. Vltra quòd hæc conclusio patet ex 2. prænotato; est insuper Doctoris Subtilis in 1. d. 36. q, vnica, in responsionibus ad argumenta; & in hunc modū declaratur: Diuisio Entis in Ens extra animā, & in Ens in anima, est omnium communissima & generalissima; Cæteræ enim diuisiones Entis, quotquot sunt, minùs latè patent, continenturque sub alterutro membro huius diuisionis. Ergo hęc diuisio est omnium prima secundum naturam.

Secunda Conclusio.

ENs non est vniuocum ad Ens rei, & rationis. Conclusio est expressa Doctoris Subtilis in 1. dist. 19. q. vnica, vbi quærens, An ratio principij dicatur vniuocè seu synonymè de principio essentiali, & notionali in diuinis? Respondet negatiuè, non aliâ ratione, nisi quia principium vt sumitur essentialiter in diuinis, non dicit nisi respectum rationis, quia respectum ad creaturas: Dei autem ad creaturas nullus est realis respectus, sed rationis tantum, vt probat eodem 1. lib. d. 30. q. 2. Principium autem vt sumitur notionaliter seu personaliter, dicit respectum realem: Docent enim communiter Theologi paternitatem, filiationem, & alias relationes personales seu notionales, in diuinis, esse reales; Enti autem reali, & Enti rationis nihil est commune vniuocum; Enti rei & Enti rationis nihil est cōmune vniuocum. *Quia*, inquit, *ei quod est secundum quid tale, & ei quod est simpliciter tale in quantum tale, non est commune vniuocum illud quod accipitur in eis secundum quid, & simpliciter.* Accedit ratio: Ens communissimè sumptum, & vt competit Enti rei & Enti rationis, non potest habere vnum conceptum: Ergo non potest synonymè dici de Ente rei, & Ente rationis. Consequentia patet, Antecedens probatur. Vel ille conceptus consisteret secluso opere intellectus, vel non; si consisteret, ergo aliquid consistens præter opus intellectus, includeretur quidditatiuè in eo quod non esset præter opus intellectus, cuiusmodi est Ens rationis. Si non esset præter, sed per opus intellectus: ergo aliquid habens esse tantùm per intellectum, includeretur quidditatiuè in eo quod haberet esse præter opus intellectus, quod quidem fieri nequit. Ergo con-

ceptus Entis cõmunissimè sumpti & indifferentis ad Ens rei,& Ens rationis, non est vnus; nec adeò synonymus.

Noster Franciscus Mayronis nititur soluere hanc rationem, dicens quòd conceptus Entis nec est realis, nec rationis formaliter; sed tantum permissiuè; sicut animal nec est rationale nec irrationale formaliter, sed tantum permissiuè seu potestatiuè. Verùm hæc solutio nulla est. Nam animalis ■ præcisi à rationali & irrationali, datur vna ratio sine contradictione: Entis autem vt abstracti ab Ente rei & Ente rationis dari non potest vna ratio sine contradictione, vt probat ratio allata.

Obiect. 1. Obijcies 1. Doctor Subtilis quæst. 3. quodlib. art. 1. docet Ens communissimè acceptum, & prout est indifferens ad Ens rei, & Ens rationis, posse poni primum obiectum nostri intellectus. At objectum primum nostri intellectus debet esse vniuocum, vt colligitur ex eodem Doctore in 1. d. 3. qu. 3. Ergo Ens in se,synonymè seu vniuocè dicitur de Ente rei, & Ente rationis.

Solutio Quomodo Ens cõmunissimè sumptum sit primum obiectũ intellectus. Respondetur distinguendo maiorem, scilicet Ens eo modo acceptum posse, poni primum obiectum nostri intellectus, quocumque modo illud se habeat ad intellectum, siue mouendo siue terminando actionem eius; siue obijciatur vt per se intelligibile, siue vt intelligibile tantùm per accidens; Siue vt intelligibile directum, siue vt intelligibile reductiuum; siue vt intelligibile secundum se, siue vt intelligibile secundum quid; siue vt intelligibile in se & sua vi, siue vt intelligibile in alio & vi alterius: Non autem posse poni primum, primitate obiecti motiui per se, & primò intelligibilis; nam istud est tantùm Ens reale, vt docet in 1. dist. 3. qu. 3. Hoc modo verò licet obiectum primum intellectus sit vniuocum; Priori tamen modo non potest esse vniuocum, nec illius datur vnica ratio, quæ primò & per se apprehendatur ab intellectu.

Obiect. 2. Obijcies 2. Quorum passio est vniuoca, eorum ratio est synonyma: Sed Entis realis, & Entis rationis, quædam passio est vniuoca: ergo huius vtriusque Entis ratio erit vniuoca. Maior est euidens, quia cùm passio proximè emanet à ratione & natura rei, rectè à posteriori, ex passione vniuoca, colligi poterit ratio vniuoca. Minor probatur: Intelligibilitas est passio Entis; Sed illa est vniuoca Enti rei, & Enti rationis: ergo Entis rei & Entis rationis quędam passio est vniuoca. Maior item est euidens. Minor probatur: Sicut intelligibilitas per se, competit Enti reali, ita intelligibilitas per se, conuenit Enti rationis, putà secundis intentionibus: aliàs secundæ intentiones per se non considerarentur à Logico; ergo penes hoc, videtur intelligibilitas synonymè dici de Ente reali, & Ente rationis. Omissis multis quæ habet Lichetus noster de hac re in 1. d. 3. q. 3. §. *Quantum ad secundum articulum principalem*: Respondeo breuiter ne- Solutio.

gando minorem posterioris syllogismi; & ad vltimam probationem dicendo ly, *per se*, respectu intelligibilitatis entium rationis, sumi posse dupliciter; primò itaut perseitas illa (si ita fari liceat) cadat in entia rationis, & efficiat hunc sensum; Entia rationis sunt per se intelligibilia; secundò itaut cadat in scientiam, vt sit sensus: Entia rationis, vel secundæ intẽtiones, quocumque modo sint intelligibiles, intelliguntur & considerantur per se à Logico; Priori modo, falsum est entia rationis esse per se intelligibilia, quia intelligi possunt solùm in alio, & virtute alterius, nimirum entis realis: & hoc modo tamen perseitas intelligibilitatis eorum potest causare vniuocationem inter illa, & entia realia; quia hoc modo potest intelligibilitas esse vniuoca passio entis: Posteriori modo, nullam potest causare vniuocationem; quia quantumuis Logicus consideraret per se secundas intentiones, non eas tamen consideraret vt per se & vi propria intelligibiles, sed abstrahendo à ratione quâ possunt intelligi, illas per se & non per accidens consideraret. Adde quòd valde dubium est, an Logicus consideret per se secundas intentiones; An verò potius quatenus inseruiunt actionibus intellectus dirigendis.

Tertia Conclusio.

ENs communissimè sumptum est æquiuocum ad ens rei & ens rationis; non tamen purè æquiuocum, sed æquiuocum analogum. Conclusio est communis in nostra Schola, vt videre licet apud Anthonium Sirectum in suis Formalitatibus art. 1. principali. Ens, inquit, diuiditur in ens reale, & ens rationis: & ista est diuisio æquiuoci analogi in sua æquiuocata analogata. Probatur: Illud est æquiuocum analogum, cuius nomen est commune, & ratio secundum illud nomen, diuersa: seruata tamen attributione, vel proportione vnius ad aliud. Sed ens communissimè sumptum est huiusmodi respectu Entis rei, & Entis rationis. Nam imprimis nomen est commune, & ratio diuersa: quia ratio Entis realis consistit in eo quòd existat vel possit existere independenter ab intellectu: Ratio autem Entis rationis consistit in eo quòd nec existat nec possit existere independenter ab intellectu, aut altera facultate habente vim fabricandi entia rationis. Præterea seruatur attributio vnius ad alterum: Nam Ens rationis attribuitur ad ens reale tanquam ad suum metrum & mensuram, à qua mensuratur eius entitas, existentia, & intelligibilitas. Adde quòd ens rationis est intelligibile per ens reale, sicut negatio est cognoscibilis per affirmationem, & priuatio per habitum. Seruatur etiam inter vtrumque aliqua proportio vel proportionabilitas, vt docet noster Vallo. Quia sicut se habet ens reale respectu suorum inferiorum in suo ordine, sic se habet ens rationis respectu suorum, in suo etiam ordine.

ordine. Item sicut se habet intelligibilitas Entis realis, ad Ens reale; Ita se habet intelligibilitas Entis rationis, ad Ens rationis: Nam sicut illa est intelligibilitas per se, quia Ens reale est Ens per se (perseitate scilicet opposita Enti secundum quid:) Ita ista est intelligibilitas secundum quid; quia Ens rationis est Ens secundum quid. Ergo Ens communissimè & transcendentissimè sumptum, est æquiuocum analogum ad Ens reale, & Ens rationis.

QVÆSTIO TERTIA.

Quid sit Ens rationis?

PRÆMISSÂ diuisione Entis, in Ens reale, & in Ens rationis: operæpretium duxi priusquam de Ente reali, quod est propria Metaphysicæ materia, disputem, pauca prçmittere de Ente rationis: non quòd eius consideratio per se ad Metaphysicam pertineat, sed quia per accidens debet illud speculari, eodem modo quo Physicus contemplando per se locum, contemplatur quoque per accidens vacuum, quod loco priuatiuè opponitur. Non possum autem imprimis non conqueri de illis qui adeò prolixas disputationes instituunt de huiusmodi figmentis, vt quæ vno verbo explicari possunt, innumeris implicent difficultatibus, scribendo etiam multa falsa, & turpiter imponendo veteribus authoribus ea quæ nunquam in mentem eorum venerunt. Ita modernus aliquis, qui duos ingentes tomos in Logicam edidit, in suis prolegomenis parte 1. qu. 4. cap. 1. nitens ostendere Entia rationis non indigere cognitione reflexa, vt fiant; citat Scotum 7. Metaphysic. qu. 10. & Antonium Andream ibidem, quæst. 9. & Scotistas omnes, pro opposita sententia, cùm tamen illi dictis locis ne quidem Entium rationis meminerint, & alibi vbicumque de illorum effectione loquuntur, nusquam dixerint ad id, opus esse cognitione reflexa intellectus, imò neque id quidem ex eorum dictis colligi possit. Sed omittamus hos scriptores, & mentem Scoti nostri breuiter aperiamus.

Prænotandum itaque primò ex Scoto in 4. dist. 1. quæst. 2. paulò post initium, Ens rationis propriè definiri non posse; quia quod verè & propriè definitur, debet habere veram & propriam quidditatem: At Ens rationis non est huiusmodi: cùm enim non sit res, non est etiam quid: proindéque quidditatem non habet. Restat itaque vt Entis rationis aliqua possit assignari ratio nominis, vel descriptio explicans illius qualecumque esse. *Ens rationis propriè definiri non potest.*

Prænotandum 2. actionem intellectus esse, vel absolutam, vel relatiuam. Absoluta est quâ cognoscimus rem absolutè, & sine ordine ad aliud, vt cùm cognosco hominem esse animal. Comparatiua seu relatiua est quâ cognoscitur res cum ordine & *Actio intellectus multiplex.*

I.

habitudine ad aliud, vt cùm cognosco hominem referri ad indiuidua. Vtraque ista actio intellectus est iterũ vel directa, vel reflexa. Directa est quâ res primò & directè cognoscitur, vt cùm intelligo hominem, animal, &c. Reflexa est quâ res cum reflexione cognoscitur, vt cùm v. g. intelligo me intelligere. Idem dicere possumus de actionibus voluntatis, quæ est etiam facultas directa, collatiua, & reflexiua. Directa quia directè, simpliciter, & absolutè vult: Collatiua, quia potest vnum conferre cum altero, putà vnum medium ordinatum ad finem cum altero, vel etiam multa media cum fine. Tandem reflexiua, quia potest reflecti supra suam actionem, vt cùm v. g. vult se velle.

Prænotandum 3. Ens rationis communiter diuidi in fictitium, & fundatum; fundatum insuper subdiuidi in negationes, & relationes. Ens rationis fictitium est quod absque vllo fundamento, simpliciter fingitur ab intellectu, vel ab alia facultate habente virtutem fingendi, & copulandi extrema incompossibilia, cuiusmodi est phantasia. Huius generis sunt Chimęra, Hirco-Ceruus, & similia, quæ vulgò entia prohibita & impossibilia nuncupantur. Ens rationis fundatum est quod vel fingitur in aliquo fundamento, vel resultat in aliquo fundamẽto, ex operatione intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ circa ipsum: & quidem negationes & priuationes sunt entia rationis ficta in fundamento,

Ens rationis multiplex.

nam quatenus sunt Entia rationis, nihil aliud sunt quàm formæ quædam, quę finguntur malè afficere subiecta, quorum sunt negationes & priuationes: Verbi gratiâ, cæcitas quatenus est Ens rationis, nihil aliud est quàm forma quædam praua, ficta ex imperfectione intellectus non potentis semper cognoscere res vt sunt, vt pessimè afficiens oculum: alioqui enim cæcitas est Ens reale, saltem priuatiuum, quia est in subiecto priuato, nullo cogitante intellectu. Cætera Entia rationis quæ habent esse per resultantiam, sunt relationes rationis, vel denominationes extrinsecę, vt sunt verbi gratia, genus, species, prædicatum, subiectum, & similia. His positis, sit

Prima Conclusio.

Definitio Entis rationis, quę vulgò tradi solet, quâ dicitur Ens rationis esse id quod cùm non habeat veram Entitatem, cogitatur tamen ab intellectu per modum Entis; non est legitima. Probatur: quia relationes rationis sunt Entia rationis: neque tamen opus est vt concipiantur per modum Entis, ad hoc vt sint Entia rationis. Ergo definitio vel descriptio allata non est legitima, & vniuersim vera. Maior patet. Minor probatur: quia ex eo, verbi gratia, quòd intellectus formauit hanc propositionem: *Petrus est homo*, resultat in homine, relatio prædicati ad Petrum; & in Petro, relatio subiecti ad hominem; quæ

relationes ſunt Entia rationis, ex illa mera reſultantia, abſque eo quòd intellectus reflectatur ſupra illam ſuam operationem, & apprehendat rationẽ prædicati & ſubiecti per modum Entis. Ergo relationes rationis non ſunt Entia rationis, ex eo præcisè quia apprehenduntur ad modum Entis. Confirmatur ex Doctore Subtili in 1. diſt. 2. qu. 2. §. *Sed hic reſtat.* Vbi dicit illud omne quod ponitur, vel quod reperitur in aliquo, ex ſola operatione intellectus, abſque impreſſione facta ab obiecto, eſſe Ens rationis. Et in 4. diſt. 1. qu. 2. vbi dicit relationem rationis nihil aliud eſſe quàm comparationem, quâ obiectum aliquod conſideratum comparatur ad aliud, per actum intellectus comparantis. Et iterum in 1. diſt. 35. vbi dicit quòd *in eodem inſtanti, in quo intellectus diuinus producit lapidem in eſſe intelligibili, eſt relatio in lapide ad intellectum diuinum intelligentem ipſum:* Relatio, inquam, rationis, non realis: Ex quibus omnibus locis, conſtat de mente Scoti, non eſſe opus actione reflexa intellectus, quâ concipiatur aliquid per modum Entis, cùm tamen non habeat veram Entitatem, ad hoc vt ſit Ens rationis. Fateor deſcriptionem illam conuenire poſſe Entibus rationis purè fictitijs, & fictitijs in fundamento, vt patet ex eorum natura: falſum eſt tamen vniuerſim conuenire omnibus Entibus rationis, quia non relationibus rationis, vt dictum eſt.

Secunda Concluſio.

ENs rationis vniuerſim deſcribi poteſt, id quod fingitur ab intellectu, cùm non ſit; vel quod reſultat ex aliqua operatione intellectus, vel alterius potentiæ collatiuæ circa obiectum aliquod primò conſideratum, abſque vlla impreſſione facta ab illo obiecto. Concluſio iſta patet ex dictis: & ampliùs declaratur ex eo, quia hęc deſcriptio complectitur omnia Entia rationis tam fictitia ſimpliciter, quàm fictitia in fundamento, ac ea etiam quæ habent eſſe per reſultantiam, vt ſunt relationes rationis, & denominationes extrinſecæ, quibus denominantur obiecta cognita, vel comparata ab intellectu, vel ab alia facultate collatiua. Sicut enim, verbi gratia, ex eo quòd oculus videt parietem, ſequitûr in pariete, denominatio extrinſeca, quâ denominatur viſus: Ita ex eo quòd intellectus cognoſcat vel comparet obiectum aliquod, ſequitur denominatio quædam extrinſeca, quâ obiectum illud denominatur cognitum, vel comparatum hâc aut illâ comparatione, putà vel ſubiecti, vel prædicati, vel ſpeciei, vel generis, aut alia ſimili.

Porrò dixi ſæpiſſimè relationes rationis fieri ab intellectu, vel ab alia facultate collatiua: quia Scotus noſter ſentit in primo, diſt. 45. q. vnica, & in tertio, diſt. 26. q. vnica. non ſolùm ex actione intellectus, ſed etiam ex actione voluntatis, & *Alię facultates quàm intellectus poſſunt etiam facere Entia rationis*

explicaturque quomodo.

etiam fortassis phantasiæ, resultare entia rationis; quod in hunc modum declaratur: quia entia rationis quæ habent esse per resultantiam, vel sunt denominationes quædam extrinsecæ, quæ remanent in obiectis apprehensis, actione simplici; vel sunt respectus rationis, qui consurgunt inter obiecta comparata, actione quadam collatiua; sed hoc vtroque modo possunt fieri entia rationis à voluntate; & quidem primo modo; patet: quia sicut ab actione cognoscitiua intellectus, consurgit denominatio quædam extrinseca, *esse cogniti*, in obiecto; Ita ex operatione volitiua voluntatis, consurgit in obiecto, denominatio extrinseca, *esse politi*. Item secundo modo; quia voluntas est facultas collatiua, sicut & intellectus; quod patet ex eo, quia potest comparare bonum aliquod ad finem. Ergo quemadmodum ex actione collatiua intellectus, resultat inter obiecta comparata, respectus aliquis rationis: Ita ex actione collatiua voluntatis, resultat inter obiecta comparata respectus aliquis rationis: rationis, inquam, non ab intellectu qui solus denominatur ratio, sed ex eo quòd respectus ille non sit in obiectis comparatis, ex natura rei: quicquid enim non inest alicui à parte rei, dici solet ens rationis. Id optimè explicat Doctor Subtilis in 1. dist. 45. his verbis: *Sed tunc argues: Si volitum habet relationem ad voluntatem diuinam, aut relationem realem, aut secundum rationem tantum: si realem, igitur fundamentum suum est reale: ergo illa res habet esse reale ab æterno. Si relationem rationis tantum: contrà, non est per actum intellectus diuini comparantis obiectum illud ad intellectum suum: ergo non est relatio rationis in eo. Licet enim intellectus diuinus prius comparet illud obiectum vt cognitum, ad intellectum suum, quàm sit volitum ab ipso: & in illo priori, causet relationem rationis ipsius obiecti, vt cogniti, ad intellectum suum: non tamen videtur causare aliquam relationem eius ad voluntatem.*

Licet hîc posset responderi quòd ista relatio politi ad voluntatem, fit per actum intellectus diuini comparantis obiectum volitum, ad voluntatem suam: quia prius comparat obiectum ad voluntatem suam, quàm comparet ad intellectum suum, si poneretur idem esse sufficere in obiecto intellectus, vt obiectum est cognitum, & voluntatis vt volitum est: & quòd nullo modo esset volitum, nisi quia prius fuit intellectum: tamen respondeo aliter quòd in isto obiecto, vt volito, est relatio alia ad voluntatem diuinam, quàm illa quæ in eo est vt intellecto ad intellectum diuinum: & ista alia relatio, non est relatio realis: nec tamen est rationis, loquendo strictè de relatione rationis, scilicet intellectus. Nec ista diuisio est sufficiens, quòd omnis relatio, aut est realis, aut rationis, accipiendo relationem rationis strictè: quia omnis potentia quæ potest habere actum circa obiectum existens, vel non existens, & illud obiectum potest actu suo comparare ad aliud, ad quod tale obiectum non comparatur ex natura rei; potest in obiecto vt obiectum est, causare relationem ipsius ad aliud: quæ

quidem relatio non est realis, quia non est ex natura obiecti, in se: nec tamen est stricta rationis; quia non semper illa potentia comparans est ratio tantùm, siue potentia ratiocinatiua; potest enim voluntas vtens aliquo bono ad finem, causare in obiecto relationem ad illum finem. Et nec est illa realis relatio, quia non est in aliquo ex natura rei, sed ex comparatione voluntatis conferentis; potest enim vti Deo ad creaturam. Nec est illa relatio rationis, quia potentia ista causans istam comparationem, non est ratio, siue intellectus, siue imaginatio dicatur talis virtus collatiua, siue quæcumque alia. Certum est enim quòd voluntas est talis potentia collatiua & comparatiua, ita benè sicut potentia intellectiua; & ideò certum est quòd vtraque istarum potentiarum, potest obiectum suum comparare, & in obiecto suo causare relationem non realem, quia sic esset ibi in tali ex natura rei, sine omni comparatione: nec relationem rationis strictè sumptam, pro relatione causata ab intellectu, licet eam quandoque concomitetur relatio rationis causata ab intellectu; sed voluntas diuina, & etiam voluntas omnis (quicquid sit de imaginatione, de qua modò non) potest comparare seipsam, ad obiectum in esse velito, ab æterno, & è conuerso: & sic potest in obiecto causare relationem rationis ad ipsam. Hæc Scotus. Idem ferè habet in 3. dist. 26. q. vnica. *Omnis*, inquit, *potentia potest obiectum suum comparare ad aliud, & in eo sic comparato, causare respectum rationis, qui non inest ex natura rei, sed ex actu potentiæ. Et ita sicut ratio comparando obiectum suum, potest causare in eo respectum rationis, sic & voluntas comparando obiectum suum, potest causare in eo respectum aliquem, qui potest dici respectus appetitiuus: & talis causatur in obiecto vtibili per actum vsus, quando voluntas vtitur aliquo, & talis potest dici causari in Deo, quando volo illud bonum infinitum in se, esse mihi bonum, quia voluntas comparat istud bonum obiectũ ad aliud quadam comparatione, quia non est in eo ex natura rei.*

Tertia Conclusio.

ENs rationis causari potest per quamcumque operationem intellectus, tam directam, quàm comparatiuam, ac etiam reflexam. Probatur discurrendo per singulas. Imprimis enim causari potest per directam, non quòd id quod directè producitur ab intellectu, sit Ens rationis, eo modo quo nunc vsurpamus Ens rationis; Est enim actus realis intellectus; sed quia ex eo quòd intellectus directè fertur in obiectum aliquod; ex illa operatione directa, consurgere potest Ens aliquod rationis, putà esse cognitum: & illud quidem Ens rationis quod sequitur ex actione directa, est semper denominatio quædam extrinseca. Secundò causari etiam potest per actionem comparatiuam, quâ intellectus vnum obiectum considecratum comparat cum alio obiecto considerato: ex hac enim comparatione, resultant respectus rationis inter ipsa obiecta comparata, putà esse subiectum, esse prædicatum, &c. Et hæc quidem effectio Entis rationis

per actionem comparatiuam, est notissima apud omnes. Tertiò causari etiam potest per actionem reflexam, vel cùm intellectus apprehendit id quod relictum est in obiectis cognitis, vel comparatis ad modum entis, cùm tamen non sit ens. (Sed hoc non inuenitur nisi in intellectu imperfecto, qualis est intellectus humanus) vel cùm intellectus simpliciter apprehendit id quod relictum est, & ei tribuit denominationem rationis per iudicium aliquod, quo iudicat illud non esse in re ex natura rei, sed tantum beneficio intellectus considerantis: Hoc enim saltem videtur spectare aliquo modo ad complementum entitatis ipsius entis rationis.

Porrò idem dici potest seruata proportione, de voluntate quod dictum est de intellectu. De phantasia autem, & de imaginatiua nihil determino nunc: solùm dicam istas facultates, esse optimas effectrices entium rationis purè fictitiorum, coniungendo scilicet simul species rerum incompossibilium, & ex illis fingendo montes aureos.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm intellectus diuinus possit efficere entia rationis?



QVI docent omnia planè entia rationis ortum habere ex imperfectione intellectus concipientis rem aliter quàm sit; vt Suarez disput. vltima Metaphysic. & alij multi: consequenter debent dicere Intellectum Diuinum non posse facere entia rationis, quia impium esset ponere imperfectionem aliquam in intellectu Diuino.

Prænotandum nihilominus ex dictis, nō omnia entia rationis ortum habere ex imperfectione intellectus, sed fictitia solùm, tùm simplicia, tum fundata: illa quidem, quia fiunt ex vnione incompossibilium, ita quòd intellectus fingat vnita esse, quæ ne quidem sunt vnibilia: Hæc verò, quia fiunt ex errore, & ex praua quadam apprehensione, quâ intellectus apprehendit aliquid per modum entis, quod tamen non est ens. Quæ verò habent esse per resultantiam, non oriuntur ex imperfectione vllius intellectus; quia in illis nihil fingitur, nullus est error, nulla deceptio: sed mera resultantia alicuius, quod non reperitur in re ex natura rei, sed solùm ex operatione intellectus considerantis, absque vlla impressione facta ab obiecto. Huiusmodi sunt denominationes extrinsecæ rationis, vt esse cognitum, quatenus dicit respectum ad intellectum cognoscentem obiectum aliquod reale, & vniuersim ea omnia quæ resultant ex operatione directa intellectus: Item relationes rationis, & ea omnia quæ resultant ex operatione collatiua eiusdem intellectus: Similiter apprehensio illius entis rationis, vel potius comparatio illa reflexiua rationis, quâ intellectus per quandam reflexionem

Non omnia entia rationis ortum habent ex imperfectione intellectus.

comparat se ad id quod habet in se respectum rationis. Nam & hoc tertium genus entium rationis habentium esse per resultantiam, agnouit Scotus in 1. dist. 35. q. vnica. §. *potest dici ad quæstionem*, in fine. vbi habet: *In tertio instanti, fortè, intellectus Diuinus potest comparare suam intellectionem ad quodcumque intelligibile, ad quod nos possumus comparare: & tunc comparando se ad lapidem intellectum, potest causare in se relationem rationis.* His positis sit,

Prima Conclusio.

INtellectus diuinus non facit vlla entia rationis fictitia. Patet ex dictis, quia illa omnia ortum habent ex imperfectione intellectus. Hinc colligitur diuisionem illam entis rationis in fictitium, & fundatum; & entis rationis fundati in illud quod est fictum in fundamento, & quod habet esse per resultantiam in fundamento, esse dumtaxat admittendam in ordine ad intellectum nostrum, non simpliciter. Quia imprimis, respectu intellectus Diuini, & fortè etiam Angelici, nulla sunt entia rationis purè fictitia, propter rationem superiùs insinuatam. Nulla sunt etiam entia rationis ficta in fundamento: quia huiusmodi entia sunt vel negationes vel priuationes: Negationes autem & priuationes non aliâ ratione sunt entia rationis, quàm quia non apprehenduntur vt sunt, sed vt formæ quædam prauæ, & malè afficientes subiecta, quorum sunt negationes aut priuationes. Intellectus autem Diuinus non apprehendit hæc entia aliter quàm sint: Ideoque respectu illius, illa non sunt entia rationis: sed entia realia, priuatiua tamen.

Obijcies 1. Deus concurrit cum intellectu humano ad effectionem illorum entium rationis, etiam vt causa prima & principalis. Ergo Deus facit entia rationis fictitia. Obiectio 1.

Respondeo hoc argumentum eodem modo soluendum esse, quo cætera de concursu Dei cum actionibus creatis inuoluentibus imperfectionem aliquam, in quibus omnibus, Deus concurrit ad id quod materiale est, & Physicum; non verò ad ipsum formale imperfectionis. Ad argumentum itaque dico Deum concurrere ad effectionem physicam entium rationis, seu ad materiale fictitionis; non autem ad formale eiusdem. Sic Deus concurrit ad peccatum, ad actus falsos, erroneos, & ad discursiuos intellectus nostri. Solutio

Obijcies 2. Deus cognoscit entia rationis fictitia. Ergo efficit illa: quia totum illorum fieri consistit in cognosci. Obiectio 2.

Respondeo concesso Antecedente, negando consequentiam & confirmationem eius: fictio enim, & cognitio fictionis, vel rei fictæ, non sunt vnum & idem. Quamquam verò Theologorum sit prolixiùs examinare an, & quomodo Deus cognoscat entia rationis, vbi disputant de scientia Dei. Nihilominus occasione huius ante- Solutio Quomodo Deus cognoscat entia rationis.

cedentis, breuiter dico Deum cognoſcere entia rationis etiam fictitia: quod probatur ex eo, quia comprehendit omnem facultatem naturæ humanæ, tùm intellectiuam, tùm imaginatiuam: proindeque non poteſt non cognoſcere quidquid quoquo modo eſt ab ipſa, ſiue ſit verum, ſiue fictum. Non ſequitur tamen propterea, quòd intellectus Diuinus cognitionem alicuius rei mutuetur à rebus creatis. Tametſi enim entia fictitia non repræſententur immediatè in Eſſentia Diuina, quia eſſentia Diuina non eſt cauſa immediata illorum: Tamen repræſentatur intellectus fingens, & actus eius fictitius, atque conſequenter res ficta.

Secunda Concluſio.

DEus poteſt facere entia rationis habentia eſſe per reſultantiam, præſertim relationes rationis. Vltra quòd iſta ſententia tribuitur communiter Diuo Thomæ 1. p. q. 15. art. 2. ad 2. & 3. & q. 3. de veritat. art. 2. ad 7. eſt etiam expreſſa Doctoris noſtri locis citatis præcedenti quæſtione; vbi non modò intellectui, ſed etiam voluntati Diuinæ tribuit effectionem relationum rationis, vt videre licebit in eius verbis. Illud idem iterum expreſſè habet in 1. diſt. 30. q. 2. §. *Reſpondeo igitur.* vbi dicit quòd eſſentia diuina poteſt comparari ad creaturam, & hoc tam per actum intellectus creati, quàm per actum intellectus increati, & ſic in ea cauſari relatio rationis. Item diſt. 35. q. vnica. §. *Poteſt dici ad quæſtionem.* vbi hæc habet: *Deus in primo inſtanti intelligit eſſentiam ſub ratione merè abſolutâ. In ſecundo inſtanti producit lapidem in eſſe intelligibili, & intelligit lapidem: ita quòd ibi eſt relatio in lapide intellecto ad intellectionem Diuinam: ſed nulla adhuc in intellectione Diuina ad lapidem: ſed intellectio diuina terminat relationem lapidis intellecti ad ipſam. In tertio inſtanti fortè intellectus Diuinus poteſt comparare ſuam intellectionem ad quodcumque intelligibile, ad quod nos poſſumus comparare; & tunc comparando ſe ad lapidem intellectum, poteſt cauſare in ſe relationem rationis. Et in quarto inſtanti poteſt quaſi reflecti ſuper iſtam relationem cauſatam in tertio inſtanti, & tunc illa relatio rationis cognita erit.* Aliquid adhuc ſimile tangit diſt. 36.

Huius autem rei ratio fundamentalis eſt, quia ad huiuſmodi entium rationis effectionem, ſufficit intellectum cōparaſſe vnam rem cum altera: ex hac enim comparatione inſurgunt relationes rationis in rebus comparatis. Neque ad id opus eſt actione reflexa, quæ ſolùm confert vt cognoſcantur iſtæ relationes rationis, quæ etſi non cognoſcerentur per huiuſmodi actionem reflexam, non minùs adhuc eſſent relationes rationis. Multò minùs opus eſt vt apprehendantur ad modum entium, cùm tamen non ſint entia. Imò hoc videtur detrahere earum entitati: cùm enim res apprehenditur aliter quàm ſit, hoc detrahit eius entitati & rationi. Quare etiam cùm intellectus

lectus diuinus quasi per reflexionem aliquam, cognoscit istas relationes rationis, eas apprehendit omninò vt sunt, iudicans videlicet optimè illas non esse in rebus ipsis ex natura rei, sed ex sola operatione intellectus purè considerantis. Idem dicatur seruata proportione de voluntate diuina, quæ etiam ex Doctore Subtili potest facere Entia rationis, prout Ens rationis dicitur illud omne quod non est Ens reale: Aliàs enim si ratio pressiùs accipiatur, potiùs dicenda sunt Entia volibilia, vel beneplaciti, quàm Entia rationis.

QVÆSTIO QVINTA.

Quis ordo stabiliendus inter Entis realis diuisiones?



CVM Ens reale diuidatur in Deum, & creaturas, in infinitum & finitum, in quantum & non quantum, in absolutum & respectiuum, in vnum & multa, in incausatum & causatum, in independens & dependens, in substantiam & accidens, in simplex & compositum, in necessarium & contingens, in Ens simpliciter, & in Ens secundum quid, in Ens actu, & in Ens potentia, &c. meritò dubitatur, quænam sint harum diuisionum rationes, & quis inter illas ordo seruari debeat? Nam super hoc negotio parua non est, intei Metaphysicos contentio.

Prænotandum itaque primò has diuisiones non ita sibi inuicem subordinari, vt vna sit omninò prior alijs, & aliæ sint veluti solùm subdiuisiones: Nam in multis, putà in ijs, quibus diuiditur Ens in Deum & creaturas, infinitum & finitum, incausatum & causatum, independens & dependens; diuisum est vnum & idem, & membra diuidentia eadem: Deus enim, Ens infinitum, incausatum, & independens, idem significant: Item creatura, Ens finitum, causatum & dependens, idem.

Prænotandum 2. ab hoc instituto esse remouendas diuisiones illas, quibus æquiuoca diuiduntur in sua æquiuocata, quippe, quæ non tam diuisiones, quàm æquiuocæ vocis interpretationes censeri debent: & ea quidem ratione prius etiã egimus de diuisione æqniuocã Entis transcendentissimè sumpti in Ens reale & Ens rationis, quàm de veris & proprijs Entis diuisionibus disputaremus. Ratio autem ea est, quia in disciplinis, priùs est tollenda æquiuocatio vocis, quàm de rebus vnico conceptu constantibus propriè diuidendis agatur. Eapropter si diuisio Entis in vnum & multa, in Ens per se, & in Ens per accidens, sit æquiuoca (de quo aliàs) disputandum non est, an præmitti debeat veris & proprijs Entis diuisionibus, de quibus solùm hîc agimus.

Prænotandum 3. varijs rationibus contingere membra ali-

qua diuidentia diuidere aliquod diuisum, scilicet vel per se immediatè, suppressis modis, vel differentijs, ratione quarum diuidunt ipsum: vt cùm v. g. homo & brutum diuidunt animal: nam immediatè hæ duæ species diuidunt ipsum suum genus, sine formali expressione rationalis & irrationalis, quæ sunt tamen rationes diuidendi animal, & constituendi hominem, & brutum, vt duas species oppositas illius generis. Et quidem harum diuisionum, quibus animal diuiditur in hominem & brutum, & in rationale, & irrationale, vna non tam dici debet prior quàm expressior alterâ: Nam sunt æquè immediatæ, & eò solùm differunt, quòd posterior exprimat rationes oppositionis membrorum; prior autem solam faciat mentionem membrorum, in quorum constitutione continentur huiusmodi rationes oppositionis. Quia verò istæ rationes supponunt aliquando pro seipsis, aliquando verò pro membris diuidentibus: rationale enim v.g. supponit aliquando præcisè pro differentia illa specifica, quæ dicitur rationalitas; aliquando verò pro tota specie, cùm videlicet suppletur animal quoties effertur. Ideò diligenter erant attendendæ istę variæ suppositiones, vt dicatur animal diuidi in rationale & irrationale, quando supponent pro tota specie: Dicatur autem diuidi per rationale, & irrationale, quando supponent pro seipsis: Nec enim ita rectè dicitur genus diuidi, in, quàm per suas differentias.

Differentiæ aliquãdo supponunt pro seipsis; aliquando pro mẽbris diuidẽtibus.

Fit iterum diuisio rei in sua inferiora, ratione constitutionis propriæ Entitatis eorum, cùm scilicet ipsa aut varijs rationibus constituuntur, aut eorum aliqua componuntur, alia verò non: vt si quis diceret v. g. omnis substantia vel est simplex, vel composita.

Contingit etiam aliquando diuisionem fieri penes proprietates membrorum diuidentium, vt si quis diuideret animal v. g. per risibile & hinnibile.

Aliquando non quidem penes proprietates Entitatis, sed penes proprietates existentiæ membrorum diuidentium; vt si quis diceret: Omnis natura intellectualis creata, vel existit indefectibiliter intrinsecè, vt natura Angelica, quæ ex suis constitutiuis intrinsecis est indefectibilis; vel existit defectibiliter per potentiam intrinsecam, vt natura humana, quæ ratione suorum principiorum constitutiuorum est corruptibilis & defectibilis.

Notanda sunt hæc omnia.

Iterum contingit fieri penes actualitatem vel potentialitatem existentiæ, vt si quis diceret omnem rosam vel actu existere, vel esse adhuc in potentia productiua sui roseti.

Iterum contingit membra diuidentia diuidere suum superius, ratione quarundem relationum, quæ quia sunt incompossibiles simul, ideò constituunt oppositionem inter mẽbra diuisionis: vt si quis diceret: Quicquid est, aut habet

rationem producentis & causantis, aut habet rationem producti & causati.

Prænotandum 4. diuisionum vnam esse priorem altera, vel quia extrema eius magis distant, vel quia est vniuersalior: Non enim semper illa est vniuersalior, cuius extrema magis distant: v. g. Diuisio quâ diuiditur Ens in Deum & creaturas, non est vniuersalior ea quâ idem Ens diuiditur in absolutum & respectiuum; cùm vtraque totum Ens exhauriat, & hæc sub illa non contineatur: illius tamen extrema magis distant, quàm huius; quia illius extrema distant infinitè, huius autem non sic; Cùm etiam Entium creatorum alia sint absoluta, alia respectiua. Quòd si contingat aliquam diuisionem esse æquè vniuersalem, ac aliam, & cum hoc, extrema eius magis distare; in construenda diuisionum serie, inchoandum est ab ea cuius extrema magis distant, & quæ simul æquè est vniuersalis. Quia stante æqualitate vniuersalitatis, maior illa distantia extremorum vnius, præ extremis alterius, satis est vt sit prior ea, quæ iam non est magis vniuersalis, & cuius etiam extrema minus distant. Et quidem si eius extrema habeant rationem aliquam, per quam contrahant suum superius, scilicet vel differentiam, vel modum; priùs est assignanda diuisio superioris in membra diuidentia, quàm exprimatur ratio diuisionis: quia priùs res est ponenda, quàm positionis eius reddatur ratio: expressio autem differentiarũ, vel modorum, per quos fit diuisio, videtur esse ratio diuisionis, & contractionis, quâ membra diuidentia diuidunt & contrahunt diuisum, licet interim diuisio immediatè in membra, & diuisio expressiua rationum diuisionis, sint æquè vniuersales. Sic seruando rectum ordinem, prius est animal v. g. diuidendum in hominem & brutum, quàm dicatur diuisionem istam fieri per rationale & irrationale. Si iterum inter membra diuidentia, reperiantur aliæ rationes, quibus opponantur; penes illas fient aliæ diuisiones, seruato tamen ordine illarum; ita vt primùm in inferiora fiat diuisio per modos, maximè si sint intrinseci: demùm per proprietates, aut per modos proprietatum; denique per rationes relationum, & sic deinceps. Quibus diuisionibus positis, descendendum erit ad subdiuisiones, seruato earum ordine.

Prænotandum 5. inter diuisionem quâ ens diuiditur in Deum & creaturas, & diuisionem quâ diuiditur, seu potius exprimitur diuisionem istam fieri per finitum & infinitum, esse inserendam aliam diuisionem, quâ Ens diuidatur in illud cui competit, & in illud cui non competit quantitas virtutis; & hoc propter relationes diuinas, quibus Doctor Subtilis qu. 5. quodlibetica, docet non competere quantitatẽ virtutis. Nec est reiiciẽda ista diuisio vt inepta, licet ingrata multis. Quem-

Quomodo se habeat diuisio Entis, in Ens quantum & non quantum.

admodum enim secundum Philosophum 1. Physic. text. Comment. 15. finitum & infinitum quantitati congruunt: Ita finitum & infinitum vt modi entis, solis entibus quantitatem perfectionalem habentibus debent competere. Ac proinde si reperiantur entia quibus quantitas perfectionis non competat; nec illis conuenient finitum aut infinitum: atque adeò diuisio per finitum & infinitum non esset immediata; quia illud ens quod nec finitum nec infinitum est, esset medium inter vtrumque diuisionis membrum. Nec vllum Scoti discipulum is ordo debet mouere: Nam cùm ex doctrina eius inferatur, etiam in creatis, reperiri entia quibus deest quantitas virtutis, vt fortè rationes omnes hypostaticæ: minùs distat ens non quantum ab ente quanto, cum vtrumque in creatis reperiatur, quàm Deus & creatura. Non est autem similis ratio de finito & infinito, quæ licet magis distent, quàm ens quantum & non quantum: quia tamen vtrumque scilicet cùm finitum, tùm infinitum continetur sub ente, cui competit quantitas virtutis; ideò prius diuidi debet ens in quantum & non quantum, quàm diuidatur in finitum & infinitum. Dices diuidi quoque prius debere in quantum & non quantum, quàm in Deum & creaturas, cùm diuisio in Deum, & creaturas, sit eadem ac diuisio in finitum & infinitum, maximè si ista non supponant pro modis entis, sed potius pro ente ipso, quod vel finitum, vel infinitum dicitur. Dico ego non parem esse vtriusque illius diuisionis rationem: Nam cùm ens diuiditur in Deum & creaturas, nomine Dei solet intelligi quidquid est in diuinis, siue sit Deus & ens infinitum formaliter, siue tantùm realiter aut per identitatem, vt loquuntur, siue sit essentia, siue proprietas, siue attributum, siue relatio. Item nomine creaturæ, quidquid est, quouis modo, creatum intelligitur. Cùm autem diuiditur per finitum, & infinitum, iam ex vi dictionum & rationum illorum, videtur debere concipi nomine infiniti id cui competit per se & formaliter ratio infinitatis, proindeque sub nomine infiniti comprehendi non posse relationes diuinas, quippe quibus ratio infinitatis non competit formaliter. Cùm itaque nihil prohibeat nomine Dei nos intelligere relationes, & non ita rectè nomine infiniti: certè videtur habenda ratio entis cui formaliter competit vel non competit quantitas virtutis, vt interponatur inter diuisionem illam, quâ ens diuiditur in Deum & creaturas, & illam quâ exprimitur diuisionem illam fieri per finitum & infinitum. His positis, sit

Prima Conclusio.

PRima omnium diuisione, ens reale debet diuidi in Deum, & creaturas. Probatur: Omnium diuisionum Entis realis nulla est, cuius extrema magis distent: quia vnum excedit aliud vltra omnem determina-

tam proportionem, vel determinabilem, vt loquitur Doctor Subtilis, q. 5. quodlibetica, art. 1. & cum hoc, nulla alia est vniuersalior ista, licet multæ aliæ sint æquè vniuersales. Quia totum ens ita adæquatè exhaurit, vt nihil sit in tota rerum vniuersitate quod non sit vel Deus, vel creatura, intelligendo nomine Dei quidquid quouis modo est in diuinis; & nomine creaturæ quidquid quouis modo factum est, & distinctum essentialiter à Deo, siue illud per creationẽ, vt Angeli, siue per factionem, vt Adã; siue per emanationem, vt proprietates naturarum creatarum, siue per resultantiam, vt relationes creatæ, vel alio modo, factum sit. Hanc proximè sequi potest entis diuisio in finitum, & infinitum, modò infinitum supponat pro eo quod quouis modo est in diuinis, & finitum pro eo quod quouis modo est effectum, & non pro eo quod formaliter solùm, & non aliter finitum aut infinitum est. Nam sic, propter relationes diuinas, esset præmittenda diuisio entis in quantum & non quantum. Sumendo autem infinitum & finitum pro eo quod quouis modo, siue ratione sui, siue ratione alterius, infinitum aut finitum est; saluari potest is ordo diuisionum, nonobstantibus relationibus diuinis, quæ continebuntur sub altero membrorum huius diuisionis; quia si non ratione sui, saltem ratione alterius, nempe essentiæ diuinæ, cui sunt eædem, sunt infinitæ. Sicque omne ens erit vel infinitum vel finitum, scilicet aut ratione sui, vel per identitatem realem cum eo, cum quo realiter est idem. Dixi autem hanc proximè sequi aliam; quia vel infinitum & finitum sumũtur pro extremis diuidentibus; & sic solis terminis differt à priore: vel sumuntur pro modis ipsis intrinsecis Entis, quibus ens determinatur, & membra diuisionis opposita constituuntur: & sic ista proximè sequi debet priorem: quia, vt dicemus, nihil est intimius rei constitutæ iam per sua essentialia, quàm modus eius intrinsecus. Hoc ordine poni debent, si quæ sint, aliæ entis diuisiones, quibus Deus & creatura scindunt ipsum, per alios quosuis modos intrinsecos.

Has sequuntur illæ quibus Deus & creatura diuidunt ens per aliquos modos seu rationes aut proprietates modorum suorum, vt est illa quâ ens diuiditur in illud quod principio & fine caret, & in illud quod alterutro vel vtroque nõ caret. Nam semper & immutabiliter existere, & non semper nec immutabiliter existere, sunt modi modorum, nempe existentiarum Dei, & creaturæ, si tamen existentia Dei sit modus essentiæ diuinæ. Item ista quâ ens diuiditur in necessarium & contingens, nomine necessarij intelligendo illud quod simpliciter non potest non esse, qualis est solus Deus, & nomine contingentis, illud quod potest non esse, saltem per potentiam in alio, vt loquitur Scotus, qualis est omnis creatura. Nam illa

omnimoda necessitas cùm physica, tùm metaphysica, quâ Deus est ens necessarium, seu necesse esse; & contingentia quâ omnis planè creatura dicitur posse non esse, sunt rationes vel modi Dei & creaturæ, vel saltem existentiæ eorum.

Has sequi debent diuisiones, quibus Deus & creatura diuidunt ens per suas proprietates, vt sunt Entis aliud immutabile, aliud mutabile: aliud incomprehensibile, aliud comprehensibile, & cæteræ huiusmodi. Demùm aliæ, quibus eadem extrema diuidunt ens per relationes incompossibiles in vno eorum, vt sunt Entis aliud incausatum & incausabile; aliud causatum, & causabile: aliud independens, aliud dependens, & similes: quia rationes illæ relationum sunt, meo iudicio, nouissimæ omnium, per quas Deus & creatura possunt ens diuidere.

Porrò licet omnes prædictæ diuisiones aliqualem ordinem seruent inter se, vt visum est; tamen vna dici non debet vniuersalior altera, quia sunt æquè vniuersales. Nec vnius extrema magis aut minus distant inter se, quàm alterius; quia sunt eadem in omnibus, & diuersis tantum rationibus, in illis considerantur.

Secunda Conclusio.

SEcundò, Ens debet diuidi diuisionibus illis quæ sunt æquè vniuersales, ac prædictæ, & quarum tamen extrema minùs distant, cuius rationis est illa, quâ ens diuiditur in absolutum & respectiuum. Probatur. Hoc genere diuisionum, membra diuidentia exhauriunt etiam totum ens, & nihil differunt à præcedentibus in vniuersalitate ambitus. Ergo nihil impedit quin ponantur eodem ordine quo prædictæ, nisi quia earum extrema minùs distant. Ergo immediatè sequi saltem debent prædictas. Constat autem exemplo diuisionis entis in absolutum & respectiuum, illud vtrumque quod dicitur, nempe & huius generis diuisiones esse æquè vniuersales ac prædictas, & illarum membra minùs distare. Nam primò nullum est ens propriè dictum siue creatum, siue increatum, quod non sit vel absolutum, vel respectiuum, vt constat rectè inspicienti. Cum hoc, illud vtrumque membrum conuenire etiam potest enti creato, quia etiam entis creati aliud est absolutum, vt substantia, qualitas, &cæt. Aliud respectiuum, vt paternitas, filiatio, actio, passio, & similia. Extrema autem diuisionum superiore conclusione allatarum conuenire non possunt enti creato: Nullum enim est ens creatum quod sit simul Deus & creatura, independens & dependens. Itaque extrema huius diuisionis minùs distant quàm illarum.

Tertia Conclusio.

TErtium & vltimum locum obtinent diuisiones illæ, quibus ens subdiuiditur. Nec istud tam probatione, quàm expositione indiget. Itaque si sit opus diuidere ens increatum; ab illo tanquam à nobiliori membro erit inchoandum, dicendo ens increatum diuiditur in essentiam & relationes, in absolutum & respectiuum, in quantum & non quantum, & cæt. Denique progrediendum erit ad ens creatum, dicendo entis creati aliud substantia, aliud accidens; aliud simplex, aliud compositum; aliud actu, aliud potentia; aliud absolutum, aliud respectiuum; aliud necessarium, (intelligendo illud non esse tale quacumque necessitate) aliud contingens, &cæt.

Vltra hæc omnia, dantur aliquæ rationes incompletæ entium, vt sunt modi & vltimæ differentiæ, quæ propriè loquendo nec sunt Deus, nec creatura, nec substantia, nec accidens, ac consequenter neque ens saltem quidditatiuè, sed quid entis. Si quis itaque vellet inferre diuisionem entis in substantiam & accidens v. g. non esse adæquatam, quia datur medium inter membra diuidentia, putà subsistantia, vel inhærentia, quæ nec est substantia, nec accidens: dicendum erit vel substantiam posse adhuc subdiuidi, nimirum in substantiam completam, & substantiam incompletam: ac etiam accidens in accidens completum, & in accidens incompletum; & sub posteriori membro contineri differentias substantiales & accidentium, quæ sunt substantiæ & accidentia quædam incompleta: vel potius illa solùm de quibus ens prædicatur propriè, quidditatiuè, & in recto, diuidere ens hoc pacto; cuius rationis non sunt modi entis, de quibus nec quidditatiuè, nec in recto ens prædicatur, vt aliàs dicemus.

Porrò hîc non disputo peculiariter de ente in actu & in potentia, de necessario & contingenti, de perfecto seu quanto, & non quanto, quia ista commodiùs tractabuntur vbi de proprietatibus entis agemus.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm Ens ex natura sua habeat conceptum, seu rationem aliquam vnam?

QVÆSTIO intelligitur de ente præsertim quod est commune ad Deum & creaturas, ad substantiam & ad accidens: quia consideratio entis vt respicit hæc inferiora, potissimè intenditur in hac materia; quod tamen de illo, vt sic, quæritur, potest similiter quæri de quacumque alia natura communi cùm generica, tùm specifica. Quare doctrina quam sumus determinaturi de ente quo ad istud, de quacumque etiam natura communi intelligetur.

Prænotandum itaque. 1. ex Doctore Subtili Theoremate 8. Licheto in 1. dist. 3. qu. 1. Aureolo in 1. distinct. 2. p. 1. art. 1. Ioanne de Bassolis in 1. dist. 8. q. 1. & aliis nostris tùm veteribus, tum modernis, conceptum Entis, sicut & cuiuscumque alterius naturæ, esse duplicem, scilicet formalem, & obiectiuum. Formalis est actus ille quo intellectus actu & formaliter intelligit: obiectiuus est res intellecta. Prior propriè dicitur conceptus, quia illo propriè & formaliter dicitur intellectus actu concipere seu intelligere. Posterior æquiuocè tantum vt dicit Scotus loco citato, vel per denominationem extrinsecam à conceptu formali, vt loquitur Suarez tom. 1. Metaphisic. disputat. secunda, sect. prima, dicitur conceptus. Quia, vt satis exactè animaduertit noster Guillelmus de Rubione contra Aureolum in 1. dist. 3. qu. 3. art. 2. licet res extrà à conceptu distincta, dicatur concipi vel concepta in concreto, quia est obiectum conceptus, non tamen dicitur conceptus in abstracto, scilicet propriè loquendo; sed ita denominatur ab actu qui circa rem ipsam conceptam occupatur. Dicitur autem obiectiuus, quia cùm res aliqua concipitur, non se habet vt forma inhærens facultati concipienti, sed obijcitur eidem facultati concipienti, quatenus in illam suo actu concipiendi tendat. Et quidem omnes omninò vtriusque scholæ Magistri de conceptu obiectiuo philosophantur eodem modo quo illum explicuimus. Contradicunt tamen Fonseca 4. Metaph. qu. 2. sect. 1. Suarez loco citato, & cum eis fortè Thomistæ iis quæ diximus de conceptu formali, quem non existimant esse ipsam actualem intellectionem, seu conceptionem; sed potius terminum conceptionis mentalis; proindeque non vocari etiam conceptionem, sed conceptum, quia est veluti quædam proles mentis, quæ exprimitur ad repræsentandum obiectum, quod sine tali prole, seu specie, & similitudine expressa, repræsentari non posset intellectui. Sed quicquid sit de hac doctrina, de qua aliàs; conueniunt omnes in eo quòd doceant intellectum conceptu formali, seu vt termino conceptionis expresso, vt volunt, seu potius vt ipso actu intelligendi, vt volumus, in rem quæ proponitur & obijcitur ei concipienda, versari. Quod sufficit ad hoc vt conueniant etiam in vnitate illa conceptus formalis, quam inquirimus.

Quid sit conceptus formalis, an scilicet terminus actus intellectus, & species expressa; an potius ipsemet actus intellectus?

Prænotandum 2. aliam esse vnitatem conceptus formalis, & aliam vnitatem conceptus obiectiui. Nam vnitas conceptus formalis est semper vnitas numerica, quia quilibet conceptus formalis est vnus numero actus intellectus: Neque enim intellectus elicit simul totam aliquam speciem, aut totum aliquod genus conceptuum; sed vel hunc, vel istum numero; modò tamen solo numero, modò etiam specie distinctum ab alio; quia non omnia indiuidua, quantumuis vnitate

tate numerica constantia, solo numero differunt; sed etiam aliquando specie, vt patet de Petro & Bucephalo. Conceptus autem obiectiui vnitas, nunc est vnitas numerica, nunc vnitas formalis minor vnitate numerica. Nam si obiectum quod potest concipi sit vnum numero, vt Petrus; conceptus obiectiuus erit vnus numero: si sit vnum specie, vel genere, vel alia vnitate transcendentali adhuc minore; conceptus obiectiuus simili vnitate vnus erit: quia conceptus obiectiuus & obiectum quod potest concipi idem sunt omninò. Nihilominus cùm agitur de vnitate conceptus formalis, non solet ea inquiri numerica, quam habet ex natura sua; sed ea quam habet respectu eius, ad quod terminatur, vel quod repræsentat, vt loquuntur alij: ita vt status quæstionis in eo sit positus, vt petatur; an conceptus formalis Entis ita sit vnus, vt ad vnum quidpiam terminetur, vel vt vnum quidpiam repræsentet? An verò tametsi vnus sit numero actus intellectus; non dicatur tamen vnus terminatiuè, quòd nimirum ad multa simul terminetur; quò fit vt perfectè non possit intelligi vnitas conceptus formalis nisi intellecta vnitate conceptus obiectiui.

Prænotandum tamen 3. conceptum obiectiuum posse spectari duobus modis, scilicet vel vt est res, & natura aliqua, quæ concipi potest ab intellectu; vel vt est obiectum actu conceptum ab eodem intellectu. Priori modo, Conceptus ille est vnus eadem vnitate, qua natura conceptibilis est vna, vt dictum est. Posteriori modo est vnus vnitate numericâ, extrinsecâ tamen, per respectum scilicet ad actum intellectus, seu, conceptum formalem vnicum numero, quo conceptus obiectiuus concipitur. Ita Scotus noster in 2. dist. 3. qu. 1. §. *Sed contra istud*, his verbis: *Hoc est enim solum possibile de obiecto eodem, indifferenti actu considerato ab intellectu, quod quidem vt intellectum habet vnitatem numeralem obiecti.* In hoc tamen est vlterior controuersia, an quemadmodum per denominationem extrinsecam, conceptus omnis obiectiuus dicitur à Scoto vnus numero, à conceptu formali, qui est vnus numero actus intellectus: Num etiam conceptus obiectiuus Entis, per denominationem extrinsecam, dici debeat vnus, non solùm numero, ab vnitate numerica conceptus formalis; sed vnus vnitate communi denominante ipsum sic vnum, ex eo solùm quòd intellectus multas naturas in Ente conuenientes, ad modum vnius concipiat; quemadmodum volunt aliqui eundem conceptum obiectiuum, denominari præcisum denominatione extrinseca, ab actu intellectus præscindente illum à conceptibus particularibus Entium particularium? An verò potiùs, secluso quocumque actu intellectus, atque consequenter quacumque denominatione extrinseca; adhuc conceptus obiectiuus Entis sit vnus vnitate illa formali, & communi ex ratione & natu-

ra sua? Et si hoc sit, in quo consistat huiusmodi vnitas? an in conuenientia & similitudine omnium Entium inter se? an in indiuisione ipsius Entis quatenus Ens est in se? aut in aliqua alia ratione?

Prænotandum 4. vnitatem conceptuum obiectiuorum, Entis nimirum, & naturarum conceptibilium, non esse solùm vnitatem rationis, quasi scilicet multæ species eiusdem generis dicantur solùm quid vnum, quia intellectus illas omnes ad modum vnius concipit, vt vult Suarez tom 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 2. num. 15. & docetur communiter. Sed esse vnitatem realem, minorem vnitate numerica, qua quidem naturæ ex se ita sunt affectæ, vt quantum est ex se, non sint actu diuisæ, sed indistinctæ, diuisibiles tamen per differentias extrinsecas super-aduenientes. Siue autem vnitas illa sit simplex aliqua conuenientia realis multorum inter se actu distinctorum, seu similitudo transcendentalis quam habent ad inuicem; siue sit vnitas tantùm priuatiua & non positiua; siue potius sit aliqua indistinctio naturæ, quæ ex suis principijs non habet vnde distinguatur, & esset omninò eadem quantum est ex se, si per impossibile differentiæ genericæ aut specificæ aut indiuiduales, quæ sunt ei planè extrinsecæ, illam non diuiderent, & distinguerent in multis; siue sit aliquid aliud, explicabimus inferius, vbi ex professo de multiplici vnitate disputabimus. Quod spectat ad præsens institutum, quærimus an audito nomine Entis, ratio aliqua vna à parte rei nobis obijciatur, an multæ rationes simul, quas per modum vnius vel distinctè vel confusè concipiamus; an verò multæ iterum rationes quas etiam per modum plurium concipiamus; an conceptus substantiæ, vel alterius inferioris?

Prænotandum 5. Dubitari maximè, an admissâ illâ vnitate reali conceptus obiectiui Entis, sit conceptus ille distinctus; an verò remaneat adhuc confusus? Qui vnitatem ei tribuunt, communiter confusionem auferunt, & existimant ideò debere conceptum illum esse distinctum, quia est vnus. Super hoc negotio, varijs in locis, varia & pugnantia videtur dicere Scotus noster: nam in 1. dist. 3. qu. 2. §. *Loquendo igitur*, docet Ens non posse concipi nisi distinctè: *Quia*, inquit, *habet conceptum simpliciter simplicem: Ergo potest concipi distinctè sine alijs, & alij non sine eo distinctè concepto. Ergo Ens est primus conceptus distinctè conceptibilis.* Alibi verò, nimirum in 1. distinct. 8. qu. 2. *Ad argumentum principale*, docet conceptum Entis esse imperfectum: *Quæ distinctio*, inquit, *sufficit ad habendum conceptum perfectum vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius.* Quo loco loquitur de conceptu communi Entis. Præterea 4. Metaphysic. cap. 3. in expositione textus habet ex Aristot. 1. Physic. omnem nostram cognitionem incipere à commu-

nibus & confusis: quasi velit communiora esse magis confusa. Sed ista ad mentem eius rectè explicata nullo pacto pugnant. Quod vt ostendatur: sciendum est hoc esse peculiare conceptui Entis, præ alijs conceptibus naturarum communium, quòd simul sit confusus, vel saltem imperfectus, & tamen distinctè concipi possit. Quia, vt docet Scotus in 1. dist. 3. qu. 2. §. *Loquendo igitur*, objectum aliquod distinctè concipi, est concipi sicut exprimitur per definitionem: conceptum autem esse imperfectum, est illum repræsentari sine modo sibi intrinseco, si quem habeat. Exempli gratiâ: Conceptus objectiuus albedinis varijs modis spectatæ, potest & distinctè concipi, & esse imperfectus: Imperfectus quidem in ordine ad suos gradus intrinsecos, qui non concipiuntur simul cum albedine, quando præcisè sub ratione albedinis concipitur: distinctè autem concipitur, quatenus est natura aliqua de prædicamento qualitatis, constans genere & differentia, quæ secundum ea omnia quæ sunt sibi essentialia, est conceptibilis clarè & distinctè ab intellectu. Et ne videamur duntaxat ludere in verbis: possumus dicere conceptum albedinis esse simul confusum, & distinctum, vt dicamus etiam illud esse distinctum, quod distinctè concipitur: Confusum quidem, prout est conceptus Entitatis conceptæ sine suis gradibus entitatiuis; distinctum verò, provt est conceptus essentiæ conceptæ cum omnibus suis gradibus essentialibus. Neque enim existimo Doctorem Subtilem alia ratione vsum fuisse hac forma loquendi: Nimirum conceptum aliquem distinctè concipi; non verò conceptum aliquem esse distinctum in ordine ad gradus entitatiuos, vel ad modos intrinsecos; nisi vt aliquali illo verborum discrimine ad placitum institutorum, res ipsas distingueret, & diceret ad tollendam æquiuocationem, conceptum esse vel distinctum, vel confusum in ordine ad suos gradus, vel modos, vel etiam ad sua inferiora, cum quibus est distinctus, & sine quibus est confusus. Conceptum autem distinctè vel confusè concipi in ordine ad duplicem defi[ni]tionem, nominis scilicet, & re[i] quæ de illo dari potest: Ita quòd confusè concipiatur, quando concipitur sicut exprimitur per nomen; distinctè verò, quando concipitur, sicut exprimitur per definitionem; Et sic audito nomine conceptus confusi vel distincti, statim intelligeretur dici confusum vel distinctum in ordine ad gradus, vel modos, vel inferiora: & audito nomine conceptus qui distinctè vel confusè concipitur; statim intelligeretur dici distinctè, vel confusè concipi, in ordine ad definitionem nominis vel rei, quarum priore res confusè, posteriore verò distinctè concipitur. Nunc applicando ista ad propositum: Ens considerari potest duobus modis, scilicet vel in ordine ad suos modos; vel in ordine ad descri-

ptionem quæ de illo dari potest. In ordine ad suos modos, conceptus eius est confusus & imperfectus sine ills, sicut conceptus albedinis sine gradibus albedinis. Quia, vt habet Scotus in 1. dist. 8. qu. 2. ad arg. princip. conceptus ille non est conceptus Entis secundum totam & adæquatam suam realitatem. In ordine autē ad descriptionem quæ de illo potest haberi, distinctè & clarè cōcipitur; quia vt sic, est cōceptus simpliciter simplex, qui cùm scitur totaliter scitur, quemadmodum cùm ignoratur, totaliter ignoratur. Dixi autem initio huius prænotati; hoc esse peculiare conceptui Entis, inter alios naturarum communiū conceptus. Nam aliarum naturarum realitates completæ sunt & perfectæ absque differentijs, per quas contrahuntur. Animalitas enim v. g. est completa & perfecta absque rationalitate vel irrationalitate, quippe quæ ad rationem animalis vt sic, in quocumque gradu spectati, nihil conferunt. Ens autem non est aliqua realitas perfecta, etiam in ratione Entis, in quocumque gradu spectati, sine modis; quia conceptus Entis abstrahens à modis, non est conceptus Entis in quocumque gradu spectati. Ideò illi peculiare est, vt distinctè possit concipi, quatenus scilicet est conceptus quidam abstrahens à modis, qui per descriptionem aliquam vnam potest exprimi; & tamen sit imperfectus in ordine ad suos modos, qui realitatem eius adæquatè complent. Naturarum autem communium conceptus obiectiui non dicuntur imperfecti sine differentiis; quia etiam sine illis, in quocumque gradu, possunt esse perfecti.

His positis, opus est iam mentē nostræ Scholæ super quæstione proposita statim aperiamus: Nā aliorum opiniones, nimis esset operosum referre, præsertim eorum qui negant vniuocationem Entis. Nam eorum quidam admittunt vnitatem vtriusque cōceptus, tam formalis, quàm obiectiui; asseruntque omnia quæ dixerunt de conceptu Entis, longè clariora & certiora videri, quàm quòd Ens sit analogum; & ideo non rectè propter defendendam analogiam, negari vnitatem conceptus Entis: sed si alterum negandum esset, potius analogiam quæ incerta est, quàm vnitatem conceptus, quæ certis demonstrationibus videtur demonstrari, esse negandam. Ita Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 2. sect. 2. num. 34. Cum hoc tamen non vult illam vnitatem, præsertim conceptus obiectiui Entis, esse realem; sed duntaxat rationis & extrinsecam, prouenientem à formali conceptu, quo intellectus multa concipit sub Ente, per modum vnius. Alij tot vtuntur distinctionibus, nimirum conceptus in confusum simpliciter, in distinctum simpliciter, & in confusum simul & distinctum: Item conceptus vnius in vnum re, & vnum ratione: Iterum in vnum ratione simpliciter, & in vnum ratione secundum quid: Item conceptus præcisi in præcisum re, & præcisum ratione: Iterum in præcisum

Referuntur variæ sententiæ eorum qui negāt vniuocationem Entis.

ratione simpliciter, & præcisum ratione secundum quid: vt meritò dixerit Suarez tot distinctionum diuersitatem obesse potiùs, quàm prodesse claritati. Ita tamen Fonseca qui 4. Metaph. cap. 2. q. 2. sect. 3. 4. & 5. dicit se aliter effugere non posse vniuocationem entis. Apud ipsoscitantur innumeri alij, quorum tot sententiæ, quot capita.

Nostri Nominales admittunt vnitatem conceptus formalis, & vnitatem conceptus obiectiui reijciunt. Ita noster Guillelmus de Rubione in 1. dist. 3. q. 3. §. *& ideò quantum*, qui conformiter doctrinæ nostri Ochami in 1. dist. 2. quæstionibus 5. 6. & 7. docet conceptum entis non esse vnum obiectum tantùm, sed plura se totis distincta: quod & de conceptu hominis, & de conceptu cuiuscumque alterius naturæ vniuersalis affirmat; licet tamen in multis discrepet ab eodem Ochamo. Noster Ioannes de Bassolis in 1. dist. 8. q. 1. §. *propter istas instantias*, est in eadem sententia. *Secundò videtur dicendum*, inquit, *quòd ens est analogum ad prædicta, & significat omnia illa immediatè, tamen ordine quodam, saltem vel rationis, vel naturæ, sicut & inter se entia ordinem habent; primò Deum, secundò creaturam, primò substantiam, secundò accidens, &c.*

Sententia Aureoli tribus propositionibus explicata.

Sententia nostri Aureoli in 1. dist. 2. parte 1. art. 2. statim initio, est longè magis apparens, quam, licet alijs verbis, sequuntur omnes ferè qui vnitatem conceptus entis, & vniuocationem eiusdem reijciunt. Comprehenditur autem tribus propositionibus; duabus negatiuis, & tertia affirmatiua.

Prima est, *quòd conceptus communißimus qui formatur in mente, audito vocabulo iste, ens, aut, aliquid, non habet in se actu & distinctè proprias rationes omnium, distinctiuè; imò nec aliquam habet determinatè, aut distinctè.*

Secunda est, *quòd iste conceptus nullam habet in se rationem communem omnibus entibus & rationibus eorum.*

Tertia, & quidem affirmatiua, elicitur ex istis, videlicet, *quòd conceptus ille est simpliciter denudatus in actu ab omni ratione vna, vel pluribus, propria, vel communi, tantummodò vnus existens vnitate confusionis, & omnimodæ indeterminationis, qui nimirum conceptus, dum applicatur ad proprias omnium rationes, coincidit in illas, nullo addito illi, quia qualibet propria ratio est iste conceptus, & nihil addit: vnde est pars illius conceptus totalis, cuius totalitas non est integritatis, sed confusionis & indeterminationis; nec partialitas propriarum rationum est partialitas integrans & constitutiua, sed determinans & explicatiua.*

Et loquitur de conceptu obiectiuo: Nam paulò antè dixerat: *Si primo modo accipiatur conceptus, scilicet pro actu intellectus realiter intellectui inhærente, tunc est quæstio vtrùm vnica intellectione possit intelligi totus ambitus entis? & non dubium quòd sic: Cùm enim dicitur, omne ens, vel, omne quod est aliquid, vel, omnis res, certum est quòd vnica intellectione transit intellectus super totum significatum entis, & alicuius, & rei: cùm signum vniuersale, omne,*

distribuat pro toto significato entis, & alicuius.

Hanc sententiam, & eius rationes multis insequitur de Rubione loco citato; sed in cassum laborat; & certè inter omnes sententias iam enumeratas, quas non ita probabiles existimo, ista minùs longè displicet.

Qui nobiscum vniuocationem entis recipiunt; in hoc solùm à nobis discrepant, vt non velint vnitatem conceptus obiectiui entis, esse vnitatem realem, sed rationis dumtaxat. In cæteris nobiscum omnino conueniunt. Ita multi Professores Parisienses: Quibus in eo quòd dicunt vnitatem conceptus obiectiui entis, non esse realem, fauere videntur etiam quidam ex nostris, præsertim Rada, qui in 1. Controuersia 21. Respondendo ad quartum initio Controuersiæ propositum: docet quòd Deus, & creatura sunt primò diuersa subiectiuè; quia scilicet in nulla realitate contrahibili per differentias, conueniunt; sed non sunt primò diuersa obiectiuè, & quoad intellectum. Quibus verbis innuit Deum, & creaturam conuenire tantùm per intellectum. Ita etiam noster de Herrera in 1. disp. 14. Notabili vltimo: vbi apertè sentit non dari conceptum entis communem Deo, & creaturæ, communitate reali. Contrarium tenet Ioannes Canonicus 1. Physic. q. 3. vbi expressè habet ens quod est commune Deo & creaturæ, dicere communitatem realem: cui consentit Faber Fauentius in sua Philosophia naturali, theoremate 95. cap. 2. His positis, sit

Dominus de Raconis Doctor Theologus Parisi. insignis olim Professor, nunc concionator eximius, cui sum addictissimus, in sua Logica. tract. 2. de Categoria q. 2 art. 2. proposit. 1. Et Dominus Pitard vir summo ingenio, & maxima eruditione præditus, cui sum quoque valde addictus, in sua Logica, quam nondum misit in lucem.

Prima Conclusio.

CONceptus formalis entis est vnus. Hæc est communis sententia, etiam eorum qui negant vniuocationem entis, demptis Caietano in opuscul. de analog. nom. cap. 4. & alijs paucis, vt fatetur Fonseca 4. Metaph. cap. 2. q. 2. sect. 2. Et probatur. Conceptum formalem entis esse vnum ea vnitate, quam hîc inquirimus, est non solùm actum illum, quo ens concipitur, vel similitudinem illam expressam, vt alijs placet, quâ repræsentatur, esse vnum numero actum intellectus, aut vnam numero prolem conceptam à mente; sed est actum illum non terminari simul ad plura, sed ad vnum; vel similitudinem illam non repræsentare simul plura, sed vnum. Atqui conceptus formalis entis est huiusmodi. Ergo est vnus. Maior ab omnibus conceditur. Minor probatur tribus modis, scilicet ab experientia, à posteriori, & à priori.

Ab experientia, quia vt habet Suarez, & ante ipsum Aureolus noster in 1. dist. 2. part. 1. art. 3. audito nomine, entis, experimur mentem nostram non distrahi, neque diuidi in plures conceptus, sed colligi potiùs ad vnum, sicut cum concipit hominem, animal, & similia.

A posteriori: Voces institutæ sunt ad exprimendos nostros conceptus, ex Arist. 1. de Interpretatione: ergo ex vnitate si-

gnificationis illarum, colligitur vnitas conceptus, qui per illas exprimitur. Atqui vox illa, ens, ex primæua sua institutione, significat aliquid vnum, vt probabitur tertia Conclusione. Ergo conceptum vnum. Confirmatur hæc ratio ex Aureolo. Quia quâ ratione vox illa, ens, significaret plura, eâdem significaret omnia; quia non est ratio, cur potius significet tantùm aliqua, quàm omnia, cùm non tantùm aliqua, sed omnia quæ sunt, sint entia. Modò si immediatè significet omnia; nullus intellectus creatus poterit efformare conceptum formalem entis: probatur, quia alioquin intellectus ille intelligeret simul infinita, imò & ipsam rationem Deitatis, quod est impossibile.

Probatur insuper à priori. Conceptus obiectiuus est vnus, ergo & formalis. Antecedens probabitur inferius; consequentia probatur: quia actus specificatur saltem extrinsecè per obiectum suum; conceptus obiectiuus est obiectum formalis conceptus: ergo formalis conceptus specificatur ab obiectiuo; ita quòd vnitatem suam saltem extrinsecam sumat ab ipso.

Secunda Conclusio.

Conceptus formalis entis dici potest, diuersis respectibus, distinctus, & confusus: atque consequenter vnus distinctè, & vnus vnitate confusionis, & indeterminationis, vt loquitur Aureolus. Probatur. Conceptus obiectiuus est, diuersis respectibus, distinctus simul & confusus. Ergo & formalis. Antecedens mox probabitur. Consequentia patet, quia conceptus obiectiuus est id quod concipitur: ergo si sit varijs rationibus, distinctus & confusus; varijs quoque rationibus, distinctus & confusus concipietur. Sed conceptus formalis, quo quid distinctum concipitur, est distinctus, ea ratione quâ ad illud distinctum terminatur; & conceptus formalis quo quid confusum concipitur, est etiam confusus ea ratione quâ ad illud confusum terminatur. Ergo conceptus formalis entis, variis respectibus, est partim confusus, partim distinctus.

Tertia Conclusio.

Conceptus entis obiectiuus est vnus. Probatur: Ens ex natura sua, dicit aliquid commune nondum contractum quatenus ens est simpliciter, sed incontractum, indeterminatum, &, quantum est ex se, indiuisum. Sed vt sic potest obiici intellectui vt concipiatur: quatenus autem obiicitur intellectui vt concipiatur, est conceptus obiectiuus. Ergo conceptus entis obiectiuus de se non est contractus, sed incontractus, &, quantum est ex se, indiuisus. Hoc autem est esse vnum, ea vnitate, quam hîc inquirimus. Ergo conceptus obiectiuus est vnus. Maior in qua est tota difficultas, probatur: Ens naturâ suâ dicit simpliciter id quod est, id est, id quod existit, vel potest existere: sed id quod est, est quid

incontractum, & indiuisum, cōmune tamen & indifferens naturâ suâ ad multa. Ergo Ens naturâ suâ dicit aliquid nondum contractum sed indiuisum; ita vt, ex se, nullum eorum dicat, ad quæ est indifferens, seu determinari potest. Responderent nostri Nominales: Ens naturâ suâ dicere quodlibet quod est, non distinctè, & determinatè; sed indistinctè & indeterminatè: proindéque nō dicere immediatè quid vnum, sed plura, licet non vt plura: quia non dicit ea vt distinguntur, sed vt aliquo modo conueniunt. Ab hac sententia non discrepat Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 2. num. 8. Quando exprimens quid intelligat per conceptum Entis obiectiuum esse vnum; dicit ideò esse vnum, quia expressè conceptus ille non dicit substantiam, neque accidens, neque Deum, neque creaturam, sed hæc omnia per modum vnius, scilicet quatenus sunt inter se aliquo modo similia, & conueniunt in essendo. Contrà. Illud non dicit præcisè multa vt conuenientia, quod præcisè dicit id in quo multa conueniunt, vel conuenire possunt, sed Ens ex se præcisè dicit id in quo multa conueniunt, vel conuenire possunt: ergo præcisè non dicit illa multa quæ conueniunt. Maior probatur. Dicere præcisè id in quo multa conueniunt, est dicere fundamentum conuenientiæ: Dicere verò multa quæ conueniunt, est dicere extrema conuenientiæ: Fundamentū autē non est præcisè extrema, nec extrema fundamentum. Ergo dicere præcisè id in quo multa conueniunt, vel possunt conuenire, non est præcisè dicere illa multa quæ conueniunt. Minor probatur. Ens ex se præcisè non habet vnde dicat extrema seu multa quæ conueniunt: quia aliqua non possunt esse extrema & multa, nisi per aliquam diuersitatem, aut pluralitatem: Ens autem ex se nullam dicit pluralitatem; quia pluralitas aut diuersitas poni non potest in Ente nisi ratione modorum determinantium ipsum, & constituentium varias & distinctas naturas; Ens autem ex se non dicit modos, sed abstrahit ab illis. Ergo ex se non dicit multa quantumcunque conuenientia.

Nec est quòd dicatur Ens non dicere illa vt multa, sed tantùm vt conuenientia, & per modum vnius. Quia quandocumque exprimuntur aliqua multa conuenire; licet non dicantur multa reduplicatiuè, & vt multa; exprimuntur tamen & specificantur illa multa. Ens autem non habet ex se, vndè multa aliqua exprimat, aut specificet: ergo, propriè loquendo, non dicit multa vt conueniunt, sed id potiùs in quo multa illa, per alias rationes, constituta vt multa, conueniunt, vel possunt conuenire.

Obijcit 1. noster Aureolus in 1. dist. 2. part. 1. art. 4. Obiect. 1. Ille conceptus qui incidit in identitatem omnimodam, nullo penitus addito, cum omni ratione; non habet aliquam vnam rationem. Hæc propositio tenet in virtute primi principij.

Quæcumque

Quæcumque vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, illo modo identitatis quo sunt idem in tertio. Sed constat quòd rationes propriæ Entium non sunt eædem, imò distinctissimæ inter se: ergo non possunt penitus idem esse alicui vni rationi, quin saltem addatur aliqua propria ratio illi, in qua conueniunt, propter quam inter se formaliter distinguantur. Sed conceptus Entis in idem coincidit cum omni ratione, nullo penitus addito sibi: Aut enim coincidit aliquo sibi addito, aut nullo, cùm sint contradictoria aliquid & nullum: Si aliquo addito; ergo Ente addito, cùm Ens & aliquid idem sint; Ens autem addi non potest, imò volens dare quòd conceptus Entis coincidat aliquo addito, concedit quòd nullo, & ita habetur propositum. Relinquitur ergo quod conceptus Entis non includat aliquam vnam rationem communem.

Solutio. Respondeo quidquid sit de maiore, negando minorem: Nam conceptus Entis non coincidit cum omni planè ratione, nullo penitus addito, sed aliquo. Et cùm dicitur; Ergo Ente addito; quia Ens & aliquid conuertuntur. Respondeo distinguendo, scilicet, Ente qualitatiuo addito, non Ente quidditatiuo: seu addito aliquo quod sit potiùs quid Entis, quàm Ens. Hanc solutionem impugnat Aureolus, sed eius impugnationes inferius impugnabimus, cùm ostendemus Ens non prædicari quidditatiuè de suis modis.

Obiect. 2. Obijcit 2. Quandocumque differentiæ diuidentes conceptum aliquem, sic se habent quòd non est possibile dare medium per abnegationem & indifferentiam vtriusque; conceptus iste qui per differentias tales diuiditur, est denudatus ab omni vna ratione. Hæc propositio patet; quoniam ex opposito prædicati, destruitur subiectum; & idcircò prędicatum clauditur in subiecto: Constat enim quòd si conceptus includit vnam aliquam rationem; istam rationem oportet esse indifferentem differentiis diuisis, & mediam per abnegationem vtriusque: sicut patet quòd ratio sensibilis nec est rationalis, nec est irrationalis, sed abstracta, & media, & indifferens ad vtramque. Vndè si ratio sensibilis esset ratio rationalitatis, aut irrationalitatis; necessariò sensibile diuisum per rationale & irrationale, non diceret vnam rationem, sed plures, vt patet. Sed constat quòd Ens diuiditur per absolutum, & respectiuum: & non est aliqua ratio quæ possit abstrahere, & se habere per indifferentiam ad respectiuum & absolutum: omnis enim ratio vel est absoluta, vel respectiua: Nec est possibile imaginari quod non sit actu ratio absoluta, aut ratio respectiua, cùm contradictoriè se habeant esse ad se, & esse ad aliud. Ergo conceptus Entis diuisus per respectiuum, & absolutum, est denudatus ab omni vna ratione communi.

Cui argumento si respondeatur rationem Entis vt abstractam ab Ente absoluto, & respe-

ctiuo, dicere vtrumque permissiuè, & neutrum actualiter, quatenus scilicet neutrum dicit ex se, potest tamen vtriusque rationem admittere aduenientibus propriis rationibus absoluti & respectiui. Contrà iterum vrget Aureolus: Impossibile est conceptum intellectus terminari ad aliquam rationem, quin intelligat eam ad se, & sine termino alio cointellecto; vel non ad se, & aliquo termino cointellecto; Contradictoria enim sunt immediata rationi alicui, cointelligere terminum, & non cointelligere terminum. Si non cointelligitur terminus, ratio erit absoluta: si cointelligitur terminus, erit respectiua: sic igitur talis media ratio vna excogitari non potest.

Solutio. Respondeo concessa maiore prioris argumenti, negando partem illam minoris, quâ asserit impossibile esse dari aliquam rationem vnam abstractam & indifferentem ad absolutum & respectiuum: & ad probationem dico fieri valdè benè posse, vt ratio illa obiectiua ita concipiatur vt abstrahat & à termino cointellecto, & à termino non cointellecto; quia ponimus rationem illam confusè tantùm concipi, quando concipitur per ordinem ad inferiora, qualia sunt absolutum & respectiuum. Quòd si Ens, per ordinem ad absolutum & respectiuum, distinctè conciperetur; oporteret necessariò alterutrum intelligi, scilicet aut absolutum, aut respectiuum: quia in Doctrina Scoti, Ens distinctè concipi per ordinem ad sua inferiora, nihil aliud est, quàm illud concipi secundùm gradus, vel modos, per quos ad inferiora determinatur. Et quidem hoc pacto concipiendo rationem Entis, impossibile est quin concipiantur simul rationes absoluti & respectiui: Concipiendo autem Ens confusè, nihil prohibet, vt sic confusè conceptum, abstrahere à rationibus absoluti & respectiui. Addere possumus quòd absolutum & respectiuum non sunt contradictoria, sed disparata. Iterum dato quòd in illis esset contradictio: extremis cōtradictionis potest esse aliquid commune vniuocum, vt dicemus inferiùs soluendo quasdam rationes Henrici contra vniuocationem Entis.

Obijcit 3. Primò diuersa non conueniunt in aliqua communi ratione: nam si conueniunt, alio conueniunt, & alio differunt, & sic non sunt primò diuersa, sicut patet 10. Metaphysic. Sed decem prædicamenta conueniunt in conceptu Entis, vt patet, decem autem prædicamenta sunt primò diuersa, quia sunt prima intellecta irresolubilia, simplicissima, & quæ definiri nō possunt: nec componuntur ex duobus conceptibus sicut commentator elicit 3. & 8. Metaphysic. & Philosophus ibidem. Ergo conceptus Entis in quo conueniunt, est simpliciter denudatus ab omni ratione communi. Obiectio 3.

Respondeo ad Maiorem, decem prædicamenta esse primò diuersa, quia non conueniunt in aliqua communi ratione subiectiua; benè tamen obiectiua.

Rationem autem ſubiectiuam voco rationem aliquam, ſecundùm omnem gradum ſibi poſſibilem, ſpectatam, adhuc communem & indifferentem, quæ poteſt eſſe ſubiectum reſpectu ſuperioris cuiuſdam prædicati, & quæ eſt, etiam vt completa ſecundùm omnes gradus ſibi debitos, adhuc contrahibilis per aliquas differentias: Cuius conditionis ſunt rationes omnes genericæ & ſpecificæ. Subſtantia enim v.g. in ratione ſubſtantiæ eſt natura aliqua, quæ poteſt eſſe completa ſecundùm omnem gradum ſubſtantiæ, ſine differentiis corporei & incorporei; & etiam in eo ſtatu indifferens ad illas differentias, & capax recipiendi ſuperioris cuiuſdam prædicati, ſcilicet prædicati entis. Rationem autem obiectiuam volo eſſe rationem, quæ non poteſt ſubiici ſuperiori prædicato, quippe quo caret; poteſt tamen obiici intellectui; non quòd ab actu eius ſeu collatiuo, ſeu abſtractiuo dependeat, cùm ex ſe ſit abſtracta ea vel ratione, quia non includit ſuos modos ex natura ſua; Illos tamen poſtulat vt compleatur ſecundùm omnem gradum ſibi poſſibilem. Quare vt completa ſecundùm omnem gradum ſibi poſſibilem, non eſt amplius indeterminata & indifferens. Et huiuſmodi eſt ratio Entis, reſpectu cuius decem ſumma genera non ſunt primò diuerſa, nec proinde ſimpliciter ſimplicia & irreſolubilia: Sunt enim tantùm ſimplicia, quia irreſolubilia in realitates, & realitates, ſcilicet in genus & differentiam: Non autem ita ſimplicia, quin poſſint reſolui in rationem aliquam obiectiuam, in qua conueniunt, & in modos quibus differunt. Quare autem ratio obiectiua cùm ſit etiam aliquid independens ab intellectu, potius dicatur conceptus, vel res conceptibilis, quàm realitas; dicetur ſequenti Concluſione in ſolutione argumenti. Vel, vt docet Tataretus in Commentariis primi ſent. diſt. 3. q. 1. pag. mihi 139. columna 2. poſt Ioannem Canonicum 1. Phyſ. & Trombetam in ſua Metaphiſ. Realitas ſubiectiua eſt res quæ exiſtit vel poteſt exiſtere. Realitas autem obiectiua eſt ratio aliqua ex natura rei cognoſcibilis, & nata terminare actum intelligendi, & mouere ad intellectionem ſui, ante quemcumque actum, ſiue collatiuum, ſiue abſtractiuum intellectus; licet tamen dici poſſit abſtrahibilis à ſuis inferioribus, per reſpectum ad actum abſtractiuum intellectus naturaliter poſteriorem ipſa realitate vel ratione obiectiua.

Qui vnitatem entis dicunt non eſſe realem, docent falſum eſſe, ens ex natura & ratione ſua dicere ſolum ſimplicem illam & vnam rationem eſſendi; Sed id habere, nimirum quòd vnum quidpiam ſignificet per actum noſtri intellectus concipientis gradum illum generaliſſimum, non conceptis gradibus inferioribus. Propter hanc rem, igitur ſit huius quæſtionis

Quarta Conclusio.

VNitas conceptus obiectiui entis non est vnitas solùm extrinseca, ab vnitate conceptus formalis; nec vnitas rationis: sed vnitas realis, non numerica, sed formalis transcendentalis, omnium vnitatum minima, quæ consistit in indistinctione naturę entis spectati præcisè quatenus ens est. Prior pars probatur. Quodcumque obiectum præsupponitur ad actum qui circa illud occupatur. Ergo & vnitas obiecti præsupponitur ad vnitatem actus. Confirmatur ex eo quòd actus specificetur saltem extrinsecè ab obiecto. At conceptus obiectiuus entis est obiectum conceptus formalis, seu illius actus intellectus qui circa ipsum occupatur. Ergo conceptus obiectiuus entis præsupponitur naturaliter conceptui formali eiusdem: & per consequens vnitas conceptus obiectiui entis præsupponitur ad vnitatem conceptus formalis eiusdem entis. Confirmatur istud ampliùs in hoc proposito. Nam ens est obiectum primum intellectus. Sicut autem nullus actus potentiæ cuiuscumque constituit obiectum suum primum; Ita nec facit vnitatem eius. Ergo verisimile non est conceptum obiectiuum entis desumere suam vnitatem ab vnitate conceptus formalis eiusdem entis, quasi non alia vnitate esset vnus, nisi quia conceptus formalis eius est vnus.

Hinc colligitur veritas secundæ partis conclusionis, contra communem sententiam; Nimirum conceptum obiectiuum entis non esse vnum sola ratione, sed esse vnum vnitate reali: Et probatur. Quod nullo cogitante intellectu est indiuisum in se, & ex se, & diuisum à quolibet alio; illud est vnum vnitate reali. Sed ens est huiusmodi: ergo ens est vnum vnitate reali. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur. Ens nullo cogitante intellectu abstrahit à modis, per quos diuiditur, aut diuidi potest. Quod tamen sic non intelligo, quasi ens realiter sit à modis suis separatum, & existens actu sine illis; Sed quia ipsa præcisa ratio & quidditas entis formaliter vt sic, non dicit modos, quippe qui nullo cogitante intellectu, sunt alia modalitas, vel formalitas ab ipsa præcisa ratione entis, vt sic. Ergo ens etiam nullo cogitante intellectu est indiuisum in se & diuisum à quolibet alio, quod non est ens. Nec est quòd dicatur esse actu realiter diuisum in omnibus particularibus entibus; ac ideò nō posse esse realiter indiuisum.

Respondeo enim & esse realiter indiuisum, & realiter diuisum. Indiuisum ex se, & per se; diuisum autem per aliud; non tamen per nihil; sed per aliud quod sit potius quid entis, quàm ens; aut quod sit ens qualitatiuè solùm, vt dicemus; non autem quidditatiuè. Et certè supposita diuersitate & distinctione graduum in naturis, vt vtraque Schola Doctoris Subtilis, & Thomistarum supponit, contra Ochamum: suppo-

sito etiam quòd Ens non prædicetur de suis modis quidditatiuè, vt infrà probabimus, cum Scoto: hæc Doctrina nullam patitur difficultatem.

Probari nihilominus potest iterum ista secunda pars conclusionis his rationibus Anthonij Andreæ 1. Metaph. q. 1. art. 3. *Conceptus Entis communis Deo & creaturæ est vnus realiter. Hanc ostendo sic. Omnis conceptus qui prædicatur in quid de aliquibus, prædicatione dicente; hoc est hoc, est vnus conceptus realiter. Sed conceptus Entis est huiusmodi. Ergo est vnus realiter. Maior est euidens: Quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti. Dato enim quòd non sit vnus realiter, iam non prædicabitur in quid de pluribus: nullum enim Ens rationis prædicatur de ente reali essentialiter, & in quid. Minor probatur simili modo quo arguit Arist. 1. Topicorum: Quia illud prædicatur in quid, de aliquo, per quod respondetur ad interrogationem factam per quid de eo: Huiusmodi est Ens. Quia si quæras, quid est Deus? respondetur quòd Ens: Similiter est de creatura. Respondetur fortè quod Ens non habet communitatem aliquam realem, sed solùm quantum ad quandam indifferentiam concipiendi. Cùm ergo dicitur quòd prædicatur in quid; non est intelligendum quòd sit aliquod commune reale, quod prædicetur in quid de pluribus; sed sub vno modo concipiendi continentur plures res, quarum qualibet prædicatur de hoc, & de illo seorsum: putà realitas Dei contenta sub vno modo concipiendi Ens in communi, prædicatur de Deo: & realitas creaturæ contenta sub alio modo concipiendi Ens, de creatura. Contrà; Quia si sic: tunc prædicatio Entis de Deo, non esset prædicatio superioris de inferiori, sed eiusdem de seipso. Similiter & de alijs, quod nullus sanæ mentis diceret.*

Prætereà: ad principale. Vnius potentiæ, vnum est obiectum adæquatum: sed Ens commune Deo & creaturæ est primum obiectum intellectus secundum Arist. 1. Metaphysicæ cap. 5. Ens & res primâ impressione imprimuntur in anima. Ergo Ens sic commune, est aliquod vnum. Non vnum secundùm rationem. Ergo vnum realiter. Probatio assumpti: Obiectum potentiæ præcedit naturaliter actum potentiæ. Ergo non est vnum per intellectum: quia in suo priori est aliquod vnum.

Præterea: Circunscripto omni intellectu, Deus & creatura habent aliquam conuenientiam: quia plus conueniunt, quàm Ens & nihil. Ergo illa conuenientia est realis, & ita fundamentum istius conuenientiæ est reale; quia nulla relatio realis potest fundari super Ens rationis: non enim maioris entitatis est res fundata, quàm fundans. Fundamentum istius conuenientiæ est vnum, cùm sit relatio de priori modo relatiuorum ex quinto Metaphysicæ capite, De ad aliquid. Ergo Deus & creatura habent aliquam vnitatem realem. Et hæc est vnitas Entis, in quo conueniunt Deus & creatura.

Præterea: Intellectus intelligens Ens commune Deo & creaturæ; aut est verus, aut falsus. Si est falsus, nihil ad propositum: si verus; Ergo sic oportet esse ex parte rei quòd aliquid realiter sit commune. Tunc enim intellectus est verus, quando intelligit sicut se habet in re, secun-

dum Arist. nono Metaph. cap. vlt.

Confirmatur: quia aliter vniuersalitas Entis esset quoddam fictitium, & Chymera; nisi intellectus à parte rei cogeretur ad sic abstrahendum vnum aliquod commune: vnde oportet quod omni vnitati alicuius veri conceptus, correspondeat aliqua vnitas ex natura rei.

Tertia pars conclusionis est euidens. Nam certum est Ens non esse quid vnum numero, nec genere, nec specie, cùm nec sit indiuiduum, nec species, nec genus. Restat itaque vt quia est quid transcendētale, eius quoque vnitas sit transcendētalis. Et quia quò plus aliqua vnitas recedit ab vnitate numerica, eò minor est: Vnitas illa transcendentalis quæ omnium maximè recedit à numerica, erit omniū vnitatum minima.

Quarta pars iam patet ex dictis, & ampliùs declaratur: Quia eò Ens est vnū, propterea quòd quātum est ex se, est indiuisum, proindeque eius vnitas consistere debet in indistinctione rationis eius vt sic, quatenus scilicet ex natura sua, non dicit modos per quos diuidi aut determinari potest. Et certè contra hanc totam Doctrinam, nulla ferè difficultas excogitari potest, nisi illa vulgaris quâ communiter dicitur Ens naturâ suâ esse multiplex. Sed parua est: dicimus enim Ens esse multiplex vt existens, & actu determinatum in multis; non autem vt est simplex aliqua natura: vel esse multiplex per aliud, non per se: vel esse multiplex quia non potest existere nisi multiplex; potest tamen obiici intellectui non vt multiplex, sed vt vnum. Nam Ens vt est reale duo respicit, scilicet, vel inferiora in quibus semper est actu multa: vel intellectum cui semper obiicitur vt vnum. Subiectiuè itaque, seu prout existit in inferioribus suis, Ens non est à parte rei vnum; obiectiuè autem est à parte rei vnum: quia potest obiici intellectui vt vnū. & hoc nequidem habet ab intellectu, quia ante intellectum, Ens aliquo pacto distinguitur à suis modis. Et quia non aliunde habet à parte rei quòd sit multiplex, quàm à suis modis: ideò etiam vt distinctum aliquo pacto ab illis ante intellectum, non habet vt sic, quod sit multiplex. Ergo ante intellectum erit saltem quid vnum per negationem diuisionis & multiplicitatis. Quæ negatio licet faciliùs quo ad nos exprimat talem Entis vnitatem: Non est tamen huiusmodi vnitas simplex aliqua negatio aut priuatio diuisionis: sed positiua consistentia, & absolutissima cohærentia vnius & eiusdem cum seipso vt indiuiso, & indistincto.

Obiicitur authoritas Doctoris Subtilis in 1. dist. 8. q. 2. §. *Ad argument. opinionis opposita contra secundam partem conclusionis*, qui dicit: Deum & creaturam non esse primò diuersa in conceptibus; esse tamen primò diuersa in realitate; quia in nulla realitate conueniunt. Ex quibus verbis colligitur Ens vt vnum, seu, vt id in quo Deus & creatura conueniunt, non esse aliquid reale, sed solùm conceptum aliquem intellectus.

Respondeo eo loci Doctorem Subtilem intelligere per realitatem in qua Deus & creaturæ non conueniunt, realitatem aliquam quæ secundùm omnem gradum spectata, sit perfecta absque rationibus ipsam contrahentibus: cuius rationis est realitas animalis quæ secundùm quemlibet gradum qui potest illi competere, est perfecta, absque rationalitate & irrationalitate quæ sunt rationes per quas contrahi potest. Cuius realitatis vt sic, potest haberi conceptus perfectus, absque eo quòd concipiantur prædictæ rationes contrahentes. Nomine autem conceptus, intelligere realitatem illam quæ secundùm quemlibet sui gradum non est perfecta absque rationibus eam determinantibus, vt est Ens: quod si secundùm omnem gradum sibi debitum concipiatur, concipietur cum suis modis intrinsecis, proindeque de illa realitate non potest haberi conceptus perfectus, qui non sit conceptus eius & modi eius simul. Ita seipsum exponit eadem quæstione, respondendo ad argumentum principale. Existimauerim autem hanc posteriori modo sumptam realitatem, non appellasse realitatem, sed conceptum, seu rem conceptibilem: quia apud ipsum realitas absolutè sumpta, dicere debet omnem gradum sibi possibilem. Res autem conceptibilis non debet dicere omnem gradum sibi possibilem, vt sit conceptibilis: quia potest concipi, licet imperfectè, secundùm aliquos. Proindeque quia realitas dicit collectionem omnium graduum possibilium, & conceptibilitas non sic: res denudata propriis modis sibi intrinsecis, veriùs dicitur conceptus, seu res conceptibilis, quàm realitas. Sic Doctori Subtili albedo, vt est entitas, cui, vt sic debentur necessariò gradus aliqui, quatenus est denudata gradibus illis sibi debitis, & concipi potest vt simplex albedo, vt sic est veriùs conceptus seu res conceptibilis, quàm realitas.

Vltima Conclusio.

Conceptus entis obiectiuus, variis rationibus, est distinctus & confusus. Probatur: Conceptus entis per ordinem ad descriptionem quæ de eo potest haberi, est distinctus, & per ordinem ad modos quibus determinari potest, est confusus. Ergo variis rationibus est distinctus simul & confusus. Prior pars antecedentis probatur: Conceptus entis explicatus per hanc descriptionem, quâ dicitur esse id quod est, distinctè & clarè dicit gradum generalissimum essendi, diuisum à quolibet gradu imaginabili non essendi, & præcisum ex se ab hoc aut illo modo essendi. Ergo vt sic est distinctus. Posterior pars probatur. Idem conceptus obiectiuus in ordine ad modos per quos determinari potest, & ad inferiora ad quæ, per modos determinari potest, ita se habet, vt nullum modum, vel nullum inferius dicat determinatè, sed omnes modos, & omnia inferiora indetermi-

natè. Ergo vt sic est confusus. Ex his sequitur vnitatem conceptus obiectiui Entis, variis illis rationibus spectatam, esse quoque modò vnitatem distinctam, modò vnitatem confusam: distinctam, vt sequitur ens in ordine ad orationem expressiuam conceptus eius: confusam verò, vt sequitur idem ens in ordine ad modos per quos, vel ad inferiora ad quæ determinari potest. Et quidem hoc posteriori sensu, subscribam vltrò conclusioni Aureoli, quâ concludit quòd conceptus Entis est simpliciter denudatus ab omni ratione vna, vel pluribus, propria, vel communi: Et idcircò est tantùm vnus vnitate confusionis, implicitè omnem rem, & omnem rationem continens, explicitè rationem nullam.

Obiicies: Conceptus obiectiuus Entis in ordine ad descriptionem, nullum modum & nullum inferius dicit determinatè. Ergo, vt sic, est confusus.

Respondeo negando consequentiam. Nam ad confusionem conceptus Entis, de mente Scoti, non sufficit quòd nullum modum, aut nullum inferius dicat determinatè: sed oportet prætereà vt ad modos ipsos & ad inferiora comparetur. Dicitur enim confusus, quia omnia respicit confusè. Vt autem subest descriptioni, sub ea ratione, non respicit præcisè inferiora, in quibus existit: sed rationem, per quam eius ratio exprimitur. Cætera de vnitate conceptus Entis explicabuntur, vbi de vnitate formali naturarum ex professo disputabimus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Conceptus Entis sit aliquo modo præcisus, & distinctus, ante intellectum, à suis inferioribus?

De vtroque conceptu tàm formali, quàm obiectiuo, procedit quæstio. Pro cuius solutione,

Prænotandum 1. quantum ad præsens institutum attinet, triplicem esse præcisionem, seu abstractionem præcisiuam, scilicet Physicam, Metaphysicam, & Logicam. Præcisio Physica est quâ duo aliqua physicè & realiter separantur, vt est ea quâ membrum aliquod præscinderetur à corpore. Triplex præcisio, Physica, Metaphysica, & Logica.

Metaphysica ea est, quâ rationes aliquæ formales in aliquo realiter identificatæ, & inseparabiles, ita præcisæ sunt ab inuicem, vt neutra aliam includat, vt est ea quâ rationes animalis & rationalis in homine præcisę sunt ab inuicem.

Præcisio Logica ea est quâ aliqua per solam actionẽ intellectus ab inuicẽ præscinduntur, & abstrahuntur, vt ea quâ abstracta præscinduntur à concretis in substantialibus; vt animal, & animalitas, rationale & rationalitas, & similia. Atque adeò huiusmodi præcisiones sic se habent, vt prior oriatur ex aliqua actione seu præcisione physica, secunda ex ipsa rerum natura, tertia ex sola actione intellectus

tellectus. Sic se habent iterum, vt priores inferant, vel saltem inferre possint posteriores, non vice versa. Hinc fit vt ea quæ iam præcisa sunt Metaphysicè, dicantur adhuc sæpissimè præscindi per intellectum, quatenus scilicet illa iam naturâ suâ præcisa, intellectus sic præcisa considerat, & concipit vnum, alio non concepto. Quare cùm apud Doctorem Subtilem & alios, dicitur intellectus noster aliqua ab aliis præscindere; illud non sic semper debet intelligi, quasi ista non sint iam alia præcisione præcisa; sed quia siue præcisa sint, siue non; intellectus illa iterum præscindit, concipiendo vnum, alio non concepto. Cùm enim, vt dictum est, duo sint conceptus, alter formalis, & alter obiectiuus; & quidem obiectiuus semper sit prior formali, tanquam partialis causa eius, sitque idem conceptus obiectiuus nihil aliud quàm ipsum obiectum vt habitualiter in intellectu, seu vt intelligibile; sit vt moueat vel mouere possit intellectũ; quatenus sese exhibet ei præsens, vel in specie intelligibili, vel aliter. Intellectus autem qui potest abstrahere ab obiecto omnem rationem intelligibilem, in eodem obiecto vel formaliter, vel virtualiter inclusam, putà ab albedine relucente in specie intelligibili, rationem coloris, qualitatis, accidentis, & Entis; potest consequenter versari circa illud abstractum, sine eo quòd versetur circa id à quo abstraxit; quia ex natura sua potest coniuncta in re diuidere, & res diuisas componere; & ita vnum, alio non concepto, concipere. Igitur tametsi strictè loquendo præcisio in eo videatur à distinctione distingui; quòd distinctio intercedat inter gradus æquè vniuersales; præcisio verò sit distinctio superioris ab inferioribus: nihilominus pro vno & eodem hîc vsurpantur. Et ita inuestigando præcisionem Entis, à suis inferioribus: etiam eiusdem Entis distinctionem ab iisdem inferioribus euoluemus.

Prænotandum 2. nos hîc supponere dari præcisionem Metaphysicam, seu distinctionem aliquam ex natura rei inter gradus superiores & inferiores naturarum & indiuiduorum, vt alibi probabimus. Quod quidem si verum sit inter gradus prædicamentales; vt inter substantiam & corpus; inter hominem & animal: non minus verum erit inter prædicamentales, vt inter Ens, & creaturam, inter Ens & substantiam. Nam quod aliqui concedunt istam distinctionem inter gradus prædicamentales, vt Fonseca 2. Metaphysic. in Commentario capitis secundi circa finem, & lib. 5. cap. 7. qu. 5. sect. 5. ad secundum: Non concedunt autem inter prædicamentales & transcendentales, præsertim inter Deum, vel creaturam, & Ens, vt illemet alibi: istud videtur sine rationabili fundamẽto dici. Nam quod dicunt hoc esse speciale inter hos gradus, propterea quòd oporteret gradus inferiores additos Enti, à quo distinguerentur ex natura

rei, fore nihil; ostendetur esse falsum, vbi de modis determinantibus Ens, & de modo, quo Ens ipsum de illis prædicatur, agemus. His positis, sit

Prima Conclusio.

Conceptus formalis Entis elicitiuè sumptus, est præcisus & distinctus realiter à conceptibus formalibus inferiorum; sumptus autem terminatiuè, est non tantùm distinctus realiter, sed est omninò alterius rationis & naturæ à conceptibus eorundem inferiorum. Prior pars conclusionis probatur. Conceptus formalis Entis elicitiuè sumptus est actus intellectus realiter distinctus à quolibet alio actu eiusdem intellectus; Ergo & ab actu quo intellectus concipit substantiam & accidens: sed actus quibus intellectus concipit substantiam & accidens, sunt conceptus formales inferiorum Entis, vt patet. Ergo conceptus formalis Entis est re præcisus & distinctus à conceptibus formalibus inferiorum Entis. Secunda pars probatur. Quia actus desumunt suam speciem, saltem extrinsecè, ab obiectis, à quibus partialiter causantur, & ad quæ terminantur: Sed conceptus formalis Entis versatur circa Ens. Ergo ab Ente desumit suam speciem: Ens autem est omninò alterius rationis, ab inferioribus suis. Ergo conceptus formalis Entis terminatiuè sumptus non modò distinguitur re, sed etiam ratione formali à conceptibus formalibus inferiorum Entis. Dico non tantùm re, sed etiam ratione formali seu quidditatiua: quia aliquando plus est distingui ratione formali, quàm solùm realiter, vt in proposito. Nam duo conceptus formales Entis v.g. distinguūtur realiter, quatenus sunt duo actus intellectus realiter distincti: Terminatiuè autem non distinguuntur ratione formali; quia sunt eiusdem speciei & naturæ. Itaque distingui ratione formali, quandoque plus est quàm distingui realiter. Non immoror in hac conclusione, quippe in qua non est potissima difficultas, sed in sequente.

Secunda Conclusio.

Conceptus obiectiuus Entis est distinctus & præcisus ex natura rei à conceptibus obiectiuis inferiorum. Hæc conclusio fundatur in illa generali Doctrina nostræ Scolæ, quâ docetur dari distinctionem aliquã ex natura rei inter gradus transcendentales, genericos, differentiales, & indiuiduales alicuius vnius indiuidui. Quam Doctrinam vt magis conformem Aristoteli, ac etiam D. Thom. ab impugnationibus Francisci Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 6. sect. 9. inferiùs vindicare conabimur. Probatur interim conclusio. Conceptus ille qui naturâ suâ pauciora dicit quàm alius, est naturâ suâ præcisus & distinctus ab eo. Sed conceptus Entis naturâ suâ pauciora dicit quàm conceptus inferiorum. Ergo est naturâ suâ præcisus & distinctus à con-

ceptibus inferiorum. Maior est nota. Minor probatur. Conceptus Entis dicit solùm gradum essendi: Conceptus inferiorum dicunt supra istum gradum, vel gradum subsistendi, vel gradum viuendi, vel gradum sentiendi, vel gradum inhærendi, vel alium. Ergo conceptus Entis naturâ suâ pauciora dicit quàm conceptus inferiorũ.

Respondetur communiter, secundùm Doctrinam nostrorum Nominalium, falsum esse quod Ens naturâ suâ pauciora dicat, quàm conceptus inferiorum; sed id habere solùm ab intellectu inadæquatè concipiente naturam aliquam, in qua separat & distinguit gradus illos prædictos ab inuicem, qui ex natura rei sunt in natura ipsa omninò indistincti: Ideóque cùm Petrus v. g. per suam vnam & simplicem entitatem, sit Ens, & substantia, & corpus, & viuens, & animal, & rationalis, & homo, & Petrus, simulque sit hæc omnia indistinctè: Intellectus tamen concipiendo rationem Entis, non conceptis aliis; dicitur distinguere gradum Entis ab aliis gradibus inferioribus. Atque adeò si quæ sit inter gradus ipsos distinctio, tota pendet ab intellectu, & minimè ab ipsa rei natura petitur.

Contrà. Si gradus illi in Petro distinguuntur tantùm per intellectum, & sunt omninò indistincti à parte rei: sicut verum est rationalitatem Petri esse actũ primum ratiocinandi: Ita verum erit animalitatem eiusdem Petri esse actum primum ratiocinandi. At istud falsum est: Ergo & aliud.

Respondebitur illam simplicem entitatem prout est rationalis, esse actum primum ratiocinandi, non autem prout est animal, aut viuens, aut substantia. Quia quantumuis entitas illa sit actu vna & indistincta, & adæquatè spectata, sit simul & existens, & subsistens, & viuens, & sentiens, & rationalis: inadæquatè tamen spectata; nunc est ratio vnius, putà ratiocinationis, & non alterius, putà subsistentiæ, vel existentiæ.

Contrà. Simplicem illam entitatem, esse actum primum ratiocinandi, vt est rationalis, & non vt est animal: est entitatem illam esse actum primum ratiocinandi, prout concipitur tantùm rationalis, & non concipitur animal; vel vt à parte rei est rationalis, & non animal. Si dicatur posterius, habetur propositum: Nam aliquid posse ratiocinari quà rationale à parte rei, & non quâ animal; est rationale, & animal non esse idem à parte rei: Si prius. Contrà. Si per possibile vel impossibile, Petrus non esset animal, & esset substantia rationalis, haberet actum primum ratiocinandi, non tantùm vt conciperetur rationalis, & non conciperetur animal; sed vt reuera esset rationalis, & non esset animal. Ergo nunc habet actum primum ratiocinandi non tantùm quâ concipitur ratiocinalis, & non concipitur animal; Sed vt à parte rei est rationalis & non animal. Probatur consequẽtia. Quia rectè probatur hoc naturâ suâ, non esse illud, quando

illo circumscripto, remanet hoc: Sed circumscripto animali, remaneret adhuc rationale: Ergo naturâ suâ animal non est rationale.

Dicetur, quòd tunc Petrus foret alia entitas. Optimè. Ergo foret alia entitas per substractionem alicuius, ex cuius aolatione sequeretur alia entitas; non autem per ablationem rationalis. Ergo foret alia entitas per ablationem alicuius quod non esset rationale. Ergo rationale, & illud quod per possibile vel impossible esset ablatum, non sunt idem. Licet itaque non simus ita materiales, vt conceptus entis, & substantiæ, & corporis, & viuentis, & animalis, & rationalis, & Petreitatis realiter actu diuidamus, & quasi separemus abinuicem: Non tamen etiam sumus ita Chymærici, vt imaginemur solùm illos distingui per intellectum: Sed media gradimur via, dicendo gradus illos Metaphysicè, seu suis proprijs distingui rationibus.

Probatur iterum hæc Conclusio rationibus Doctoris Subtilis. Omnis intellectus certus de aliquo, & dubius de diuersis, habet conceptum tùm formalem tùm obiectiuum de eo de quo est certus, alium à conceptibus tum formalibus, tùm obiectiuis eorum de quibus est dubius. Sed intellectus potest esse certus de aliquo quod sit ens, dubitando an sit ens finitum vel infinitum, creatum vel increatum. Ergo conceptus entis de aliquo est alius à conceptibus entis finiti & infiniti, creati & increati. Quòd si sit alius: Ergo præcisus & distinctus: & hoc quidem ex natura rei: quia illud de quo intellectus est certus, natum est, ex natura sua, parere talem certitudinem, quemadmodum illa de quibus est dubius, parere nata sunt dubitationem. Maior est nota, quippe cuius subiectum inuoluit prædicatum. Nam vnus & idem conceptus non potest simul esse certus & dubius. Minor probatur. Philosophi qui contendebant de primo rerum omnium principio, erant certi quòd illud erat ens, & dubitabant quale illud esset, an ignis, vel aër, vel aqua, vel aliquid aliud, aut finitum, aut infinitum. Ergo intellectus potest esse certus de aliquo quod sit ens, dubitando quale sit ens?

Respondebunt Nominales intellectum posse simul esse certum & dubium de eodem conceptu, varijs modis, scilicet vel confusè vel distinctè spectato: certum quidem de illo confusè spectato: dubium verò de eodem distinctè considerato: & quia ens nihil aliud est quàm omnia entia confusè spectata: & inferiora eius, ipsa eadem omnia entia iam distinctè spectata; nihil prohibet de omnibus entibus confusè spectatis, dari conceptum aliquem tùm formalem, tùm obiectiuum alium à conceptu tùm formali tùm obiectiuo eorundem omnium entium distinctè consideratorum.

Contrà. Omne vniuersale est quoddam totum, & eâ ratione dicitur totum confusum, quia

sub se continet partes subiectiuas, quæ non concipiuntur virtute ipsius etiam distinctè concepti. Ergo non dicitur totum confusum per ordinem ad aliquam vnam rationem modò distinctè, modò confusè conceptam. Ergo conceptus entis vt alicuius totius confusi, non est idem ac conceptus partium eius subiectiuarum. Probatur. Quia solùm fortè dubitari posset; an vnus & idem conceptus possit esse simul certus & dubius in ordine ad vnam, & eandem rationem, nunc minùs perfectè, nunc perfectiùs cognitam. Dico fortè: Quia cùm ex doctrina nostra, illud dicatur distinctè concipi, cùm concipitur sicut exprimitur per definitionem; illud verò confusè concipi, cùm concipitur sicut exprimitur per nomen: iam clarum est conceptum confusum & distinctum, hoc pacto, non esse vnum & eundem; quia non est idem conceptus nominis, & definitionis. Nec etiam fortè conceptus alicuius distinctè concepti est vnus per ordinem ad definitionem, nunc minùs expressam, nunc expressiorem. Quia cùm essentiæ rerum sint sicut numeri, quibus si tantùm addatur vnus gradus, variantur: conceptus rei expressæ per expressiorem definitionem, erit alius à conceptu eiusdem rei expressæ per minùs expressam definitionem: Quia res conceptibilis, quippe cui est gradus additus, est etiam alia. At nullo modo dubitari potest quin conceptus alicuius totius confusi confusione partium subiectiuarum, sit alius à conceptu earumdem partium subiectiuarum: quia ex natura rei non sunt omninò idem, totum confusum seu potentiale, & partes eius subiectiuæ. Ens autem est quoddam totum confusum confusione partium subiectiuarum. Ergo conceptus eius non est vnus & idem cum conceptu partium eius subiectiuarum, quæ sunt Deus & creatura, substantia & accidens.

Respondet iterum huic rationi Doctoris quidam Ioannes Roditon citatus apud ipsum in 1. dist. 11. q. 6. & post ipsum Socinnas, 4. Metaphis. q. 2. & 3. & quidam alij apud Franciscum Suarez, conceptum obiectiuum entis, esse alium à conceptibus inferiorum, non alietate præcisionis, sed alietate disiunctionis. Hoc est, esse alium à conceptibus inferiorum, eodem modo quo totum aliquod disiunctum est aliud à suis partibus. Cuiusmodi est hoc disiunctum: vel dies est, vel nox. Quod quidem præcisè nec diem, nec noctem dicit, nec etiam aliquid ex natura rei præcisum ab vtroque; sed vel vnum, vel aliud membrorum disiunctorum. Ens enim (dicunt ipsi) nec substantiam dicit præcisè, nec accidens; nec etiam aliquid ex natura rei præcisum ab vtroque; sed vel vnum, vel aliud; scilicet vel substantiam, vel accidens.

Contra istud est primò, quia certitudo ipsa entis, de quo intellectus est certus, præcedit omnem apprehensionem quorumcumque diuidentium ipsum ens. Ergo præcedit certitudi-

nem de toto disiunĉto. Antecedens probatur. Quia cum primùm apprehenditur Ens, vel aliquid; non statim apprehenduntur rationes istæ, nimirum esse à se, vel ab alio; esse Deum, vel creaturam; substantiam, vel accidens. Ergo apprehensio Entis præcedit apprehensionem membrorum diuidentium ipsum. Ergo & certitudo; quia talis apprehensio est certa. Consequentia probatur. Quia apprehensio totius disiunĉti supponit apprehensionem inferiorum diuidentium: quia disiunĉtum constituitur ex diuidentibus.

Prætereà. Si hoc esset, sequeretur hanc prædicationem; substantia est ens: efficere hunc sensum. Substantia est substantia vel accidens. Quod constat esse falsum. Nec exemplum est ad propositum. Nam nullum totum disiunĉtum prædicari potest de altera parte determinata disiunĉtionis, dicendo v.g. dies vel nox, est dies. Ens autem prædicatur de altera parte determinatè diuidente ipsum; dicendo Ens est substantia; vel Ens est accidens. Ergo ens respeĉtu suarum partium subieĉtiuarum, non est totum aliquod disiunĉtum. Alias quasdam responsiones ad rationem Scoti affert, & soluit noster Fauentinus Theor. 86. cap. 2. Philosophiæ naturalis.

Probatur iterum conclusio ab Antonio Andrea in hunc modum. *Impossibile est aliqua plura in vno & eodem conceptu simul conuenire, & differre: sed Deus & Creatura conueniunt in Ente, vel conceptu Entis: quia vtrumque verè est Ens. Differunt autem proprijs conceptibus, sicut patet, quia non est idem conceptus Dei, & creaturæ. Ergo conceptus Entis est alius à conceptu Dei & creaturæ.*

Respondent aliqui aliqua plura non posse simul conuenire quidem & differre in conceptu vniuoco: benè tamen in conceptu analogo, qualis est conceptus Entis. Quia, dicunt, hoc est discriminis inter vniuocum, & analogum quo ad hoc, quòd vniuocum sit in quo multa conueniunt, & non differunt. Analogum vero id in quo plura & conueniunt & differrunt, cùm analogi ratio partim sit eadem, partim diuersa.

Contrà. Ens est analogum vniuocum. Ergo ratio eius non est partim eadem, partim diuersa in se, vt diĉtum est superius; sed est eadem, & cum ordine tantùm ab inferiobus participata. Sed prius est rationem illam esse vnam & eãdem, quàm cum ordine participari. Nam esse vnam habet ex se. Cum ordine autèm participari habet à modis determinantibus ipsam. Ergo prius est aliqua plura in ratione ista conuenire, quàm propter ordinem participationis eius, differre. At ratio ista, in qua Deus & creatura conueniunt, est præcisè ratio Entis: non autem cum ordine vel dependentia participari ab hoc vel illo Ente. Ergo in ratione Entis præcisè non habent aliqua multa quòd conueniant simul, & differant.

Respondet Suarez aliqua plura posse simul conuenire & differre in aliquo etiam vniuoco, dummodò conuenientia &

distinctio eorum sint diuersorũ ordinum; putà si conuenientia sit rationis tantùm, & distinctio realis; vel conuenientia imperfecta, & distinctio seu disconuenientia perfecta. At, inquit, tom. 1. Metaph. disp. 2. sect. 3. num. 16. res ita se habet in proposito. Nam conuenientia inferiorum Entis in Ente, est rationis tantùm; distinctio autem, realis. Item conuenientia est imperfecta, distinctio perfecta. Quare cùm aliqua plura possint in aliquo vno secundũ quid conuenire, & in eodem simpliciter differre: inferiora entis poterunt secundùm rationem, imperfectè, & secundùm quid conuenire; & in eodem secundùm rem, perfectè, & simpliciter differre.

Contrà. Conuenientia inferiorum entis in ente, est similitudo quam habent inferiora entis ad inuicem. Sed similitudo illa non est rationis tantùm, in sententia eius, & in rei veritate: Nam nõ habet per intellectum, aliquod vnum ens reale, quod sit simile alteri enti reali, ex eo quòd sit ens reale. Ergo conuenientia etiam inferiorum Entis in Ente, non est rationis tantùm. Confirmatur ex ipsomet, qui in eadem periodo, in qua dicit conuenientiam illam esse secundùm rationem tantùm; paulò pòst, dicit conuenientiam, & similitudinem quam inferiora Entis inter se habent, esse realem.

Item contrà id quod dicit de conuenientia illa imperfecta. Quandocumque aliqua plura simul conueniunt, & differunt; quantumuis imperfectè conueniant, & perfectè differant: ab eo tamen præcisè, & formaliter non habent vnde conueniant, à quo habent quòd differant. Ergo quantumuis imperfectè inferiora Entis in Ente conueniant, & perfectè differant; ab eo tamen formaliter non habent vnde conueniant, à quo habent quod differant. Antecedens probari posset inductione per ea omnia quæ quouis modo conueniunt, & differunt: Sed hoc vnum sufficiet exemplum. Brutum & planta v. g. imperfectè conueniunt, & perfectè differunt. Constat tamen non ab eodem formaliter habere quòd imperfectè cõueniant, à quo habent quòd perfectè differant. Nam à gradu viuentis habent quòd imperfectè conueniant, & à gradibus sentientis, & non sentientis quòd perfectè differant. Ergo quantumuis aliqua imperfectè conueniant, & perfectè differant: ab eo tamen formaliter non habent quòd conueniant, à quo habent quòd differant.

Præterea, in sententia nostra: ex eo tantùm dicuntur inferiora Entis in Ente conuenire imperfectè, quia illud in quo conueniunt, nempe Ens ipsum, non est omnium perfectissima, imò omnium minima vnitate, vnum, in qua quidem vnitate fundatur proximè ista conuenientia; sicut in vnitate albedinis, v. g. fundatur similitudo. Sed vnitas quantumuis imperfecta nunquam est fundamentum proximum differentiæ, sed numerus ex Aristotele. Ergo ab

eo non habent aliqua præcisè quòd conueniant etiam imperfectè, à quo habent quòd differant.

Probatur insuper conclusio. Conceptus entis est prior naturaliter conceptu Dei & creaturæ. Ergo est alius. Antecedens patet. Quia ille conceptus naturaliter est prior, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, ex Postprædicamentis, & 5. Metaphysic. cap. de priori: Sed conceptus entis est huiusmodi. Nam rectè sequitur: est Deus. Ergo Ens; & non è conuerso. Similiter: est creatura. Ergo ens; & non è conuerso. Ergo conceptus entis est naturaliter prior conceptu Dei & creaturæ. Consequentia probatur. Prius in suo priori non dependet à posteriori, nec quantum ad esse, nec quantum ad cognosci: quia vt sic non repugnat sibi esse sine posteriori. Ergo est aliud à posteriori.

Prættereà. Inter conceptus quidditatiuos, solus conceptus entis est simpliciter simplex. Ergo est alius à quocumque conceptu entis inferioris, cuiusmodi sunt Deus & creatura. Antecedens nunc supponitur. Consequentia patet. Quia impossibile est eundem conceptum esse simpliciter simplicem, & non simpliciter simplicem. Nullus autem conceptus entis inferioris est simpliciter simplex omninò. Ergo conceptus entis est alius à quocumque conceptu entis inferioris.

Tandem ita probari potest. Non eo formaliter aliquid est substantia v.g. quo est ens. Ergo ratio entis est alia & distincta formaliter à ratione substantiæ. Atque idem erit iudicium de aliis inferioribus entis. Antecedens probatur. Si eo quidpiam formaliter esset substantia, quo est ens: ex quo aliquid esset ens, esset substantia. At id dici non potest: aliàs cùm etiam accidens ipsum sit ens; ex eo esset substantia, ex quo est ens, sicque accidens esset substantia, quod est falsum. Ergo non eo aliquid formaliter est substantia, quo est ens.

Respondet Suarez ex eo aliquid esse substantiam, ex quo est ens substantiale; & similiter ex eo aliquid esse accidens, ex quo est ens accidentale. Esse autem ens substantiale, vel ens accidentale, non esse duo aliqua distincta formaliter, sed tantùm per intellectum. Quare cùm dicitur non eo aliquid est substantia, quo est ens: non eo præcisò per intellectum, verum est; non eo præcisò ex natura rei, falsum est: nam vno & eodem à parte rei, aliquid est substantia, & ens.

Contrà. Esse Ens substantiale plus dicit à parte rei, quàm esse Ens simpliciter. Ergo non eo à parte rei aliquid est Ens substantiale, quo est Ens simpliciter. Ergo non tantùm per intellectum, verùm etiam à parte rei, non eo aliquid est substantia, quo est Ens simpliciter. Antecedens probatur: quia esse Ens substantiale dicit conceptum compositum; esse autem Ens simpliciter, dicit vnicum conceptum simplicissimum, etiã ex natura rei, præcisum à conceptu

ceptu Entis substantialis. Nam ad hoc vt aliquid dicatur præcisum ex natura rei ab alio, sufficit quòd non sit motum vel excitatum ab intellectu vt dicatur esse; & cùm hoc sit mouens & excitans, vel motiuum & excitatiuum intellectus ad cognitionem sui, ante omnem cognitionem & apprehensionē sui. At conceptus Entis est huiusmodi. Ergo est præcisus ex natura rei à conceptu Entis substantialis. Ergo esse Ens substantiale plus dicit à parte rei, quàm esse Ens simpliciter. Consequentia est euidens. Nam si esse Ens substantiale plus dicat à parte rei, quàm esse Ens simpliciter; constat non eo præcisè à parte rei aliquid posse esse Ens substantiale, quo est Ens simpliciter.

Prætereà. Si esse Ens substantiale, & esse Ens simpliciter non differunt nisi per intellectum, & sint idem à parte rei: sicut Ens simpliciter ex natura rei dicitur de accidente; Ita esse Ens substantiale dicetur de eodem: Hoc autem est falsum, vt patet. Ergo non sunt vnum & idem à parte rei Ens, & Ens substantiale.

Obiect. 1. Idem Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 2. sect. 2. tria proponit argumenta in hanc sententiam, quæ sunt fundamenta suæ opinionis, quorum primum est satis prolixum, & non multum vrgens. Nam premit tantùm quærendo quomodo se habeant ens & substantia vt distincta ex natura rei?

Solutio. Sed respondetur breuiter se habere vt conceptum communissimum, & conceptum minùs communem, qui conceptus minùs communis non habet simpliciter quòd sit ens ex eo quòd sit substantia; sed quòd sit tale ens. Sicut homo v. g. non habet simpliciter quòd sit animal, ex eo quòd sit homo; sed quòd sit tale animal. Vnde quemadmodum præciso animali ab homine, non contingit amplius esse hominem: non quòd homo sit tantùm animal; sed quia animal ad essentialem hominis constitutionem requiritur: Ita præciso Ente à substantia, non contingit amplius esse substantiam; non quòd substantia sit tantùm Ens simpliciter, seu sit tantùm gradus ille communissimus Entis: sed quia gradus ille ad essentialem substantiæ constitutionem desideratur.

Instantia. Dicet fortè non esse parem rationem in exemplo, & proposito: quia præciso animali ab homine, remanet adhuc aliquid, quod non est formaliter animal, nimirum rationale. At præciso Ente à substantia nihil remanet quod non sit adhuc Ens formaliter, vel erit nihil. Igitur falsum est posse præscindi Ens à substantia, sicut in sententia Scoti præscinditur animal ab homine.

Soluitur. Respondetur id quod remanet, præciso Ente à substantia, non esse Ens quidditatiuum & determinabile, de quo solùm loquimur; sed Ens qualificatiuum, seu modificatiuum, & determinatiuum. Quæ responsio specialem habet locum inferiùs.

Obiectio 2. Obijcit 2. Conceptus Entis

non solùm à creaturis; sed etiā à Deo præscinditur. Sed in Deo non distinguitur ex natura rei, conceptus Entis vt sic, à conceptu talis Entis, scilicet increati vel infiniti. Ergo neque in cæteris Entibus. Maiorem non improbat Scotus. Minor probatur, tùm ex summa Dei simplicitate: Nam si in eo esset aliqua distinctio ex natura rei, non esset summè simplex: tùm etiam quia aliàs daretur in rebus aliqua ratio realis ex natura rei distincta ab omnibus alijs ex se, & naturâ suâ prior Deo vt Deus est, scilicet illa ratio Entis, quæ in Deo esset distincta à ratione Dei. Hoc autem est impossibile: quia Deus vt Deus essentialiter est primum Ens & duratione, & perfectione, & naturâ. Denique quia illamet ratio Entis quæ in Deo est, essentialiter habet diuinas proprietates, vt esse independentem & increatam: vnde etiam secundum illam rationem Entis prout est in re, infinitè distat Deus à creaturis. Ergo in Deo non distinguitur ex natura rei conceptus Entis vt sic, à conceptu talis Entis, scilicet increati vel infiniti.

Solutio. Respondeo concessâ maiore, negando minorem; & ad primam probationem eius dicendo huiusmodi distinctionem non repugnare diuinæ simplicitati, vt egregiè probat Scotus, & nos cum eo alibi probamus. Ad secundam dicendo impossibile esse dari realitatem aliquam priorem Deo, non autem conceptum: seu impossibile esse dari rationem aliquam subiectiuam priorem Deo; non autem rationem aliquam obiectiuam: seu impossibile esse dari aliquid prius Deo prioritate existentiæ, non autem dari aliquid prius tantùm prioritate generalitatis & prædicationis. Aliquid autem esse primum Ens duratione, perfectione, & naturâ competit tātùm naturę, seu realitati subiectiuæ, quæ primò & per se potest existere; non autem conceptui alicui generalissimo, qui non priùs durat, nec priùs existit, quàm eius inferiora, in quibus, & virtute quorum solùm existit. Ad tertiam nego illam rationem entis quæ est in Deo, habere præcisè & formaliter vt est simplex ratio Entis, diuinas proprietates. Nam præcisè vt est ratio Entis, nihil habet nisi rationem Entis. Tamen vt illa ratio est iam non ratio Entis simpliciter; sed talis Entis; tunc habet diuinas proprietates. Vno verbo, ratio Entis essentialiter & realiter habet diuinas proprietates; formaliter non habet.

Obiect. 3. Obijcit 3. sola distinctio conceptuum nostrorum, quibus aliquid percipimus per modum communis & particularis, non indicat sufficientem distinctionem ex natura rei, in re concepta. Ergo neque illam indicat in conceptu Entis, respectu suorum inferiorum. Antecedens patet tùm in rebus diuinis, vbi conceptus personæ diuinæ cōmunis est tribus personis diuinis, in quo conceptu conueniunt personæ diuinæ, & in propriis distinguuntur, & tamen in vnaquaque earum ratio personæ,

& ratio talis personæ non distinguitur ex natura rei, sed tantùm ratione. Similiter datur conceptus sapientiæ, & tamen nec sapientia increata, nec creata habet distinctionem ex natura rei, à sapientia vt sic considerata. Tùm in rebus creatis, exemplum est in luce solis, vbi & est virtus illuminandi, in qua conuenit cum splendore ignis, & calefaciendi, in qua conuenit cum calore, & exsiccandi in qua conuenit cum siccitate; & ab eis omnibus potest intellectus varios conceptus abstrahere, quos omnes in luce ex natura rei existimare distinctos friuolum est, & sine fundamento.

Solutio. Respondeo antecedens verum esse, si illa distinctio conceptuum nostrorum non causaretur ab aliquo distincto, vel saltem, non eodem, præcedente ipsam distinctionem. Quia autem ponimus distinctionem cōceptuum nostrorum oriri à distinctione rerum conceptibilium: ideò antecedens falsum est. Distinctionem autem conceptuum nostrorum oriri à distinctione, vel saltem non identitate rerum vel rationum conceptibilium præcedente ipsam, constat etiam in exemplis allatis. Ideò enim intellectus meus habet conceptum distinctum paternitatis diuinæ, & personæ diuinæ: quia à parte rei non est idem, esse personam diuinã, & esse Patrem. Quia Verbo diuino conuenit esse personam diuinam, non tamen conuenit esse Patrem. Quòd si eo præcisè & formaliter, pater esset pater, quo est persona: ex quo aliqua persona diuina haberet quòd esset persona, haberet quoque quòd esset Pater, quod apparet esse falsum. Confirmatur ista responsio authoritate Doctoris nostri docentis rationem illam personæ, vt dicit aliquid commune Patri, & Filio, & Spiritui sancto, non significare secundam intentionem. Multò clarius id apparet esse verum in alijs exemplis. Nam in sapientia creata, non est idem à parte rei, esse sapientiam, & esse creatam. Quia sapientiæ diuinæ conuenit esse sapientiam, non tamen conuenit esse creatam. Exemplum solis ipsis etiam cæcis patet potius esse ad oppositum, quàm ad propositum Suarij. Ipsi enim cæci experiuntur calorem solis, & non lucem: quò fit vt à posteriori, rectè illi possint inferre, lucere in sole, non esse idem à parte rei, ac calefacere, ac proinde virtutem lucendi non esse omnino & præcisè à parte rei, virtutem calefaciendi in sole. Ab experientia enim virtutis vnius, alia non experta, rectè colligitur virtutem experientia comparatam, non esse omninò à parte rei virtutem non probatam experientiâ.

Ex his sequitur conceptum obiectiuum Entis esse etiam ratione præcisum à conceptibus obiectiuis suorum inferiorum; quia distinctio & præcisio maior infert minorem. Vnde sequitur: Ens ex natura rei est præcisum à suis inferioribus. Ergo multò magis præcisum etit per intellectum.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm Ens sit vniuocum ad Deum & creaturas, & ad substantiam & accidens?



X duabus præcedentibus quæstionibus, satis constat affirmatiuam debere esse huius quæstionis responsionem: nihilominus ad maiorem illius euidentiam,

Prænotandum 1. ex nostro Anthonio Andr. 4. Metaphys. qu. 1. §. *Quantùm ad secundum.* Et Tatareto in Commentarijs primi Sententiarum, dist. 3. qu. 3. Triplicem esse vniuocationem, scilicet Physicam, Logicam, & Metaphysicam.

Triplex vniuocatio, Physica, Logica, & Metaphysica.

Vniuocatio Physica, est vnitas naturæ formalis, perfectissima, ex natura rei, circunscripto omni opere intellectus, cum vno nomine importante istam rationem pluribus; & hæc reperitur duntaxat in specie specialissima, in qua, & non in genere, fieri propriè comparationem docet Philosophus 7. Physic. quia species specialissima dicit vnam naturam & vniuocam, in qua non latent æquiuocationes, quemadmodum in genere, quod propterea dicitur æquiuocum, æquiuocatione opposita huiusmodi vniuocationi Physicæ, eò quòd natura generica non est tantâ vnitate vna, quantâ vnitate est vna natura specifica, vt docent Commentator & Themistius 1. de anima. Et hoc videlicet ratione inæqualis perfectionis differentiarum contrahentium genus, & æqualis perfectionis differentiarum contrahentium speciem specialissimam.

Vniuocatio Logica est vnitas alicuius realitatis, vel intentionis primæ, sub aliqua intentione Logica, putâ, vel generis, vel differentiæ, vel alicuius alterius, conceptæ; quâ vniuocatione, non modò genera, & species, sed etiam transcendentia dici possunt vniuoca; quippe quæ subesse possunt secundæ cuidam intentioni, v.g. intentioni vniuersalitatis. Et quidem vniuocum, hac vniuocatione, stare potest cum æquiuoco, æquiuocatione Physica; quia genus v. g. quod est æquiuocum æquiuocatione Physica, est etiam vniuocum vniuocatione Logica.

Vniuocatio Metaphysica est vnitas alicuius primæ intentionis conceptibilis, & abstrahibilis à pluribus inferioribus, ex natura rei, non affecta vlla intentione secunda. Et hac vniuocatione censentur vniuoca, quæcumque non sunt vniuoca vniuocatione physica.

Prænotandum 2. ex Francisco de Marchia, apud Tataretum in Commentariis primi dist.3.q.1. & Patre de Rada controuersia 21. primi sent. quadruplicem esse gradum vniuocationis.

Quatuor vniuocationis gradus.

Primus & omnium perfectissimus est, cuius ratio vniuoca est æqualis omninò perfectionis, & eodem ordine essentiali, & eodem modo essendi repe-

itur in suis inferioribus; & in hoc gradu occurrit sola species atoma, cuius ratio vniuoca, & communis suis indiuiduis, est æqualis omninò perfectionis, etiam adiunctis differentiis indiuiduantibus; quippè quarum vna non est perfectior alia: Item eodem essendi modo, & eodem ordine essentiali descendit in ipsa indiuidua, & non secundùm prius, & posterius essentialiter; quia indiuidua eiusdem speciei, sic se habent, vt vnum essentialiter, non sit prius altero.

Secundus vniuocationis gradus est, cuius vniuoca ratio eodem essendi modo, & eodem ordine essentiali; non tamen cum æquali perfectionis gradu, reperitur in suis inferioribus. Huius conditionis est vniuocatio generum, quæ ratione differentiarum adiunctarum, perfectiùs sunt in vna, quàm in alia specie, vt animal v. g. quod perfectiùs extrinsecè, videlicet ratione perfectioris differentiæ, est in homine, quàm in bruto.

Tertius gradus vniuocationis est, cuius vniuoca ratio, eodem quidem essendi modo, scilicet, essentialiter, & realiter, & sine vlla dependentia vnius inferioris ad aliud; non tamen eodem ordine essentiali inuenitur in suis inferioribus. Ad hunc gradum spectat numerus, qui per prius essentialiter descendit ad binarium, quàm ad ternarium.

Quartus gradus vniuocationis est cuius sola ratio vniuoca, seclusis eodem modo essendi, eodem ordine essentiali, & æquali perfectionis gradu, reperitur in suis inferioribus, & hoc gradu vniuocationis, ens est vniuocum respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis: Nam dicit vnitatem rationis communis Deo, & creaturæ, substantiæ & accidenti; Non habet tamen eundem essendi modum in Deo & creatura, in substantia, & accidente: Quia in Deo est independens; in creatura dependens: in substantia quoque suo modo independens, in accidente dependens. Non habet etiam vnitatem ordinis essentialis, quia ratio entis priùs essentialiter est in Deo, quàm in creatura; neque tandem habet vnitatem gradus perfectionis, quia in Deo ratio entis est perfectissima, in creatura non sic.

Ex his quatuor vniuocationis gradibus, primus est perfectissimè vniuocus, & per accessum, vel recessum ab eo, dicuntur vniuoca magis vel minus perfectè vniuoca; quare secundus gradus erit perfectior tertio, & tertius quarto. Minima itaque vniuocatio est in quarto gradu, in quo præcisè spectatur vnitas rationis. Nihilominus quia vniuocum dicitur, cuius est vnica ratio multis communis, si hæc adsit, & absint cætera, illud semper manebit vniuocum. Et hoc quidem confirmat Scotus noster in 1. dist. 3. q. 1. qui dicit ad tollendam contentionem, quæ posset oriri super nomine vniuocationis; *conceptum vniuocum eum esse, qui ita est vnus, vt eius vnitas sufficiat ad contradictionem, affirmando, & negando, ipsum de vno, & eodem:*

Quomodo Scotus sumat vniuocationem entis.

sufficiat etiam pro medo syllogistico, quatenus nimirum extrema vnita in tali medio sic vno, sine fallacia æquiuocationis, concludantur esse vnum inter se. Vbi nomine vniuoci, intelligit solùm vniuocum quòd opponitur æquiuoco, quippè cuius vnitas, putà, solius nominis non sufficit ad contradictionem: quia sine contradictione, de eodem nomine verificantur ista; canis currit, & canis non currit; quia æquè primò cursus affirmatur de cane latrabili, atque negatur de cane sydereo. Non sufficit item pro medio syllogistico ad vnienda aliqua extrema; quia in vna præmissa accipi potest pro vno significato, & in alia pro altero, vt in hoc syllogismo: Canis est animal; sed sydus est canis; ergo sydus est animal. Ens autem ad vtrumque sufficit, & ad contradictionem videlicet, & ad rationem medij syllogistici. Si qui sint qui plura desiderent ad vniuocationem, iam nobiscum de solo nomine contendunt.

Multiplicia analoga.

Prænotandum 3. multiplicia esse analoga: Nam eorum quædam sunt attributionis, & alia proportionis seu proportionalitatis. Analoga attributionis sunt vel quæ attribuuntur ad aliquod tertium, vt ambulatio & diæta quatenus sana, ad animal: vel quorum vnum attribuitur ad aliud, vt potio sana ad animal sanum. Priora dicuntur analoga ad vnum; posteriora dicuntur vnius ad alterum. Iterum analogorum attributionis quædam sunt, in quibus forma denominans ipsa, est intrinseca, vt Deus & creatura, in quibus ratio entis est intrinseca: Et hanc analogiam in hoc etiam exemplo ponit & explicat Scotus in 2. distinct. 12. q. 2. §. *ad primam rationem*, ante medium. Alia, in quorum vno est intrinseca, & in alio extrinseca, & per denominationem extrinsecam, vt animal sanum, & deambulatio sana; in quorum primo, sanitas est intrinseca, in secundo extrinseca, & per externam habitudinem ad animal. Hanc diuisionem non satis animaduertit Fonseca. 4. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 7. vbi dicit, non rectè philosophari eos, qui in ente solam analogiam attributionis agnoscunt. Coguntur enim fateri, inquit, solam substantiam esse formaliter ens, quemadmodum solum animal est formaliter sanum. Quasi verò in omni analogia attributionis, alterum tantùm extremorum analogatorum deberet habere formam denominantem intrinsecè, & alterum extrinsecè: Nam vt loquitur Scotus loco nunc citato: *Si res ita se habeat in vno exemplo, in centum est contrarium: Nulla enim maior est analogia quàm sit creaturæ ad Deum in ratione essendi; & tamen sic esse primò & principaliter conuenit Deo, quod tamen realiter & vniuocè conuenit creaturæ.*

Inter hæc autem, est multiplex differentia. Nam eorum in quibus vtrobique forma denominans est intrinseca, non datur tantùm vnum nomen, sed etiam vnus conceptus communis omnibus analogatis; cuius rei ratio est, quia eorum analogia, non consistit in ipsius rationis

præcisè diuersitate; sed in quibusdam modis, & rationibus posterioribus illa ratione communi: quò fit vt nonobstantibus modis istis, non desinat illa ratio esse vna & communis. Eorum autem in quibus vtrobique ratio denominans non est intrinseca, datur tantùm nomen vnum commune; & ratio multiplex. Et ex hac differentia sequitur alia; nimirum analogorum in quibus ratio est vtrobique intrinseca, analogum analogans posse esse medium in demõstratione; quia dicit vnum conceptum communem pluribus. Aliorum autem non sic. Quia nomen quod est eis commune, subest pluribus conceptibus. Hinc rursus sequitur tertia differentia; nimirum, illa in quibus ratio est intrinseca, esse analoga vniuoca; Alia autem esse analoga æquiuoca. Nam vniuoca dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, secundum illud nomen, eadem: Illa autem sunt huiusmodi; quia quantumuis illa ratio variis modis participetur ab extremis analogatis, non tamen ipsa in se est varia & multiplex, sed vna. Iterum, Æquiuoca dicuntur quorum nomen est commune, & ratio, secundum illud nomen, varia, & multiplex. Illorum autem, in quibus forma denominans non est vtrobique intrinseca, ratio est varia, & multiplex; ergo sunt æquiuoca. Hæc dicta sint pro confirmatione sententiæ Doctoris Subtilis, qui docet, vbicumque entis vniuocationem defendit, analogiam stare cum huiusmodi vniuocatione, ac proinde ens esse quidem vniuocum ad Deum & creaturas, substantiam, & accidens: cum hoc tamen esse etiam analogum.

Analoga proportionalitatis sunt, quorum ratio est semper eadem, propter proportionem vnius ad alterum: quandoque tamen est tantùm in vno extremorum analogatorum propriè, & in alio per Metaphoram: vt risus respectu hominis, & prati: quandoque etiam est propria in extremis analogatis, vt ratio principij, quæ est propria & non Metaphorica in fundamento domus, puncto lineæ, & præmissis demonstrationis. Quâ ratione superius diximus cum Aristotele, hæc esse vniuoca, alia verò æquiuoca. Et hoc certè non satis ponderauit Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 38. sect. 3. num. 11. vbi impugnans opinionem eorum qui falsò docent ens esse analogum, analogiâ proportionalitatis, ad Deum & creaturas: ex eo opinionem illam falsitatis arguit, quia, inquit, omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid Metaphoræ & impropriètatis. Constat enim esse quædam analoga proportionalitatis, in quibus ratio denominans nulli inest per Metaphoram; nisi fortè velit illa non esse vera analoga proportionalitatis.

Prænotandum 4. ex nostro Guillelmo de Rubione in 1. dist. 3. q. 3. §. *& ideò quantum ad istum articulum*, Vniuocum opponi soli æquiuoco, non verò analogo, & denominatiuo: quia vniuocum se habet ad æquiuo-

cum ſicut vnum ad multa: vnum autem propriè ſolùm multis opponitur: ſe habet autem ad analogum & denominatiuum, tanquam veluti ſuperius ad ſua inferiora. Quia vniuocum aliud eſt purum, aliud non purum. Non purum eſt, aut analogum, aut denominatiuum. Nullum ſuperius autem opponitur ſuis inferioribus. Itaque vniuocum non opponitur analogo & denominatiuo: ſed ab analogo diſtinguitur tantùm vniuocum purum, & à denominatiuo vniuocum quidditatiuum, ſeu illud quod eſt & prædicatum vniuocum, & vniuocè prædicatur.

Conceptus entis eſt ſimpliciter ſimplex tanquã vltimò determinabilis.

Prænotandum 5. conceptum entis eſſe ſimpliciter ſimplicem, id eſt, indiuiſibilem & irreſolubilem in plures conceptus, ex quibus conſtituatur: quia autem contingit duobus modis conceptum aliquem eſſe ſimpliciter ſimplicem, ſcilicet vel cùm eſt vltimò determinabilis; vel cùm eſt vltimò determinatiuus: conceptus entis non eſt ſimpliciter ſimplex, tanquam vltimò determinatiuus; quia talis conceptus eſt conceptus vltimæ differentiæ: ſed eſt ſimpliciter ſimplex tanquam vltimò determinabilis: quia nullus eſt ſuperior & vlterior ipſo, qui poſſit determinari. Ex eo autem quòd ſit ſimpliciter ſimplex, duo ſequuntur. Primum quòd quoties ſcitur aut ignoratur: totaliter ſcitur aut ignoratur. Secundum, quòd vbicumque adeſt vel abeſt, totus eſt in eo, in quo eſt, & totus abeſt ab eo, à quo abeſt. Quia quod eſt ſimpliciter ſimplex, & non conſtans ex multis gradibus, aut rationibus, non contingit ſecundum vnum gradum ſciri, & ſecundum alium ignorari. Item non contingit ſecundum vnum gradum adeſſe, & ſecundum alium, abeſſe. Ergo quandò ſcitur, aut ignoratur; adeſt, vel abeſt: totus ſcitur, aut ignoratur; totus adeſt, vel abeſt.

Prænotandum 6. ex Apoſtolo, ad Romanos 1. *Inuiſibilia ipſius Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpici, ſempiternamque virtutem eius, & diuinitatem.* Quod fit, vt author eſt D. Dionyſius, de diuinis nominibus, vel per eminentiam, vel per cauſalitatem, vel per abnegationem, ſeu remotionem. Et quidem cognoſcimus aliqua eſſe in Deo formaliter, & alia tantùm eminenter. Eminẽter dicimus Deum eſſe lapidem, ſolem, &c. Formaliter dicimus eſſe ſapientem, iuſtum, &c. Priora dicimus eſſe in Deo, per viam cauſalitatis, & eminentiæ: poſteriora per viam abnegationis. Et differentia eſt inter ea quæ ex creatis viſibilibus, colligimus eſſe in Deo eminenter, & inter ea quæ concludimus eſſe formaliter: quòd Deo vt eſt illa eminenter, & illis vt in propria natura exiſtentibus, non debeat eſſe aliquid commune vniuocum: Neque enim lapis, v.g. eſt quid vniuocum ad Deum vt eſt lapis eminenter, & ad lapidem habentem propriam naturam lapidis; ipſis autem rebus exiſtentibus in Deo formaliter, & in nobis etiam, debeat eſſe ratio communis vniuoca v. g. ſapientiæ vt eſt in Deo formaliter & in nobis, eſt communis

communis vniuoca ratio sapientiæ. Cuius rei rationem optimam affert Doct. Subt. in 1. dist. 3. q. 1. §. *Præterea illi duo conceptus*. Quia v. g. si non sit aliqua ratio communis vniuoca sapientiæ infinitæ, & sapientiæ finitæ, nulla restat via intellectui nostro creato colligendi sapientiam esse in Deo formaliter. Patet: Quia quâ ratione dicetur sapientiam esse in Deo formaliter; eâdem dicetur & lapidem esse in Deo formaliter: sicut enim dicetur sapientiam esse in Deo formaliter, quia ex sapientia creata, intellectus noster format conceptum aliquem sapientiæ omninò alium à conceptu sapientiæ creatæ, ad quem conceptum sapientia creata habet attributionem; Ita dici poterit ex lapide, posse conceptũ aliquem alium à conceptu lapidis creati formari, putà conceptum ideæ lapidis in Deo, ad quem conceptum lapis iste habet attributionem: & ita formaliter dicetur Deus lapis, secundùm illum conceptum analogicum, sicut dicitur sapiens, secundùm illum conceptum analogicum, & varium quem aliqui ponunt: hoc autem constat esse falsum. Ergo ex eo quòd concludamus aliqua esse in Deo formaliter, & alia non: concludendum est his quæ sunt in Deo formaliter, & in nobis, debere rationem aliquam communem vniuocam assignari. Confirmatur istud ex D. Anselmo de libero arbitrio cap. 1. reprehendente definitionem illam Liberi Arbitrij, quâ definitur à quibusdam potestas peccandi. *Nam si ita definiatur*, inquit, *iam liberum arbitrium non erit in Deo*; quod est falsum. Hæc autem reprehensio nulla esset, si secundùm aliam rationem omninò, diceretur liberum arbitrium de Deo, & secundùm aliam de creatura. Et certè fauet D. Dionysius docens nos cognoscere Deum per viam abnegationis. Cognoscimus enim prius aliquid positiuum, & illius rationem aliquam propriam assignamus; sed quia videmus rationẽ illam mixtam esse quibusdam imperfectionibus naturaliter posterioribus ista ratione; illam exuimus huiusmodi imperfectionibus, & induimus omnibus perfectionibus etiam eadem ratione posterioribus, quas imaginari possumus, & sic illam rationem dicimus esse in Deo formaliter. Clarum est autem semper eandem manere rationem: quia cùm illa imperfectionum ablatio, & perfectionum additio sint naturaliter posteriores ista ratione; ideò fit vt illa secundùm se semper eadem maneat.

Prænotandum vltimò: Nihil posse cognosci per aliud; nisi vel quidditatiuè, vel eminenter, vel virtualiter saltem includatur in eo: Nam si aliquo saltem istorum modorum non includatur in ipso; non poterit cognosci per illud. Sic per hominem v. g. cognoscitur animal; quia animal includitur in homine quidditatiuè. Ita per hominem cognoscitur risibilitas, quia homo continet virtualiter risibilitatem. Item cognoscitur aliquo modo planta per hominem, quia etiam ho-

mo continet plantam eminenter. Deus autem nec virtualiter,nec eminenter continetur in creatura; quia hoc esset illi imperfectionis. Ergo si cognoscatur per eam, debet contineri in ea quidditatiuè, vel secundùm specialem, vel secundùm communem aliquam rationem. Non continetur autem quidditatiuè in creatura secundum specialem rationem; Deitas enim non est de essentia creaturæ. Ergo continetur in ipsa secundùm generalem illam rationem, per quam cognoscitur, putà per rationem Entis. Ergo creatura illa quæ nata est mouere intellectum humanum ad cognitionem sui, nata est facere conceptum illius generalis rationis, putà Entis, quæ nata est ænuntiari de Deo quidditatiuè. Non posset autem facere huiusmodi conceptum, nisi ille esset vniuocus ad Deũ, & ad creaturam illam quæ potest mouere intellectum humanum pro hoc statu ad cognitionem sui. Quia si non sit vniuocus; sed vel æquiuocus, vel analogus; erit omninò alterius rationis à conceptu creaturæ; ac proinde non continebitur quidditatiuè in creatura: non continebitur etiam eminenter, nec virtualiter vt dictum est. Ergo nulla restaret via, per quam creatura illa quæ potest mouere intellectum humanum, pro hoc statu, ad cognitionem sui, posset causare huiusmodi conceptum. Ergo si conceptus Entis qui dicitur de Deo quidditatiuè, habetur ab intellectu nostro, pro hoc statu, per creaturam; oportet conceptum illum esse vniuocum ad Deum, & ipsam creaturam. Creatura autem potens mouere intellectum humanum naturaliter, pro hoc statu, est sola creatura sensibilis, seu quidditas rei sensibilis, vt loquitur Scotus, putà albedo, lux, sol, & alia id genus.

His ita constitutis, duæ sunt de quæstione proposita Sententiæ. Prima est quorundam apud D. Thomam quæst. 7. de potentia art. 7. dicentium Ens esse æquiuocum ad inferiora prædicta. Citatur noster Aureolus pro hac sententia in 1. dist. 2. qu. 1. Verùm eo loci solam vnitatem conceptus Entis impugnat; & æquicationis eius ne quidem meminit. Secunda & communissima sententia est Ens esse Analogum; quam tenent omnes cum Aristotele 4. Metaphysic. cap. 1. In hac tamen communi sententia non parua est controuersia. Nam D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 5. statuit quidem Ens analogum ad Deum & creaturas; non concedit tamen esse vniuocum, nisi dicatur ipsum solam vniuocationem simplicem, & non vniuocationem analogam, qualis sufficit ad contradictionem, & pro medio syllogistico, denegare. Quam certè solam negare constabit ipsum diligentiùs inspicienti. Cæteri tamen Thomistæ apud Suarem, Entis vniuocationem funditus euertere moliuntur. Alij solam analogiam astruunt, & ad vniuocationem destruendam sufficientes non vident rationes. Ita Suarez, qui dicta sectione num. 9. & 10. dicit analogiam En-

tis probari posse duobus modis; vel negando vniuocationem, vel affirmando analogiam positiuè. Et quidem pro parte negatiua dari quidem graues & acutas rationes : Illud tamen semper in illis difficile superesse, quia vel nimium probant, vel efficaces non sunt : Ideóque veritatem analogiæ potius esse stabiliendam per affirmationem eius, quàm per negationem vniuocationis. Et quidem ipse, si verbis, non tamen rationibus, nec reipsa à nobis discrepat. Et satis apparet non liberè protulisse quid sentiret super ista controuersia.

Alij vniuocationem Entis simul cum eiusdem analogia defendunt: Sed istam vniuocationem constituunt præcisè in voce, & in conceptu ficto & formato ab intellectu, ex eo quòd intellectus videns rem aliquam extra animam, fingit consimilem in mente repræsentatiuam omnium singularium, quæ non vidit, similium illi rei quam vidit. Ita nostri Nominales, præsertim Guillelmus Ocham, & Guillelmus de Rubione. Nam Guillelmus Ocham in 1. dist. 2. quæ. 8. lit. E. vniuersaliter loquens de vniuersali, hæc habet: *Ideò potest aliter dici probabiliter quòd vniuersale non est aliquid reale habens esse subiectiuum nec in anima, nec extra animam: Sed tamen habet esse obiectiuum in anima, & est quoddam fictum habens esse tale in esse obiectiuo, quale habet res extra in esse subiectiuo : & hoc per istum modum, quòd intellectus videns aliquam rem extra animam, fingit consimilem rem in mente : Ita quòd si haberet virtutem productiuam; talem rem in esse subiectiuo, numero distinctam à priori, produceret extrà : Et esset consimiliter & proportionaliter sicut & de artifice. Sicut enim artifex videns domum, vel ædificium aliquod extrà, fingit in anima sua consimilem domum, vel ædificium, & posteà consimilem producit extrà, & solo numero distinctam à priori: Ita in proposito, illud fictum in mente ex visione alicuius rei extrà, esset vnum exemplar: ita enim sicut domus facta, si fingens haberet virtutem productiuam realem, & exemplar ipsius artificiati: Ita illud fictum esset exemplar respectu singularium. Et illud potest vocari vniuersale, quod est exemplar, & indifferenter respiciens omnia singularia extrà; & propter illam similitudinem in esse obiectiuo, potest supponere pro rebus extrà habentibus consimile esse extra intellectum. Et ita isto modo vniuersale, non est per generationem, sed per abstractionem, quæ non est nisi fictio quædam.* Deinde multis probat istud vniuersale habere tantùm esse obiectiuum in intellectu. *Vel cui non placet ista opinio*, inquit, *de talibus fictis in esse obiectiuo, potest tenere quòd conceptus Entis, & quodlibet vniuersale, est aliqua qualitas existens subiectiuè in mente, quæ ex natura sua est signum rei extrà, sicut vox est signum rei ad placitum instituentis: & secundùm istam opinionem, debet concedi quòd quodlibet vniuersale, & genus generalissimum est verè res singularis, & res existens determinati generis. Est tamen vniuersalis per prædicationem, non pro se, sed pro rebus quas significat. Et*

ita ordo prædicamentalis substantiæ, est vnum compositum, siue aggregatum ex multis qualitatibus naturaliter se habentibus secundum superius & inferius. Hoc est quòd vnum in illo ordine ex natura sua, est plurium signum, & aliud paucorum: Sicut si fieret talis coordinatio ex vocibus; esset tamen in hoc differentia, quòd voces coordinatæ secundum superius & inferius, non significant illa quæ significant nisi per voluntariam institutionem: Alia autem significant naturaliter; & ex natura sua sunt genera & species.

Denique nona quæstione, literis, SS. applicando ista ad Ens, dicit quòd nulli vniuoco correspondet aliquid vnum, sed multa simul à parte rei; putà, Enti omnia simul Entia. Quando dicitur tamen: Animal est Ens; sensus non est. Animal est omnia Entia, sed, Animal est vnũ ex omnibus Entibus: *Quapropter*, inquit, *nullum vniuersale Entis, Item nullum aliud vniuersale vniuocum, per quod intelligitur conceptus aliquis fictus ex perceptione alicuius particularis Entis, vel alterius inferioris eius vniuersalis, cuius, illud erit inferius, est de essentia vniuocatorum suorum: Nec ponit in eis aliquid realiter, nec facit compositionem cum eis, nec cum aliquo quod est in eis.*

Vniuocationem Entis hoc modo intellectam, postmodum probat argumentis Doctoris Subtilis, quę ipse proposito suo accommodat.

Sententia Doctoris Subtilis. Est Ens esse analogum vniuocum; & vniuocationem eius consistere in aliqua vna ratione à parte rei importata Entibus inferioribus, per vnum nomen; & analogiam, i. eo quòd ista vna ratio non eodem omninò modo, sed per ordinem, & per attributionem vnius ad aliud, participetur ab ijsdem inferioribus. Hæc sententia sequentibus conclusionibus declarabitur.

Prima Conclusio.

Ens non est æquiuocum. Conclusio est aduersus Porphyrium, & multos Græcos: & probatur. Nullum æquiuocum potest esse medium demonstrationis. Sed Ens potest esse medium demonstrationis, putà, huius: Omne Ens est vnum. Sed homo est Ens. Ergo est vnum. Concludit enim iste syllogismus tanquam legitimus, & sine vlla æquiuocatione. Ergo Ens non est æquiuocum. Ens nõ est ęquiuocum.

Prætereà, si Ens esset æquiuocum, non haberet proprias passiones; quia omnis propria passio est alicuius determinatæ naturæ. Sed Ens habet proprias passiones, vt probabitur; & iam etiam probatur ex eo quòd habeatur scientia de Ente, quod non esset, si Ens non haberet passiones. Ergo Ens non est æquiuocum.

Obiectio 1. Obiicitur 1. Porphyrius cap. de Specie, dicens: *Si quis omnia entia vocet, æquiuocè nuncupabit.*

Solutio. Respondet Doctor Subtilis Porphyrium loqui ex mente Aristotelis: Et quia id nullibi apud Aristotelem reperitur, ideò non esse magnificiendam istam authoritatem, quamuis

posset exponi fortè de æquiuocatione physica, quâ omnia entia, propter species athomas, sunt æquiuoca.

Obiect. 2. Obiicitur 2. Aristot. 7. Metaphysicorum, vbi dicit accidentia esse entia, sicut Logici dicunt non ens, esse ens; & non scibile esse scibile. Sed hæc exempla æquiuocationem indicant. Ergo saltem accidentia non conueniunt cum substantia, nisi æquiuocè.

Solutio Respondetur ista exempla non esse in eo rigore accipienda; sed in eo tantùm fieri comparationem; quòd quemadmodum secundæ intentiones Logicæ non sunt primò scibiles, sed secundò, quia priùs cognoscuntur primæ intentiones: Ita Philosophus agens, eo loci; de ordine quo res definiuntur; dicit substantiam per se primò definiri: per se quidem, quia est vnum per se: primò verò, quia substantia præcedit omnia alia entia tempore, & cognitione: Accidentia verò definiri quidem etiam per se, sed non primò: per se quidem, quia accidens est vnum per se, cùm sit ens per se. Esse autem ens per se, probat illa diuisio quâ Aristoteles diuidit ens per se, in decem summa genera: Non primò verò, quia prius definitur substantia quàm accidens. Ita expressè Aristoteles his verbis: *Quod quid erat esse substantiarum est & non solùm, sed aliorum simpliciter, non tamen primò. Ens igitur*, addit Scotus, *vel quid, vel definitionem habere; quodcumque istorum simpliciter dicitur de accidente, sed non æquè primò: & nonobstante tali ordine, potest bene esse vniuocatio.*

Substantia definitur per se primò; Accidentia verò definiuntur quidem per se, sed non primò, & quare.

Secunda Conclusio.

Ens est analogum. ENs est analogum ad Deum & creaturas; ad substantiam & accidens. Conclusio est Aristotelis 4. Metaphysic. cap. 2. *Ens autem*, inquit, *multis quidem modis dicitur; verum ad vnum, vnamque quandam naturam, & non æquiuocè: sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem, &c. Ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad vnum principium.* Est etiam Doctoris Subtilis 4. Metaphysic. q. 1. in 1. dist. 3. q. 1. & dist. 8. q. 2. vbi respondens ad omnes authoritates Aristotelis probantis entis analogiam, dicit analogiam stare cum vniuocatione; ac proinde licet ens sit vniuocum, esse tamen etiam analogum. Idem etiam habet in 2. dist. 12. §. *ad primam rationem.* Vbi respondens ad argumentum aliquod, in quo videbatur probari materiam primam non esse propriè ens, quia non habet esse nisi per analogiam ad formam, cui primò attribuitur: quæ enim analogantur in aliquo primo, sic se habent quòd primùm sit intrinsecè & realiter tale, cætera verò, non nisi per attributionem ad ipsum; vt patet de sanitate, quæ est realiter in animali; & in diæta non nisi per attributionem ad animal.

Respondendo, inquam, ad illud argumentum, sic habet: *Ad aliud de analogia, quòd illud recipitur tantùm in vno realiter, & in alijs per attributionem; dico quòd hoc est falsum: quia si ita est*

in vno exemplo, in centum est contrarium: nulla enim maior est analogia, quàm sit creaturæ ad Deum in ratione essendi, & tamen sic esse primò & principaliter conuenit Deo, quod tamen realiter & vniuocè conuenit creaturæ. Simile est de bonitate & sapientia, & huiusmodi. Gradus etiam sunt in perfectionibus specierum, & per attributionem se habent ad aliquam perfectionem; & tamen non est tota perfectio in vna, nec etiam tota entitas in substantia, ita quòd accidens non sit ens, nec habeat formalem entitatem, quamuis per attributionem se habeat ad substantiam. Nec etiam exemplum multùm valet: quia non est idem, conceptus sanitatis, qui dicitur de vrina, & de animali, & de diæta. Nam non est idem formalis conceptus sanitatis, vt est æqualitas humorum, & vt est quid causatiuum sanitatis, vel significatiuum sanitatis, licet in vtroque materialiter includatur formalis conceptus sanitatis: & tunc dico, quòd huiusmodi conceptus sunt formaliter diuersi in illis, de quibus dicuntur. Nam causatiuum sanitatis est formaliter in diæta, vel in tali potione, vel herba; significatiuum in vrina est. Et hi conceptus formaliter diuersi ordinantur ad istum conceptum sanitatis, qui est æqualitas, vel proportio humorum, quæ vt sic formaliter est solùm in animali.

Ita etiam Antonius Andreas 4. Metaphysic. q. 1. respondendo ad primum; vbi paucis repetens, & complectens ea quæ variis in locis docuerat præceptor eius de hac re; hæc habet. *Ad illud quarti Metaphysic. de sano &c. Dico quòd Philosophus 4. Metaphysic. concedit ordinem essentialem inter species eiusdem generis. Nam ibi vult quòd in quolibet genere, est vnum primum, quod est mensura omnium aliorum; mensurata autem habent ordinem essentialem ad mensuram: & tamen nonobstante tali attributione, nullus negat conceptum generis esse vnum, quia prædicatur in quid de pluribus differentibus specie. Si enim genus non haberet vnum conceptum alium à conceptibus specierum, nullus conceptus diceretur in quid de pluribus, sed quilibet de seipso, & sic idem prædicaretur de eodem, & non genus de specie. Confirmatur, quia Philosophus 7. Physic. vt iam allegatum est, dicit quòd in generibus latent æquiuocationes, propter quod non potest esse comparatio secundùm genus: Non tamen est ibi æquiuocatio in genere, quantùm ad Logicum; sed quantùm ad realem Physicum, quia non est ibi vnitas naturæ. Omnes ergo authoritates quæ essent de hac materia, siue in Metaphysica, siue in Physica, possent exponi propter diuersitatem realem illorum in quibus est attributio: cum qua diuersitate, stat vnitas conceptus abstrahibilis ab eis; sicut patet de genere. Concedo ergo quòd accidens habet essentialem attributionem ad substantiam, & per consequens quòd ens est analogum ad ea; & tamen ab hoc & ab illo potest abstrahi vnus conceptus communis vniuocus. Nam analogia realis & vniuocatio Metaphysicalis realiter non repugnant in eodem conceptu.* Et paulò infrà, respondendo ad secundum; dicit inter substantiam & accidens, esse analogiam secundum perfectius & imperfectius, cum qua tamen stat vera vniuocatio.

Qualis sit analogia Entis, nimirùm attributionis, & non proportionalitatis solùm.

Ex his omnibus habemus non modò certam entis analogiam, sed etiam qualis sit, & in quo consistat. Cùm enim doceat Scotus noster solam vnitatem attributionis, non ponere vnitatem vniuocationis, neque illam esse hanc formaliter; vtrumque tamen posse simul consistere; satis indicat analogiam Entis non esse tantùm analogiam proportionalitatis, sed analogiam attributionis. Quamuis enim dici posset entitatem diuinam ita se habere ad existentiam diuinam, sicut entitas creata ad existentiam creatam; & substantiam ita se habere ad subsistentiam, sicut se habet accidens ad inhærentiam: vnde haberi fortè posset aliqua analogia proportionalitatis: Tamen alia strictior analogia, nimirum attributionis, poni solet inter ista analogata. Consistit autem hæc analogia non in attributione plurium ad vnum, idest, Dei & creaturæ, v. g. ad aliquod tertium: quia nihil potest excogitari prius Deo, & creatura; vt per ordinem ad illud, tàm Deus, quàm creatura dicantur entia; sed in attributione vnius ad alterum: Non quidem Dei, ad creaturam, sed è conuerso creaturæ ad Deum: Non quòd creatura sit ens tantùm per habitudinem extrinsecam ad Deum: sed quia habet essentialem habitudinem, seu dependentiam, à Deo. Et hoc est contra Fonsecam, loco superiùs citato, docentem creaturas, quatenùs dicuntur entia per attributionem ad Deum, appellari entia denominatione extrinsecâ, ab entitate diuina: At quatenùs dicuntur entia secundùm proportionem, esse ac dici entia à propriis entitatibus. Quæ sententia ex eo videtur improbabilis, quia seclusâ omni analogiâ proportionalitatis, & solâ manente analogiâ attributionis; semper creatura esset ens, saltem formaliter, per propriam entitatem, & non per entitatem diuinam: Et ex eo tantùm diceretur habere analogiam attributionis ad Deum, vt reuera dicitur, vel quia Deus est ens in infinitum perfectius quàm sit creatura, vel quia creatura dependet à Deo in genere causæ exemplaris, efficientis, & finalis. Quod sufficit quidem ad constituendam analogiam aliquam dependentiæ; non autem ad constituendam analogiam extrinsecæ denominationis vnius ab altero. Quòd si contingat creaturam non fore ampliùs, ablato Deo per impossibile; hoc non fieret, quòd Deus sit formalis entitas creaturæ; sed quia creatura ita dependet à Deo, vt nec fieri, nec conseruari possit sine eo.

Non est analogia attributionis in Ente, pluriũ ad vnũ; sed vnius ad alterũ.

Ista attributio non est per extrinsecam denominationem vnius ab altero, contra Fonsecam.

Neque contra hoc obstat, quòd nomen Entis interdum attribuatur Deo, vt illi singulare & proprium, Exod. 3. & quòd *omnes gentes sic sint coram eo, quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputentur ei.* Hæc enim non dicuntur, quasi creaturæ non sint verè ac propriè Entia; Sed quòd infinitè distent à Deo, quodque Deus singulari & excellenti quodam modo sit id quod est, & fons totius esse, à quo habent cæ-

tera vt sint, quemadmodum notarunt D. Hieron. in illud Ephes. 3. *ex quo omnis paternitas in cælo, & terra nominatur.* & quidam alij.

Ista tota Doctrina est etiam applicanda Enti, vt respicit substantiam & accidens. Est enim analogum ad illa, simili ratione analogiæ, quâ dictum est esse analogum ad Deum & creaturas, nimirum analogiâ dependentię vnius ab altero; non autem analogiâ extrinsecæ denominationis vnius ab altero. Cùm enim substantia & accidens non habeant attributionem ad aliquod tertium, sed habeant attributionem vnius ad alterum; non quidem substantiæ ad accidens; sed è conuerso, accidentis ad substantiam: attributio illa non in eo consistit, quòd accidens dicatur tantùm Ens per denominationem extrinsecam à substantia; sed quia in existendo ita dependet à substantia, tanquam à proprio subiecto, vt extra ipsam, nequaquam possit existere naturaliter. Quò fit vt dixerit Aristoteles accidens non esse Ens, nisi quia Entis; est enim Ens Entis, scilicet substantiæ; quia non existit nisi in Ente, nimirum in substantia: Non verò quia per habitudinem ad substantiam tantùm, sit aut dicatur Ens formaliter. Et hoc est contra Ægidium, & quosdam alios apud Fonsecam 4. Metaphysic. capite secundo, quæst. 1. sect. 7.

Tertia Conclusio.

Ens est etiam Vniuocum ad Deum & creaturas; ad substantiam & ad accidens. Conclusio est Doctoris Subtilis multis in locis, sed præsertim in 1. dist. 3. quæst. 1. & 3. & dist. 8. quæst. 2. Anthonij Andreæ 4. Metaphysic. qu. 1. Nostrorum Nominalium, & omnium authorum nostræ Scholæ: Item quorundam acutissimorum Professorum Parisiensium. Et ab hac non dissentit reipsa Suarez, vt constat ex tom: 2. Metaphysic. disp. 28. sect. 3. num. 17. circa finem, vbi hæc habet: *Quanquam, vt verum fatear, inter eos qui admittunt vnum conceptum cōfusum Entis, vix potest esse in hac quæstione dissensio de re, sed de modo loquendi: Nam sine dubio habet Ens magnam similitudinem cum terminis vniuocis, cùm medio vno conceptu absolutè, & sine addito, de Deo, & creatura prædicetur; quam solam conuenientiam considerarunt, qui illud vniuocum appellarunt.*

Ens est vniuocum.

Subtilissimi domini de Raconsiis in sua Logica, & in sua Metaphysica: Domini Fitard, & aliorũ.

Colligitur autem veritas huius conclusionis euidentissimè ex duabus præcedentibus quæstionibus, & ex præiactis, ad hanc quæstionem, fundamentis. Nam si Ens habet vnum conceptum præcisum à suis inferioribus, importatum per hoc nomen, Ens; quantuncumque per prius descendat in vnum suorum inferiorum, quàm in aliud; hoc tamen non poterit vniuocationem eius impedire. Sufficit enim ad rationem veri & proprij vniuoci, quòd nomen

men eius sit multis commune, & ratio, secundum illud nomen, vna & eadem. Nec ad veram vniuocationem plura desiderauit Aristoteles in Antepraedicamentis.

Probatur tamen insuper conclusio 1. Authoritate Aristotelis 2. Metaphysic. cap. 2. circa finem, quam refert & examinat optimè Doctor Subtilis in 1. dist. 8. qu. 2. *Principia sempiternorum sunt verissima,* inquit Arist. *Quia vnumquodque illud prae caeteris maximè tale est, secundum quod alijs vniuocatio inest.* Quibus verbis sic intendit argumentari Philosophus. Vnumquodque illud prae caeteris maximè tale est, secundum quod alijs inest vniuocatio. Sed per principia sempiterna, alijs inest vniuocatio veritatis, seu veritas dicitur de alijs vniuocè. Ergo maximè ipsa principia erunt vera. Ex ista autem maxima potest & hoc subsumi. Sed Deus est aliis Entitatis vniuocatio. Ergo Deus maximè est Ens. Nam vt ratio Aristotelis concludat; oportet id quod est causa, & ea quibus est causa, conuenire vniuocè in eo, ratione cuius, illud dicitur alijs causa; Aliàs si conueniunt tantùm aequiuocè, vel analogicè non vniuocè; argumentum eius habebit quatuor terminos, & nihil concludet. Adde quòd expressè habet Philosophus: *Per quod alijs inest vniuocatio*; Tùm quia affert exemplum de igne, qui ex eo est maximè calidus, quia alijs causa caloris existit; certum est autem ignem esse causam vniuocam caloris in alijs: Tùm denique quia id totum confirmat Commentator Comment. 4. 2. Metaphysic. Et haec omnia quidem si diligentiùs examinasset Caietanus de Ente & Essentia; non respondisset huic rationi, Ens vocari ab Aristotele vniuocum, per comparationē ad aequiuocum; in eo solùm quòd cùm sit analogum, ac proinde medium inter vniuocum & aequiuocum; per comparationem ad vnum extremorum, induat, inquit Caietanus, rationem alterius. Nam haec solutio non satisfacit: nihil enim concluderet Aristotelis ratio, & in ea essent quatuor termini, vt dictum est. Quia in Maiore loquitur de vera vniuocatione, & in minore loqueretur de analogia.

Probatur 2. conclusio: Omnis inquisitio Metaphysica de Deo, procedit sic; considerando scilicet rationem formalem alicuius, & auferendo ab illa ratione formali, omnem imperfectionem; quam habet in creaturis, & reseruando illam rationem formalem, & attribuendo illi omninò summam perfectionem, & cum ista summa perfectione, applicando illam Deo. v. g. Ratio formalis sapientiae, vel intellectus, vel voluntatis consideratur primò in se, & secundùm se; & quia vt sic non includit formaliter imperfectionem aliquam, nec limitationem; remouentur ab ipsa imperfectiones illae quae concomitantur eam in creaturis, & reseruatâ eâdem ratione sapientiae & voluntatis vel intellectus, attribuuntur ista Deo perfectissimè. Ergo omnis inquisitio de Deo, supponit intellectum habere cōceptum eun-

dem vniuocum ijs quæ accipit ex creaturis, & ijs quæ attribuit Deo. Quòd si id negetur, & dicatur sufficere conceptum quendam Analogum: Contra istud est, inquit, Scotus; quia tunc non magis ex vnitate attributionis sapientiæ creatæ ad increatam, possemus concludere Deum esse sapientem, quàm Deum esse lapidem: quia sicut sapientia creata dicit attributionem ad sapientiam increatam: ita lapis creatus ad conceptum aliquem in Deo formatum; seu ad ideam, secundùm quam potest ad extra produci: Et sicut ex ratione sapientiæ, possumus concludere Deum esse sapientem: ita ex conceptu lapidis creati, possumus concludere quòd Deus sit lapis. Vel sicut ex conceptu lapidis, non possumus concludere Deum esse lapidem; ita nec ex ratione sapientiæ, quòd Deus sit sapiens.

Tertiò probatur conclusio. Ens non est vniuocum. Ergo Deus non potest à nobis naturaliter cognosci, aliquo conceptu simplici: sed consequens est manifestè falsum, & contra omnes Philosophos, & Theologos: Ergo antecedens non est verum. Probo consequentiam; quia nullum obiectum facit conceptum simplicem & proprium sui, in aliquo intellectu, & conceptum simplicem & proprium alterius obiecti, nisi contineat illud aliud obiectum essentialiter, vel virtualiter: Sed obiectum creatum relucens in phantasmate, vel in specie intelligibili, quod est obiectum nostri intellectus, pro isto statu, non continet aliquid increatum essentialiter, nec virtualiter, seclusâ vniuocatione Dei; & creaturæ in Ente: Ergo nullum obiectum creatum potest causare conceptum simplicem de Deo, in nostro intellectu, seclusâ vniuocatione Entis: Ergo si Ens non est vniuocum; sub nullo simplici conceptu possumus Deũ intelligere. Maior huius syllogismi videtur vera; & confirmari potest exemplo hominis v. g. qui causat cognitionem sui, & omnium quæ includuntur essentialiter in eo, & propriarum passionum, quas continet virtualiter; & prætereà nullius rei cognitionem simplicem & propriam producit, quia nihil aliud continet essentialiter, vel virtualiter, Minor verò ostenditur. Imprimis, seclusâ vniuocatione Entis, vel alterius prædicati, obiectum creatum non continet essentialiter aliquid increatum, vt patet, nec aliquid dictum de Deo, quia nihil idem essentiale includitur essentialiter in Deo, & creatura, vniuocatione omnis conceptus seclusâ. Item obiectum creatum non continet essentialiter increatum secundùm aliquid omninò sibi proprium: Ergo non facit conceptum simplicem, & proprium Entis increati. Nec continet obiectum creatum obiectum increatum virtualiter, quia contra rationem posterioris essentialiter est, continere virtualiter suum prius: quia posterius essentialiter non potest esse causa prioris essentialiter, Ergo sequitur, quòd nullum obiectum creatum potest causare conceptum simpli-

cem de Deo, seclusâ vniuocatione; quia conceptus non vniuocus Deo & creaturis, nec essentialiter, nec virtualiter continetur in obiecto creato.

Caietanus in primam partem D. Thom. q. 13. art. 5. & alibi, negat consequutionem argumenti, & ad probationem dicit, quòd aliquid continere virtualiter aliud, potest intelligi duobus modis: vno modo sicut causa virtute suâ continet effectum: alio modo, sicut effectus continet virtutem causæ participando illam: Hoc stante, inquit Caiet. Minor est falsa; quia effectus quilibet virtualiter continet secundo modo Deum: nec oportet, inquit, quòd continens isto modo sit prius, imò necessariò est posterius. Quòd si mihi dixeris, inquit Caiet. quòd hoc est abuti vocabulis; quia apud omnes, continere virtualiter, non attribuitur nisi causæ. Dico quòd si fiat vis in verbo, falsa est Maior, eo quòd datur triplex modus continendi, scilicet essentialiter, virtualiter, & participatiuè, quo posteriori modo effectus continet in se causam. Hæc Caiet.

Responsio hæc non satisfacit argumento; nam ex eo quòd effectus participet causam, non sequitur ex ipso concludi posse aliquid proprium formaliter conuenire ipsi causæ, sed ad summũ, effectum talem esse à tali causa; at ex creaturis concludimus aliquid esse in Deo formaliter: Ergo non tantùm creatura conuenit cum Deo participatiuè; sed in quadam similitudine fundata in aliqua ratione vniuoca, virtute cuius concluditur aliquid de Deo quidditatiuè, & formaliter. Vno verbo: ad concludendum aliquid formaliter de Deo, non sufficit vnitas proportionis, sed vnitas similitudinis, vt loquitur Scotus.

Seruatâ proportione, ratiocinationes istæ fieri possunt de substantia & accidente, vt conueniunt in Ente; nam Substantia non immutat immediatè intellectum nostrum, ad aliquam intellectionem sui; sed solùm accidens sensibile: vnde sequitur quòd si intellectus noster habeat aliquem conceptum quidditatiuum de substantia; conceptus ille habeatur per cognitionem accidentis: at nullus alius conceptus ab accidente potest abstrahi, qui conueniat substantiæ simul cum accidente, nisi conceptus Entis: Ergo si Ens non sit vniuocum, nullus conceptus vniuocus & quidditatiuus habebitur de Substantia, qui explicet & ingrediatur rationem substantię. Substantiam autẽ non immutare sensum nostrum immediatè, sed solùm accidens sensibile, probat Scotus noster in 1. d. 3. qu. 3. *Quia*, inquit, *quicquid præsentiâ sua immutat intellectum*; absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu, quando sensus nõ immutatur, vt constat ex secundo de anima, vbi dicitur visum esse tenebrarum perceptiuum, quando scilicet lux non est pręsens, & visus actu non immutatur. Igitur si intellectus naturaliter immutatur à sustantia immediatè, ad actum aliquem circa ipsam eliciendum; sequitur quòd Substantia non præsente,

posset naturaliter cognosci ipsam non esse præsentem; & ita naturaliter posset cognosci non esse substantiam panis in hostia Altaris consecrata, quod est manifestè falsum. De hac re videndus est Doctor in 1.dist.22. q. vnica, & Faber Fauentinus in Philosophia naturali, Theoremate 89. cap. vnico.

Probari tandem potest conclusio confutatione rationum, quibus aliqui probare nituntur ens esse analogum non vniuocum, ad Deum & creaturas, ad substantiam & ad accidens: ex eo siquidem existimant non esse vniuocum: quia quantumuis ens ipsum abstractè & confusè sit conceptum; tamen ex vi sua postulat hunc ordinem, vt primò, ac per se, & quasi completè competat Deo, & per illud descendat ad reliqua, quibus non insit nisi cum habitudine & dependentia à Deo. Ergo in hoc deficit à ratione vniuoci: nam vniuocum ex se ita est indifferens, vt æqualiter, & sine vllo ordine, vel habitudine vnius ad alterum, ad inferiora descendat. Vnde ens respectu Dei & creaturarum, meritò ab illis inter analoga computatur. Ita Suarez tom. 2. Metaph. disp. 28. sect. 3. numero 17. & disput. 32. sect. 2. num. 15. quo posteriore loco docet in hoc differre vnitatem conceptus entis, ab vnitate generis, quòd genus licet in speciebus sit inæqualiter perfectum ratione inæqualium differentiarum, ex quo dici solet physicè, aut secundùm rem, esse æquiuocum seu analogum; tamen secundùm se sumptum non solùm abstrahat ab illa inæqualitate, sed etiam ab omni ordine vnius ad alterum; quia non descendit ad vnam speciem mediante alterâ, aut per habitudinem ad alteram; & ideò metaphysicè est perfectè vniuocum; secùs verò est de ente propter contrariam rationem. Accedit etiam quòd inæqualitas generis, prout existit in speciebus, prouenit solùm ex differentijs contrahentibus, quæ formaliter ac præcisè genus ipsum non includunt, solúmque consistit in diuersis gradibus perfectionis; at verò illi modi quibus ens creatum determinatur ad esse substãtię vel accidentis, intrinsecè includunt ipsum ens: & ideò dicitur ens quodam modo ex se habere illam inæqualitatem, quam habet in substantia & accidente; quæ etiam non consistit in qualicumque diuersitate perfectionis, sed in participatione adeò diuersa, vt in substantia sit absolutè & simpliciter; in accidente verò solùm diminutè, & per habitudinem ad substantiam.

Sed vel hæ rationes non militant contra nos, vel etiam militant aduersus ipsum. Nam vel tantùm probant inæqualitatem inferiorum entis, & ordinem, quo per prius descendit ad vnum, quàm ad aliud, & dependentiam vnius ab altero, putà creaturæ à Deo, & accidentis à substantia, seruatâ vnitate conceptus obiectiui entis: vel destruunt vnitatem conceptus obiectiui entis. Si primum, vt res habere debet in sententia eius; nihil contra nos: quia istam analogiam ordinis & dependentiæ admittimus: sed credimus illam

posse cum vniuocatione consistere: quandoquidē æquiuocatio Physica, & vniuocatio Metaphysica simul stant in natura generica. Nec est quòd dicat vnitatem entis, aliam esse ab vnitate generis: scimus namque illam esse hac longè minorem, & imperfectiorem; imò esse omnium vnitatum minimam & imperfectissimam: Hoc tamen non destruit vniuocationem; sed ad summum efficit illam esse omnium vniuocationum minimam, & in quartò vniuocationis gradu: ad quam vniuocationem sufficere præmonuimus vnitatem conceptus obiectiui communis suis inferioribus, licet absit vnitas modi essendi, & ordinis essentialis, & gradus perfectionis. Si secundum dicatur, quemadmodum reuera videtur hîc Suarez contra sua principia sentire; iam militat aduersus seipsum; & ad hoc dicimus inæqualitatem inferiorum entis, non esse formaliter in ente ipso, sed tantùm permissiuè. Ex eo enim existimo in sententia nostra, ens esse minimum omnium vniuocorum; non quòd in se sit actu diuisum, & multiplex, & inæquale: sed quia permittit se cum pluribus vagari. Et licet differentia sit inter modos entis, & differentias generis; quòd modi sint in ente, differentiæ verò sint extra genus: Hoc tamen ita non debet intelligi, quasi modi entis sint de ratione formali eius, vt inferiùs dicemus: sed quia non distinguuntur ab ente, sicut realitas à realitate, sed tantùm sicut modus à realitate: differentiæ verò distinguuntur à genere, sicut realitas à realitate: quod non obstat quò minùs ens in se absoluatur à suis modis, sicut genus absoluitur à suis differentiis, vt dicatur esse vnum & vniuocum ad sua inferiora. Quòd si quis mordicùs vellet ordinem & dependentiam vnius inferioris ab alio, destruere vniuocationem, iam esset disceptatio de nomine. Adde quòd in ea sententia, vix aliud esset vniuocum, quàm species athoma: quia in genere datur etiam dependentia, scilicet specierum mensuratarum ad speciem mensurantem: cùm in quolibet genere sit semper aliquod primum, quod est cæterorum mensura. Doctissimus Dominus de Raconis tract. 2. de Categ. disput. 2. sect. 1. q. 2. art. 2. proposit. 1. subtiliter ostendit conditionem illam, vt scilicet gradus communis synonymus conueniat inferioribus, absque vllo ordine & dependentia vnius ab altero, non requiri ad synonymiam, exemplo habitus qui dependet à naturali facultate in qua insidet, qualitate manente vniuocâ & synonymâ ad habitum & ad naturalem facultatem.

Triginta circiter varia argumenta legi, quæ hanc conclusionem videntur impugnare; sed eorum aliqua solam analogiam probant, & vniuocationem non tangunt, vt sunt authoritates quædam Aristotelis; & illæ nostrum intentum potius demonstrant, quàm impugnent. Alia directè impugnant entis vnitatem, & eorum solutio patet ex dictis, duabus præcedentibus quæstionibus. Alia speciatim tangunt

difficultatem illam de ratione quâ ens determinatur ad sua inferiora, & quomodo contrahi possit per rationes quæ sint etiam formaliter entia; & eorum solutio pendet ex dicendis, duabus sequentibus quæstionibus. Alia denique destruere nituntur vniuocationem, propter istam inæqualitatem, dependentiam, & ordinem inferiorum entis; & eorum solutio patet ex hac vltima ratione. Potiora, & specialem difficultatem habentia solùm subiiciam; & primò quidem ea quæ spectant ad ens in communi. Secundò ea, quæ spectant ad ens, vt est indifferens ad Deum & creaturas. Tertiò denique ea quæ tangunt ens vt indifferens ad substantiam & ad accidens.

Obiectio 1. Obiicitur ergo 1. ex Aristot. 3. Metaphysic. text. 10. Ens non est genus. Ergo simpliciter non est vniuocum. Antecedens ex eo probatur ab Aristotele, quia si ens esset genus, differentia non esset ens: nullum enim genus prædicatur de suis differentiis; atque adeò falsum esset dicere differentias entis esse entia. Consequentia probatur. Si ens sit vniuocum, non potest esse aliud vniuersale, aut prædicabile quàm genus: Nec enim est species, nec differentia, nec proprium, nec accidens. Ergo si non sit genus, nec erit vniuocum.

Solutio. Respondetur concesso antecedente; negando consequentiam. Nam Aristoteles ex probatione quâ probat ens non esse genus, potiùs confirmat, quàm infirmet nostram conclusionem: Non enim negat ens esse genus, quia non sit vniuocum; sed quia, inquit, prædicatur propter suam communitatem, de suis differentiis: nullum autem genus dicitur de suis differentijs. Quomodo autem ens dicatur de differentijs, & de quibus dicatur, & de quibus non dicatur, dicemus sequente quæstione. Addit ad hæc Doctor Subtilis negari posse rationem antecedentis, saluâ etiam authoritate Aristotelis: quia eò loci facit argumenta in vtramque partem oppositam: vnde non concludunt omnia argumenta eius: quia duo opposita non possunt concludi, nisi alterum argumentum sit sophisticum. Quod rectè ponderauit eius commentator, dicens quòd in primo argumento Aristotelis ad primam quæstionem disputatam, est fallacia consequentis. Habet enim Aristoteles: Si contraria pertinent ad eandem scientiam. Ergo non contraria non pertinent ad eandem scientiam. Hæc enim consequentia non valet; sicut nec ista: Si homo currit: Ergo non homo non currit. Canis enim est non homo, & tamen potest dici quòd canis currit. Similiter dici posset hanc consequentiam non valere, quam eò loci facit Aristoteles. Quare si vnum est genus, aut ens etiam est genus: nulla differentia erit vnum, aut ens. Nam, inquit Scotus, aut Aristoteles intendit inferre nullam differentiam esse ens vel vnum per se primo modo; & sic conclusio non est inconueniens de vno, licet in sententia Aristotelis esset inconueniens de ente. Quia licet oporteat differentiam esse ens per se primo modo; non tamen oportet esse vnum per se

Quare ens non sit genus secundùm Aristotelem.

primo modo: poteſt enim eſſe vna vnitate alterius. Aut intendit inferre negatiuam abſolutè, ſcilicet quòd differentia nullo modo ſit ens; & tunc non valet conſequentia. Non enim ſi rationale eſt differentia reſpectu animalis, ſequitur quòd rationale non eſt animal, ſed quòd non eſt per ſe primo modo animal. Hæc ſanè ſunt præclara pro intelligentia mentis Ariſtotelis. Siſtendum eſt tamen in priore ſolutione. Ad confirmationem autem conſequentiæ negatæ, dicendum non omne vniuocum eſſe genus, vel ſpeciem, vel differētiam, vel proprium, vel accidens: ſed ſolùm vniuocum prædicamentale, non tranſcendentale; cuiuſmodi eſt ens.

Obiectio 2. Obiicitur 2. quia Parmenides & Meliſſus dicebant omnia eſſe vnum ens: ideò Ariſtoteles 1. Phyſic. text. 13. ponit hoc principium, *Ens multipliciter dicitur.* Ex quo ſic arguit contra ipſos. Ens multipliciter dicitur, ita vt entis aliud ſit aër, aliud aqua, aliud ignis, &c. Ergo ſi omnia ſint vnum ens, aut erunt hoc vnum ens, aut illud, ſcilicet aut aër, aut aqua, aut aliud. At iſta conſequentia Ariſtotelis non valeret, ſi ens eſſet vniuocum: ſicut quia homo eſt vniuocus, iſta non valet: Omnis homo eſt vnus homo. Ergo vel iſte vnus homo, vel ille vnus homo. Ergo ens non eſt vniuocum.

Solutio. Quomodo ens dicatur multipliciter. Reſpondetur quòd ad deſtruendam illam opinionem Parmenidis & Meliſſi; non oportet vt ens dicatur multipliciter, ideſt æquiuocè; ſed ſufficit quòd dicatur multipliciter, ideſt de multis, ad inquirendum de quo illorum intelligant omnia eſſe vnum: ſicut ſi qui dicerent omnia eſſe vnum animal; eſſet animal diſtinguendum, & quærendum de quo animali id dicerent, an ſcilicet omnia eſſent vnum hominē, vel vnum equum, vel vnum leonem. Ita Philoſophus arguit contra Parmenidem & Meliſſum. Dicebant enim omnia eſſe vnum ens. Contra quod ſic arguit: Ens dicitur multipliciter, ſcilicet de aqua, aëre, & aliis. Ergo vel omnia ſunt vnus aër, vel vna aqua, vel aliud. Cùm ergo dicitur in minore, quòd iſta conſequentia non valeret, ſi ens eſſet vniuocum; negandum eſt: quia cum iſta conſequentia Ariſtotelis, valde benè ſtat vniuocatio entis. Siquidem fatendum eſt quòd ſi Parmenides & Meliſſus voluiſſent omnia eſſe vnum ens confuſum & indeterminatum, nulla eſſet conſequentia Ariſtotelis, ſed peccaret fallaciâ conſequentis. Non enim valet conſequentia formaliter, deſcendendo à prædicato tantùm confuſè accepto, ad particularia determinata. Vt ſi quis diceret: ſubſtantia corporea eſt animal. Ergo eſt homo, vel equus: quia hoc prædicatum, animal, eſt confuſum & indeterminatum in illa propoſitione, & non ſtat determinatè vel pro equo, vel pro homine. Quia tamen illi volebant omnia eſſe vnum ens determinatè: ideò optimè infert Philoſophus: Omnia ſunt vnum ens determinatè. Ergo vel hoc vnum ens, vel illud.

Obiectio 3. Obiicitur 3. Illud omne quod eſt vniuocum, aliter definitur definitione rei, quàm definitione

vocis & nominis. At definitio rationis entis, & definitio nominis eiusdem, sunt vna & eadem: Si quæras enim quid ens significet? respondebitur significare id quod est in rerum natura. Si quæras quid rei? illud idem respondebitur. Ergo ens non est vniuocum.

Solutio. Respondetur negando maiorem. Contingit enim aliqua definiri eodem modo definitione quid rei, & definitione quid nominis propter eorum maximam communitatem, & simplicem rationem: tunc enim sufficit nomen ad exprimendam illam rationem maximè generalem & simplicem. Quod quidem non in ente modò, sed & in generibus generalissimis fieri cernimus. Nam & definitione quid rei, & definitione quid nominis definitur substantia: v. g. id quod subsistit, & quantitas secundùm quam aliquid dicitur quantum.

Obiectio 4. Obiicitur ex D. Thoma specialiter contra vniuocationem entis ad Deum & creaturas. Quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen vtrique commune non dicitur vniuocè, sed analogicè de illis: sed creaturæ sunt effectus Dei qui non adæquant virtutem eius. Ergo non sunt vniuocè, sed analogicè entia cum Deo. Maior probatur. Nam quando effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit similitudinem eius secundùm eandem rationem. Ergo nec potest habere nomen vniuocum; cùm illud sit huiusmodi quod secundùm eandem rationem dicitur.

Solutio. Respondetur maiorem esse veram, quando effectus in nulla planè ratione adæquat virtutem suæ causæ: esse autem falsam, si in aliqua saltem communissima ratione eam adæquet; maximè verò si secundùm eam communissimam rationem dicantur vniuocari. Licet autem creatura secundùm peculiarem rationem, non adæquet rationem suæ causæ; tamen secundùm communem rationem Entis adæquat. Quia nihil Entis vt sic, plus est in Deo, quàm in creatura. Quod enim dicit vnum gradum indiuisibilem (vt loquitur Dominus de Raconis) & non ex multis gradibus compositum, nihil magis habet in vno eorum in quibus est, quàm in aliis, sed totum est vbicumque est. Quia indiuisibile vt indiuisibile magis vel minus esse repugnat. Atqui Ens dicit vnum gradum indiuisibilem in se, & non ex multis gradibus compositum, aliàs deberet assignari aliquis gradus superior Ente, quo simul cum alio inferiori componeretur. Ergo Ens vt sic, nihil magis habet in Deo, quàm in creaturis.

Obiectio 5. Obijcitur 5. Illis quæ sunt totaliter & immediatè sub extremis contradictionis, nihil est commune vniuocum. Deus & creatura sunt omninò, & immediatè sub extremis contradictionis, scilicet sub dependere, & non dependere: quia Deus non dependet, creatura dependet; sub causato, & non causato, esse ab alio, & non ab alio. Ergo nihil eis est commune vniuocum.

Solutio. Respondet Doctor Subtilis ad illud

illud argumentum, quod est Henrici, quod vel minor intelligit Deum & creaturas esse ipsamet extrema contradictionis; & tunc falsa est: quia Deus non est sola negatio dependentiæ, aut creatura sola negatio necesse esse. Vel intelligit Deum & creaturas esse Entia, quibus competit ista contradictio; & tunc concessâ minore, dicit esse falsam maiorem. Nam id est commune omnibus membris diuidentibus aliquod superius; quòd illis semper conueniant extrema contradictionis, vt rationale, & irrationale, vel non rationale; nec minus propter hoc, definit ratio communis esse illis vniuoca.

Obiectio 6. Obijcitur 6. contra vniuocationem Entis ad substantiam & ad accidens. Si accidens esset Ens vniuocè cum substantia, non definiretur per substantiam contra Arist. 7. Metaph. cap. 1. Sequela patet. Quia quæ vniuocè conueniunt in aliqua ratione, conueniunt in eadem definitione, & ideò non potest vnum per aliud definiri.

Solutio Respondeo negando sequelam antecedentis, & ad probationem eius dicendo, ea quæ cõueniunt in aliqua ratione communi, conuenire quoque in eadem definitione communi eius in quo conueniunt, & cum hoc posse vnum definiri per aliud, cùm descenditur ad proprias definitiones, maximè si ea quæ conueniunt vniuocè, habeant etiam analogiam ad inuicem, cuiusmodi sunt substantia & accidens, quæ conueniunt quidem in definitione Entis. Sicut enim substantia est id quod est, vel quod potest esse in rerum nanatura: Ita accidens est id quod est, vel quod potest esse in rerum natura: & in ista communissima definitione vnum non definitur per aliud. Cùm tamen descenditur ad proprias rationes, ratione analogiæ ordinis, & dependentiæ, quam habet accidens à substantia in existendo, definitur accidens per substantiam, non tanquam per aliquid sibi intrinsecum & essentiale, sed tanquam per aliquid extrinsecum, quo tamen dependet, & in existere, & in euidentiùs cognosci, saltem respectu nostri.

Objicitur 7. Si Ens est vniuocum substantiæ & accidenti, poni poterit in eorum definitionibus. At hoc est contra Aristotelem 8. Metaphysic. & contra communem vsum Philosophorum. Ergo Ens non est vniuocum. Hoc argumentum est Caietani alioqui subtilissimi; non tamen multùm vrget. Nam admittimus sequelam maioris: potest enim definiri substantia Ens per se, & accidens Ens in alio. Neque hoc est contra Aristotelem, & communem Philosophorum vsum; qui negant solummodò Ens non debere poni in definitionibus substantiarum & accidentium determinatorum, constantibus proprio genere & propriâ differentiâ; non verò in definitionibus substantiæ & accidentis in se. Quòd si vrgeat Caietanus, vt reuera vrget, debere quoque Obiectio 7. Solutio

poni Ens, si sit vniuocum, in definitionibus substantiarum & accidentium determinatorum, putà hominis & albedinis; negabimus primò, quia id est superuacaneum. Cùm enim res quælibet definitur, supponitur esse Ens. Nam quæstio quid est, supponit quæstionem an est. Deinde dicemus non esse inconueniens poni Ens in definitione hominis vel albedinis, vt illa definitio sit clarior & explicatior. Licet enim implicitè animal dicat corpus, & substantiam, & Ens: tamen si explicitè dixero hominem esse Ens, & substãtiam, & corpus, & viuens, &c. nullum erit inconueniens, nisi quia ista definitio esset nimis prolixa & morosa. Tertiò dicemus quòd si ratio illa valeret, nedum concluderet de Ente, sed de substantia, & de quocumque superiori vniuoco; & sic in definitione speciei specialissimæ, necesse esset ponere omnia genera superiora explicitè, quod tamen non fit, quia id est superfluum.

Quarta Conclusio.

Ens non est vniuocum vniuocatione Physicâ, sed Logicâ, & Metaphysicâ; & quidem in quarto gradu, qui est omnium minimus vniuocationis gradus. Hanc Doctrinam tradit ex Doctore Subtili Anthonius Andreas 4. Metaphysic. q. 1. §. *Quantum ad secundum.*

Prima pars ex eo probatur; quia vniuocatio Physica, vtpotè omnium strictissima, colligitur ex Arist. 7. Physic. reperiri tantùm in specie athoma, propter omnimodam vnitatem naturæ æqualiter ab induidinis participatæ. Ergo Ens non est vniuocum tali vniuocatione. Hinc patet nec esse vniuocum in primo vniuocationis gradu; quia primus vniuocationis gradus, & vniuocatio Physica idem sunt, vt constat ex 1. & 2. praniotatis.

Secunda pars probatur. Illud quod dicit aliquam vnam realitatem vel primam intentionem conceptam sub aliqua intentione Logica, est vniuocum vniuocatione Logicâ, sed Ens cõmuniter sumptum est huiusmodi. Ergo est vniuocum vniuocatione Logicâ. Maior patet ex definitione vniuocationis Logicæ superiùs allatæ. Minor etiam est euidens. Quia licet Ens communiter sumptum non concipiatur sub intentione generis, vel differentiæ, vel alicuius alterius intentionis secundæ in genere; concipi tamen potest sub intẽtione vniuersalis, quæ vtique est intentio secunda vel Logica.

Tertia pars probatur. Ad vniuocationem Metaphysicam sufficit vnitas naturæ alterius à natura specifica athoma, vel etiam vnitas conceptus realis abstrahibilis à multis, & prædicabilis de multis secundùm idem nomen, & eandem rationem. Sed ens habet talem vnitatem, vt iam sæpè probatum est. Ergo est vniuocum vniuocatione Metaphysicâ. Quia tamen in vniuocatione Metaphysicâ dantur gradus, vt dictum est superiùs; ens est vniuocum vniuocatione Metaphysicâ in quarto gradu, hoc est in eo gradu vniuocationis, ad quem sufficit vnitas conceptus obiectiui.

Quod tamen ita intelligas, vt non existimes ens ratione sui petere ordinem aliquem, aut dicere ex se inæqualitatem graduum perfectionis. Cùm enim sit simpliciter simplex, non potest admittere in se & ex se talem inæqualitatem; sed quia, nonobstante tali simplicitate, ens est communissimum, & permittit se cum pluribus vagari, & pluribus communicari; ideò permissiuè & non formaliter est intelligendus defectus ille vniuocationis in primo, secundo, vel tertio gradu, scilicet carentia perfectionis graduum, vel modi essendi, vel ordinis in descendendo ad sua inferiora.

Posset hîc dubitari an sint aliqua alia prædicata vel quidditatiua, vel denominatiua quæ dicantur de Deo, & de creaturis, de substantia, & de accidente vniuocè? Sed hoc non resoluimus modò, quia solùm huius prædicati quidditatiui, entis nimirum, vniuocationem nitimur astruere. Breuiter tamen respondere possumus affirmatiuè. Substantia enim v. g. quæ est prædicatum quidditatiuum, quatenus dicit id quod per se existit seu subsistit, dicitur de substantia infinita, & de substantia finita vniuocè; non tamen quatenus dicit id quod substat accidentibus, quippe sub qua ratione non est in Deo: quâ ratione fortè dixit D. Augustinus lib. 7. de Trinit. substantiam abusiuè dici de Deo; tum quia etiam substantia prout est genus generalissimum, non dicitur de Deo, quippe qui non nisi supersubstantialiter dicitur substantia vt loquitur D. Damascenus in Elementario, cap. 8. cùm eius substantia sit vltra substantiam, vt dicit Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 12. Item sapientia quæ est prædicatum denominatiuum, dicitur etiam vniuocè de sapientia increata, & de sapientia creata, prout dici vniuocè, idem est ac esse prædicatum vniuocum. Est enim nimis puerile ista duo distinguere, vt obseruat Scotus noster. Et huius dicti ratio est, quia, vt diximus prænotato tertio, denominatiuum non pugnat cum vniuoco, imò stare potest cum vniuoco. Hæc dicta sufficiant tanquam probabiliora de vniuocatione Entis ad substantiam & ad accidens, ad Deum & ad creaturas: quamuis ingenuè fatear eas tanquam nihilum reputari in conspectu eius qui est, qui erat, & qui in æternum erit.

QVÆSTIO NONA.

Quomodo ens dicatur de suis modis, de suis proprietatibus, & vltimus differentijs.



ADEÒ singularis est circa hanc quæstionem Doctoris Subtilis opinio, vt cum deserant & impugnent omnes tùm veteres, tùm moderni, demptis Antonio Andrea, Rada, Fauentino, & alijs paucis, qui adhuc nec inter se omninò conueniũt, nec sufficienter mentem eius explicant. Oritur autem hæc quæstio, & eius difficultas, ex supradictis de vniuocatione entis: Nam dato quòd ens sit vniuocum; dubitatur me-

ritò per quid determinetur ad sua inferiora? An scilicet per nihil, vel per aliquid? Et si per aliquid: quomodo id fieri poterit? Nam ens determinari per aliquid, est ens determinari per ens: est etiam aliquid determinari per aliquid; quia ens & aliquid conuertuntur. Repugnat autem ens determinari per ens, vel aliquid determinari per aliquid. Ergo repugnat ens determinari per aliquid. Non determinatur etiam per nihil. Ergo nullo modo determinatur. Ergo non est vniuocum. Quia autem huic difficultati existimatur communiter occurrisse Scotus, dicendo ens determinari per aliquid, quod non est aliquid, nec ens quidditatiuè, sed tantùm qualitatiuè & quasi per accidens; cùm etiam aliàs dixerit vltimas differentias, & proprias passiones entis non esse entia quidditatiuè, seu ens non prædicari de his omnibus, in quid: ideò omnes ipsum insequuntur tanquam inexpiabile quoddam facinus in philosophia patrauerit. Sic Thomistæ omnes, præsertim Caietanus de ente & essentia q. 3. & Soncinnas 4. Metaphysic. q. 19. Ex nostris Ioannes de Bassolis in 1. dist. 28. Guillelmus Ocham in 1. dist. 2. q. 9. Aureolus, & ex recentioribus Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 5. Et Fonseca 4. Metaphysic. cap. 2. q. 3. sect. 2. columnâ mihi tertiâ. Quamuis autem temerarium videretur anteponere cuiusdam priuati iudicium, tot grauium Authorum iudicio: Non videtur tamen etiam probabile tantum Doctorem, quem Scaliger meritò AnIMAM VERITATIS appellat, & qui, vt loquitur, & testatur Ocham, alios in subtilitate iudicij excellebat, adeò absurdè delirasse in hac sententia, quam toties repetiit & inculcauit, vt eam omninò improbabilem reliquerit; maximè cùm magna pars eorum qui ipsum impugnant, mentem eius non ceperint, & disputent in ipsum, ex falsis assumptis, & illi impositis fundamentis; inter quos videri poterunt Franciscus Suarez, & Fonseca locis citatis, viri aliàs profundissimi & eruditissimi, qui impugnantes id quod habet de variis rationibus, quibus ens prędicatur de differentiis vltimis, & non vltimis; dicunt nullas esse differentias non vltimas, quales eas assignat Scotus; quia ex Scoto, inquiunt, differentia non vltima ea est, quæ petitur à tota forma; nulla autem differentia, dicunt, petitur à tota forma. Ergo &c. Scotus autem nullibi dixit differentiam non vltimam peti à tota forma; licet fortè etiam hoc verum sit: vnde & in hoc, & in multis alijs, impugnatur ex falsis fundamentis.

Prænotandum itaque primò pro solutione huius quæstionis, latiùs patere, esse prædicatum vniuocum, quàm prædicari in quid. Quia quicquid prædicatur in quid de multis, secundùm idem nomen, & eandem rationem, est prædicatum vniuocum: sed non omne prædicatum vniuocum, prædicatur in quid; album enim v. g. est prædicatum vniuocum respectu niuis & lanæ; non prædicatur tamen in quid de illis. Et hoc est quod di-

citur cõmuniter aliud esse prædicari vniuocè, & aliud esse prædicatum vniuocũ. Nam prædicari in quid, est prædicari vniuocè. Quæritur itaque an ens respectu omnium planè intelligibilium, ac per consequens suorum modorum, vltimarum differentiarum, & proprietatum suarum, non modò sit prædicatum vniuocum, verumetiam prædicetur in quid, nec nec? Et si non prædicetur in quid, sed in quale; quid sit istud, prædicari in quale; seu quid sit, modos, differentias vltimas, & proprietates entis esse entia qualitatiua, non quidditatiua?

Prænotandum 2. aliud esse aliquid esse ens, & aliud esse entale (si hoc termino barbaro vti liceat.) Nam aliquid esse ens propriè, est non tantùm non esse nihil, sed est esse, vel posse esse in rerum naturâ: Ita vt verè dici possit id quod existit, vel quod potest existere. Aliquid autem esse entale licet sit esse extra nihil, non est tamen aliquid ita existere, vel posse existere, vt verè dici possit id quod existit, vel quod potest existere: Sed potiùs id quo aliud existit, vel id quo existens seu ens qualificatur, afficitur, vel vltimò clauditur, & terminatur. Nec istud absurdum videri debet, vt patet exemplo substantiæ & accidentis: licet enim omne ens sit substantia vel accidens; non tamen id omne quod non est accidens; ita est substantia, vt sit id quod propriè & per se existit vel subsistit, vt patet de modis, proprietatibus, & differentijs substantiæ, quæ vel qualificant, vel determinant, vel aliter afficiunt substantiam. Quod verò dicit Suarez nihil posse esse id quo ens qualificatur, nisi etiam sit id quod est, seu sit aliquid reale; videtur in solis verbis consistere; licet enim sit aliquid reale, quia non est nihil; non tamen quidquid non est nihil, est æqualiter id quod existit; vt patet exemplo substantiæ, & modorum substantialium: Proindeque, quemadmodum illud membrum entis quod opponitur accidenti, diuidi potest in substantiam & substantiale, comprehendendo tamen vtrumque illud, nomine substantiæ, per respectum ad accidens; ita id quod propriè opponitur nihilo, distribui potest in ens & entale, comprehendendo etiam ipsum vtrumque, nomine entis, per respectum ad nihil. Et quemadmodum non dicitur substantia prædicari in quid de substantiali; sed tantùm in quale: quia substantiale non tàm est substantia quidditatiua, quàm qualificatiua: Ita videtur ens non debere prædicari in quid de entali, sed in quale: quia entale non tàm est ens quidificans, quàm determinans, qualificans, & aliter afficiens.

Supposito autem quòd ens non dicatur in quid, de suis modis, de suis proprietatibus, & de differentiis vltimis: dubitari potest quomodo respectu eorum omnium entalium, sit prædicatum vniuocum? An scilicet quia, quemadmodum ens quidditatiuum est vniuocum ad omnia entia quidditatiua, ita ens qualitatiuum sit vniuocum ad omnia entia qualitatiua: vel an ens

quidditatiuum sit vniuocum in ordine ad entia qualitatiua: vel tertiò an ens in se, sit vniuocum ad ens quidditatiuum, & ens qualitatiuum, seu ad ens propriè & ad entale.

Prænotandum 3. prædicationum formalium, de quibus alibi, alias esse quidditatiuas, & alias qualitatiuas. Iterum quidditatiuarum, alias esse in quibus prædicatum hoc solùm habet, quòd sit de essentia subiecti, licet non prędicetur ad modum quidditatis; & alias in quibus non solùm prædicatum est de essentia subiecti; sed etiam enuntiatur de subiecto, ad modum quidditatis; hoc est, quando quæritur simpliciter, quid sit subiectum? respondetur esse illud prædicatum. Prioris generis sunt illæ, in quibus differentiæ essentiales prædicantur vel de speciebus, quarum sunt differentiæ, vel de inferioribus illarum specierum. Posterioris generis sunt illæ, in quibus genera de speciebus, & species de indiuiduis prædicantur; & hæ solùm propriè dicuntur quidditatiuæ, priores non sic. Item qualitatiuarum aliæ sunt, in quibus prædicatum quidem est de essentia subiecti, prædicantur tamen ad modum qualitatis: & hæ sunt eędem cum prioribus quidditatiuis, quæ proptereà dicuntur veriùs qualitatiuæ, quàm quidditatiuæ. Aliæ verò in quibus prædicatum est accidens, vel proprium, vel commune subiecto: & huius rationis sunt illæ, in quibus vel risibilitas, vel albedo enuntiatur de homine.

Prænotandum 4. ex Arist. 1. Post. cap. de statu principiorum, vt optimè obseruat Doctor Subtilis in 1. dist. 3. q. 3. §. *ad quæstionem igitur respondeo*. Quod prædicationes per se non conuertuntur; ita quòd si prędicatum dicatur de subiecto per se; non è conuerso dicetur subiectum de prędicato per se, sed per accidens: cuius rei rationem optimam affert noster Rada: Quia nimirum, inquit, subiectum includit causam formalem inhærentię prędicati: vnde sicut non datur circulus in dependentia essentiali, quantùm ad esse rei; ita non datur circulus in dependentia prædicatorum in subiecto, quantùm ad inhærentiam formalem prædicati ad subiectum. Si igitur subiectum includit causam formalem, ob quam prędicatum sibi inest per se, nullatenus prædicatum potest esse causa, ob quam subiectum sibi per se insit; aliàs daretur circulus in dependentijs essentialibus, quod implicare docet Scotus lib. de primo principio, cap. 1.

Prædicationes per se, non sunt conuertibiles.

In dependētijs essentialibus non datur circulus.

Prænotandum 5. in omni composito Metaphysico, duplicem reperiri gradum & conceptum; alterum determinabilem, alterum determinatiuum, quemadmodum in homine v. g. conceptus animalis est determinabilis, & conceptus rationalis, determinatiuus. Graduum autem seu rationum determinabilium, aliæ sunt vltimò determinabiles, & aliæ non vltimò determinabiles. Item rationum determinantium, aliæ sunt vltimò determinatiuæ, & aliæ non vltimò determinatiuæ. Rationes non vltimò determinabiles

Gradus alij determinabiles, alij determinatiui.

Determinabilium alij vltimò, alij non vltimò determinabiles: Sic determinatiuorum alij vltimò, alij non vltimò determinatiui.

eæ sunt, quibus datur alia ratio superiùs, vel vlteriùs determinabilis; vt sunt rationes omnium generum, quibus est superior & vlteriùs determinabilis ratio Entis. Ipsa autem ratio Entis est vltimò determinabilis; quia ipsâ nulla datur vlterior determinabilis. Similiter rationes non vltimò determinantes eæ sunt, quibus datur ratio vlteriùs determinans, vt sunt omnes rationes differentiarum intermediarum, quibus vlterior datur ratio determinatiua, scilicet ratio vltimæ differentiæ: Ipsa autem ratio vltimæ differentiæ est vltimò determinatiua, quia vltimo determinatiuo nihil datur vlterius determinatiuum. Est autem discrimen inter vtrasque istas rationes determinabiles, & vtrasque rationes determinatiuas; quòd rationes non vltimò determinabiles non sint tantùm & simpliciter determinabiles; Sed etiam habent aliquid determinatiui admixtum, vel ratione sui, vel ratione alterius sibi coniuncti, v. g. ratio substantiæ non est simpliciter & tantùm determinabilis per corporeum & incorporeum; sed habet aliquid determinatiui admixtum, scilicet subsistentiam vel perseitatem, per quam determinat Ens: Ratio verò vltimò determinabilis sit tantùm & simpliciter talis; ita vt nihil habeat determinatiui admixtum: Sic est ratio Entis, quæ cùm sit omnium suprema, nullius alterius poterit esse determinatiua, nec ratione sui, nec ratione alterius sibi coniuncti; atque adeò erit simpliciter & tantùm determinabilis. Similiter rationes non vltimò determinatiuæ non sunt tantùm & simpliciter determinatiuæ, sed habent etiam aliquid determinabilitatis admixtum, vel ratione sui, vel ratione alicuius sibi coniuncti; vt sunt rationes differentiarum intermediarum, quæ cùm sint determinatiuæ ex eo quòd sunt differentiæ, sunt etiã aliquo modo determinabiles per inferiores differentias, vel immediatè ratione sui, vel ratione totius quod constituunt; vt sensitiuum v. g. quod est determinabile per rationale, & irrationale, vel ratione sui immediatè, vel ratione animalis quod constituit: Aut enim dici potest, sensitiuum aliud esse rationale, aliud irrationale; vel saltem, animal aliud esse rationale, aliud esse irrationale. Ratio verò vltimò determinatiua est simpliciter, & tantùm determinatiua, ita vt nihil planè determinabilitatis admixtum habeat. Huiusmodi sunt rationes vltimarum differentiarum: Differentia enim vltima, quà vltima, non potest esse vllâ ratione vlteriùs determinabilis.

Ex his sequitur primò rationes non vltimò determinabiles, & determinatiuas, non esse conceptus simpliciter simplices; rationes verò vltimò determinabiles, & vltimò determinatiuas esse conceptus simpliciter simplices. Quia conceptus simpliciter simplex is est, qui non potest resolui in plures, quorum alter sit determinabilis, & alter determinatiuus: Solæ autem rationes vltimò determinabiles & vltimò determinatiuæ sunt huiusmodi,

vt patet; non autem rationes non vltimò determinabiles, & determinatiuæ. Nec valet quòd dicas solas rationes non vltimò determinabiles, non esse conceptus simpliciter simplices, vt sunt rationes generum, quas constat resolui in plures conceptus, quorum alter est potentialis & determinabilis, alter verò actualis & determinatiuus: Non verò rationes non vltimò determinatiuas, vt sunt rationes differentiarum intermediarum; quippe quas constat non posse resolui in plures conceptus, quorum alter sit determinabilis, alter determinatiuus; aliàs non essent amplius differentiæ, sed vel genera, vel species: Hoc inquam non valet: quia ad destruendam simplicitatem conceptus simpliciter de qua hîc loquimur, sufficit aliquid idem posse variis rationibus esse posse determinabile, & determinatiuum, quales ostendimus esse rationes differentiarum intermediarum. Sequitur secundò rationes vltimò determinabiles, & rationes vltimò determinantes, esse primò diuersas, quia vna nihil planè alterius includit.

Prænotandum vltimò, vt iam colligitur ex dictis, differentiarũ alias esse non vltimas, & alias vltimas; & quidem tàm hæ, quàm illę in hoc à genere distingũtur, quòd genus sumatur semper à parte essentiali, potentiali, & perfectibili; differentiæ verò sumantur ab alia parte essentiali, actuali & perfectiua; ita vt illud vnde sumitur genus, habeat rationem materiæ, & illud à quo sumitur differentia, rationem formæ, vt probat Doctor in 1. dist. 8. qu. 2. Ex Arist. 8. Metaphysic. cap. 9. dicente quòd oportet terminum, id est, definitionem, esse orationem longam, quia significat aliquid de aliquo, ita quòd oportet illud esse materiam, & illud formam. Aliquando verò contingit ea ex quibus desumuntur genus & differentia, esse alias & alias res; sicut fingendo v. g. plures formas in homine, animal desumitur à sensitiua, & rationale ab intellectiua; & tunc illa res à qua accipitur genus, verè est potentialis & perfectibilis ab illa re, à qua accipitur differentia. Quandoque autem contingit non esse alias & alias res, sed tantùm alias & alias formalitates, vel alios & alios conceptus reales eiusdem rei; quando, scilicet, species non addit rem aliquam supra naturam generis, vt in Angelis, & in accidentibus: & tunc formalitas, vnde sumitur genus, est etiam potentialis ad illam, à qua sumitur differentia. Non perficitur autem realiter ab ea, propter identitatem istarum rationum ad aliquod totum cui realiter primò sunt eadem, quod quidem totum primò producitur, & in ipso toto ambæ istæ formalitates producũtur: si tamen altera istarum sine alia produceretur, verè esset potentialis ad eam, & verè esset imperfecta sine ea. Ista autem compositio formalitatum vel realitatum distinctarum formaliter, quarum altera est potentialis, & alia actualis hoc modo, est minima quæ sufficit ad rationem generis & differentiæ

rentiæ. An verò genus & differentia accipiantur ità ab illis diuersis realitatibus, vel formalitatibus, vt tamen primò accipiantur à toto, ratione tantùm istarum formalitatum, aut realitatum; vel etiam primò & formaliter, & non solùm radicaliter accipiantur ab ijsdem realitatibus vel conceptibus realibus, nunc non determino.

Differentia vltima in hoc distinguitur à non vltima, quòd non vltima ita sumitur à forma, quocunque modo sumatur, vt non accipiatur ab vltima realitate, seu ab vltimo gradu Entitatis formæ: Differentia verò vltima præcisè accipiatur ab vltima perfectione, vltima realitate, seu vltimo gradu Entitatis formæ. Et hoc solùm discrimen ponit Scotus noster inter differentias non vltimas, & vltimas. Vnde satis mirari non possum viros alioqui graues non ponderasse, ne dicam non legisse, hanc Doctrinam apud Scotum. Non enim sumpsissent occasionem ipsum impugnandi ex fundamento ad libitum excogitato, & ei immeritò imposito, nimirum ex eo quòd dicant Scotum docere differentiam non vltimam accipi à tota forma. Nam vbicumque Scotus de hac re loquitur, nimirum in 1. dist. 3. q. 3. §. *contra istam vniuocationem*. Et in 2. dist. 3. q. 6. §. *Ad quæstionem ergo respondeo*, & alibi, dicit quidem differentiam non vltimam sumi à formâ, non autem à materiâ; & differentiam vltimá ita sumi à formâ, vt non quomodolibet ab ea sumatur, sed ab vltimo gradu Entitatis eius: nullibi autem dicit differentiam non vltimam sumi à tota forma. Nec etiam id dicere debuit pro explicatione & confirmatione suæ Doctrinæ. Ponendo enim vnicam animam in homine (vt res habet) non negaret Scotus differentiam viuentis peti à gradu vitæ, differentiam sensitiui peti à gradu sentiendi, & differentiam rationalis accipi à gradu intellectiuo. Nec inde sequitur, vt ipsi volunt, Ens non posse prædicari de huiusmodi differentijs, viuentis, sentientis, & alijs intermedijs in quid, si non prædicetur in quid, de vltimis. Cùm autem probant, quia ex Scoto, aiunt, Ens non prædicatur in quid de differentijs vltimis, quoniam sunt simpliciter simplices. At, dicunt, Differentiæ etiam intermediæ sunt simpliciter simplices: quia sumuntur à gradibus æquè simplicibus formæ, atque sumuntur differentiæ vltimæ. Ergo si Ens non prædicetur in quid de differentijs vltimis: non prædicabitur etiam in quid de differentijs intermedijs.

Respondeo ipsos non satis, meo iudicio, intellexisse in quo Scotus ponat rationem conceptus simpliciter simplicis, & conceptus non simpliciter simplicis. Hoc autem totum declaratum est præcedente prænotato; ex quo intelligi potest differentias intermedias, & non vltimas, à quocumque accipiantur, ex hoc solùm quia sunt non vltimæ, non posse esse simpliciter simplices, quia sunt determinatiuæ simul & determinabiles. Porrò non est quòd adeò laborent Scotistæ Solutio.

nostri ad inuestigandum quænam propriè differentia censeri debet vltima. Nam ex mente Scoti, ea sola est vltima, quæ solùm est vltimò determinatiua; & huius conditionis sunt omnes & solæ differentiæ indiuiduantes. Nam differentiæ specierum athomarum sunt determinabiles per differentias indiuiduales: vnde propriè dici non possunt vltimæ: nisi fortè dicatur eâ ratione esse vltimas, quia non sunt determinabiles per alias differentias specierum, & naturarum constitutiuas; quò fit vt aliqui ex nostris dicant differentias vltimas, alias esse vltimas vltimatæ specificationis, & alias vltimas vltimatæ determinationis. Sed hoc mihi non probatur. Quemadmodum enim genus summum non dicitur vltimò determinabile, licet sit natura propriè dicta vltimò determinabilis; quia datur ens vlteriùs determinabile: Ita differentia vltimò constitutiua naturæ, qualis est differentia speciei athomæ, dici non debet differentia simpliciter vltima, quia vltra ipsam datur alia vltimò omninò determinatiua, nimirum differentia indiuidualis. His positis, sit

Prima Conclusio.

ENs est vniuocum ad omnia planè entia tàm quidditatiua, quàm qualitatiua. Conclusio est Doctoris Subtilis in 1. dist. 3. q. 3. & alibi passim, estque probata superiùs: & ad hoc videtur efficax ratio desumpta ex simplicitate & indiuisibilitate entis, quia ens vbicumque est, ibi totum est. Nec valet si dicatur rationes entis quidditatiui, & entis qualitatiui esse diuersas, & rationem entis qualitatiui habere analogiam ad ens quidditatiuum; illa siquidem diuersitas & analogia non tollit vniuocationem, quippè quæ secum patitur vnitatem conceptus entis, qui consistit in hoc præcisè, quòd non sit nihil, aut aliquid fictum, sed sit aliquid reale. At verò tàm ens qualitatiuum, quàm ens quidditatiuum est aliquid reale, & non nihil. Ergo ens est vniuocum ad omnia planè entia tàm qualitatiua, quàm quidditatiua. In hac conclusione nobiscum sentiunt, qui docent ens esse vniuocum ad omnia entia tàm completa, quàm incompleta. Et in hoc tantùm dissentimus ab illis, quia non dicimus omnia entia incompleta esse qualitatiua: nam differentiæ non vltimæ sunt entia incompleta, & tamen ens prædicatur de illis vniuocè quidditatiuè: Quia, vt inferiùs dicemus, ad rationem entis qualitatiui, non sufficit vt quomodolibet afficiat & qualificet aliud: sed oportet vt ita qualificet, quòd nullam aliam rationem induat, putà qualificabilis aut determinabilis; quod quidem non reperitur in differentijs vltimis.

Aliter etiam dici potest ens esse vniuocum ad entia qualitatiua, quatenus scilicet est vniuocum determinabile per illa determinantia, vel vnicum denominabile, per illa denominantia, vt loquitur Doctor Subtilis. Sic se habent enim gradus determinabiles & gradus determinatiui, quòd gradus determinabiles non

sint tantùm vniuoci respectu suorum inferiorum, quando sunt vniuoci; sed etiam respectu graduum determinatiuorum, non quidem de quibus dicantur vniuocè, quasi scilicet ratio graduum determinatiuorum, sit ratio graduum determinabilium; sed per quos determinentur vniuocè; quia gradus illi determinabiles per alios, & prædicabiles de alijs, non habent vnitatem solùm quà prædicabiles de suis inferioribus, vel quà sunt in illis & participantur ab illis, sed etiam quà determinabiles: vna siquidem ratio est determinabilis, sicut vna ratio est prædicabilis. At Ens se habet ad Entia qualitatiua, putà ad vltimas differentias, vt determinabile, ad determinantia. Ergo etiam vt sic, est vniuocum ad illas.

Secunda Conclusio.

NON solùm Ens est vniuocum, sed etiam quidditatiuum ad Deum & creaturas, ad substantiam & accidens, & ad omnia genera, species, & indiuidua. De priori parte conclusionis nihil nunc occurrit dicendum. Posterior est certa non solùm apud illos qui Entis vniuocationem sustinent, verùm & apud eos qui eiusdem Entis analogiam defendunt, demptis fortè illis qui satis absurdè docent accidentia esse tantùm Entia, per denominationem extrinsecam. Probatur: Ens est prædicatum quidditatiuum respectu aliquorum. Ergo maximè respectu illorum de quibus enuntiatur in recto, formaliter, & in quæstione quid: huiusmodi autem sunt omnia prædicta. Ergo Ens prædicatur de illis quidditatiuè.

Tertia Conclusio.

ENs non prædicatur in quid de suis modis intrinsecis, & determinatiuis. Conclusio est Doctoris Subtilis in 1. dist. 8. qu. 2. *Ad primum argumentum principale*, vbi dicit conceptum Entis contrahi per aliquos conceptus contrahentes dicentes quale, hoc est, per aliquos conceptus, qui sunt Entia qualitatiua, non quidditatiua. Est etiam Antonij Andr. 5. Metaphysic. quæst. 7. ad argumenta. Probatur autem: Nullum determinabile prædicatur in quid de suo determinatiuo, sed tantùm de tertio constituto ex determinabili & determinatiuo; & consequenter de his omnibus, de quibus ipsum constitutum prædicatur in quid, vt habet Arist. in Anteprædicamentis. Sed Ens est determinabile per suos modos intrinsecos. Ergo non prędicatur de illis in quid. Minor est euidens. Maior etiam videtur indubitata, & probari posset exemplo omnium determinabiliũ, & determinatiuorũ. Hoc vnum sufficiat. Animal v. g. non prædicatur in quid de rationali. Quærenti enim quid sit rationale? non rectè responderetur esse animal: vnde etiam communiter docetur hanc prædicationem; rationale est animal, esse tantùm materialem, quia nimirum animal non enuntiatur

Ens nõ prædicatur in quid de suis modis.

de rationali per se; sed tantùm ratione hominis, de quo animal enuntiatur per se, & in quid, cui rationale identificatur. Seruatâ autem proportione idem iudicium esse debet de modis Entis respectu Entis. Nec enim hæc prædicatio est per se, saltem quidditatiua: Infinitum est Ens; sed tantùm materialis, ratione scilicet Dei, cui infinitas identificatur, & de quo Ens in quid prædicatur.

Obiectio 1. Obijcies: Modi Entis simul cum Ente constituunt varias rerum essentias. v. g. Infinitum cum Ente Deum; finitum cum Ente creaturam constituit: Ergo sunt reales & positiui. Si autem huiusmodi sunt; quomodo mente concipi potest eos non includere intrinsecè & essentialiter Ens? Hoc modo ratiocinatur Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 5. num. 8.

Solutio. Respondetur intacto pro nunc antecedente, ad consequentiam, modos Entis esse reales & positiuos, & includere intrinsecè & realiter Ens; non tamen essentialiter & quidditatiuè. Et certè cùm esse modos Entis, sit potiùs Entia esse talia, quàm esse Entia simpliciter: Miror quâ ratione concipi non poterit ipsos esse veriùs qualitatiuè, quàm quidditatiuè Entia, seu esse potiùs Entalia, seu Entis talitates (ignoscatur barbarismis) quàm Entia.

Quarta Conclusio.

Ens nô prædicatur in quid de suis passionibus. ENs non prædicatur in quid de suis passionibus. Hæc conclusio est Doctoris nostri in 1. dist. 3. qu. 3. §. *Ad quæstionem igitur*. Est etiam quorumdam aliorum, præsertim Fonsecæ 4. Metaphysic. cap. 2. qu. 3. sect. 2. conclusione tertiâ. Probat autem Doctor Subtilis hanc conclusionem tribus argumentis.

Primum. Ens non prædicatur per se de passionibus suis. Ergo nec in quæstione, quid est? Probatur antecedens. Passio per se secundo modo prædicatur de subiecto, ex 1. Posteriorum: Et ideò omne subiectum ponitur quasi additamentum in definitione suæ passionis ex eodem 1. Post. Et 7. Metaphysic. cap. 5. text. 18. Quæ autem hoc modo ponuntur in definitionibus rerum, non sunt per se primo modo in ratione quidditatiua eorum. Ergo Ens non erit de ratione quidditatiua suarum passionum. Confirmatur: quia cùm passiones Entis dicantur per se de Ente; necessariò efficitur vt Ens dicatur de illis per accidens, siue non per se: docet enim Aristot. 1. Post. cap. 18. text. 35. propositiones per se non conuerti in alias per se.

Secundum. Ens diuiditur sufficienter, tanquam in illa quæ includunt quidditatiuè ipsum, in ens increatum, & in decem genera, & in partes essentiales decem generum. Saltem non videtur habere plura quidditatiuè quin sint in istis. Atqui proprietates entis nihil sunt horum, vt patet; alioqui non essent transcendentes. Ergo ens non prædicatur, in quid, de suis proprietatibus.

Tertium. Si vnum v. g. quod

est prima passio entis, est quidditatiuum ens; aut præcisè est ens, aut addit enti aliquid, de quo etiam quidditatiuè dicatur ens, aut aliquid de quo ens quidditatiuè non dicatur. Primum dici non potest: quia idem esset passio suiipsius, & idem dimanaret à seipso, & idem supponeretur ad seipsum; quæ omnia falsa sunt. Nec item secundum; tùm quia vnum bis includeret ens quidditatiuè: tùm quia daretur progressus in infinitum; eadem enim quæstio fieri posset de illo addito, atque de ipso vno, & pari ratione de quocumque alio simili addito. Igitur dari debet tertium, nempe vnum addere enti aliquid tanquam passionem illius, quod non subijcitur Enti in quæstione, quid est?

Vltima Conclusio.

Ens non prædicatur in quid de differentiis vltimis.

ENs non prædicatur, in quid, de vltimis differentiis. Conclusio est expressa Doctoris Subtilis in 1. dist.3. q.3. §. *ad quæstionem igitur respondeo*; quam probat duobus argumentis.

Primum. Si differentiæ includunt ens vniuocè, idest, quidditatiuè dictum de eis, & non sunt omninò idem: ergo sunt diuersa aliquid idem entia; sed talia sunt propriè differentia ex 5. & 10. Metaphysic. Ergo differentiæ vltimæ propriè erunt differentes. Ergo aliis differentijs differentes: quo posito inquiritur: an istæ differentiæ, quibus vltimæ differũt, includant ens quidditatiuè, vel non? Si primum; argumentabitur sicut priùs, & sic dabitur progressus in infinitum in differentijs, vel stabitur ad aliquas omninò non includentes ens quidditatiuè, quod est propositum.

Secundum. Quæ Physicè componuntur, resoluuntur vltimò in purum actum, & in puram potentiam, ita vt purus ille actus nihil planè potentialitatis includat, nec vice versâ, pura potentia aliquid actualitatis. Ergo quæ Metaphysicè componuntur, simili resolutione resoluuntur vltimò in realitatem purè determinabilem, & in realitatem purè determinatiuam, ita vt vna nihil planè includat alterius; sed realitas vltimò determinabilis, est realitas entis, & realitas vltimò determinatiua, est realitas vltimæ differentiæ. Ergo ens & vltima differentia sic se habent, quòd ratio vnius nihil planè includit rationis alterius. Ergo ens non prædicatur quidditatiuè de vltima differentia; quia quod prædicatur quidditatiuè de aliquo, debet includi in ipso.

Obiectio 1.

Obijcitur 1. Quandocumque contingit intellectum posse esse simul certum & dubium de aliquo; illud non est simpliciter simplex, sed compositum ex multis realitatibus, de quarum vna est certitudo, & de altera dubitatio. At contingit intellectum esse simul certum & dubium de differentia vltima: Certum quidem, quòd sit ens; dubium verò, quòd sit tale ens, putà qualitatiuum. Ergo differentia vltima non erit simpliciter simplex. Tunc ponendo illam esse compositam ex ente, scilicet, & talitate entis; ratio entis de quo habetur certitudo, prædicabitur de

ea quidditatiuè: Cùm enim priùs certum sit ipsam esse ens, quàm esse tale ens; priùs ens dicetur de ea, quàm dicatur esse tale ens; tunc autem dicitur tantùm ens de ea qualitatiuè, eùm dicitur esse tale ens. Ergo cùm ens dicitur de ea, dicitur quidditatiuè; quia non datur medium inter ens dici quidditatiuè, & dici qualitatiuè de aliquo. Ergo ens dicitur quidditatiuè de vltima differentia. Hoc ferè modo arguit Ocham in 1. dist. 2. q. 9. lit. E.

Solutio. Tres solutiones possunt afferri ad hoc argumentum ex Doctore Subtili: sed hæc magis arridet, quâ concessâ maiore, negatur minor; quia conceptus vltimæ differentiæ est simpliciter simplex: vnde cùm scitur seu attingitur, totaliter attingitur, & cùm ignoratur, totaliter ignoratur. Vnde circa ipsum non potest esse certitudo simul & dubitatio; quia non potest secundum aliquid concipi, & secundum aliquid ignorari, vt docet Aristot. 9. Metaphysic. de conceptibus simpliciter simplicibus. Eo igitur actu quo concipio vltimam differentiam, eodem concipio illam esse ens qualitatiuum, seu esse aliquid entale, quemadmodum quo actu concipio aliquid esse ens, eodem concipio illud esse vltimò determinabile. Ideò quemadmodum ratio entis, vt sic, est simpliciter simplex, circa quam non contingit certitudo & dubitatio: Ita conceptus huiusmodi entalis, vt sic, est simpliciter simplex, circa quam non contingit certitudo & dubitatio.

Obiectio 2. Obiicitur 2. Ad quæstionem, quid est differentia vltima? Respondetur vel esse nihil, vel esse aliquid: non esse nihil: ergo esse aliquid, ergo esse ens; quia ens & aliquid conuertuntur.

Respondetur neutrum propriè responderi: non enim nihil primò; nec etiam aliquid propriè, sed potiùs aliquiddificans, ac per consequens entale, non ens. Solutio.

Obiicitur 3. Ex substantiis non fit substantia ex 1. Physic. sed ex differentijs vltimis fiunt substantiæ primæ. Ergo vltimæ differentiæ sunt substantiæ. Ergo sunt entia quidditatiua; quia omnis substantia est ens quidditatiuè. Obiectio 3.

Respondeo ex non substantijs saltem partialibus, non fieri substantias Physicas, de quibus loquitur Aristoteles; fieri tamen ex non substantijs propriè, substantias Metaphysicas, quales sunt substantiæ primæ: sufficit enim ad earum constitutionem, aliqua esse substantias, & alia esse substantialia: differentiæ vltimæ non sunt substantiæ, sed sunt substantialia; atque consequenter entalia, non entia quidditatiua. Solutio.

Obiicitur 4. Plus conueniunt inter se differentiæ vltimæ, & proprietates entis, quàm conueniant illæmet & nihil. Sed non potest excogitari aliud communius, in quo conueniant, quàm ens. Ergo conueniunt in ente. Obiectio 4.

Respondeo, concessâ maiore, distinguendo minorem; quia duobus modis possunt in illo communi conuenire, scilicet vniuocè & quidditatiuè: & sic proprietates entis, & differentiæ vl- Solutio.

timæ non plus conueniunt in ente, quàm illæmet, & nihil; sicut nec duæ vltimæ differentiæ substantiales plus conueniunt quidditatiuè in substantia, quàm conueniant vna illarum & nihil: Secundò sic, vt illæ differentiæ vltimæ eatenus dicantur in illo communi conuenire, quia sunt vltimi termini & extremitates illius communis, vltimò determinantes ipsum: Et sic vltimæ differentiæ plus conueniunt, quàm conueniant vna illarum, & nihil: quia quælibet vltima differentia est determinatiua entis: nihil autem non est determinatiuum entis; sed hoc modo differentias vltimas conuenire in ente, non est conuenire in ipso vniuocè, idest, quidditatiuè.

Obiectio vltima ex Ochamo. Obijcit vltimò Guillelmus Ocham loco citato: Quælibet creatura plus distinguitur à Deo, quàm vltima differentia à quacumque realitate creata. Sed nonobstante distinctione creaturæ à Deo, est aliquid commune vniuocum in quid, Deo & creaturæ. Ergo vltimæ differentiæ & alteri realitati creatæ dabitur aliquid commune vniuocum quidditatiuum. Ergo aliquid prędicabitur, in quid, de vltima differentia: Illud autem maximè debet esse ens. Ergo ens prędicatur, in quid, de vltima differentia.

Solutio. Respondeo ratiocinationem istam nihil concludere; quia defectus prędicationis, in quid, de vltimis differentiis, non prouenit ex maiore vel minore distantia entitatis extremorum; sed prouenit ex oppositione formali rationis eorumdem extremorum. Distantia autem Dei ad creaturas est distantia entitatis, non vt oppositæ entitati creaturarum, sed vt superantis in infinitum entitates creatas; quò fit vt nonobstante istâ distantiâ, possit vtrique extremo esse aliquid commune vniuocum quidditatiuum. At vbi est distantia oppositionis extremorum, vt in proposito; videndum est priùs in quo gradu sit ista oppositio: & si tanta sit, vt omnem tollat conuenientiam, vel adhuc aliquam patiatur. In proposito verò, oppositio cuiuscumque entitatis determinabilis, & purè determinatiuæ, tanta est, vt nullam planè patiatur conuenientiam quidditatiuam, vt probatum est. Ergo alteri entitati creatæ, saltem determinabili, & vltimæ differentiæ vt potè purè determinatiuæ, nihil erit commune vniuocum quidditatiuum.

QVÆSTIO DECIMA.

Per quid, & quomodo Ens determinetur ad Deum & creaturas, ad substantiam & ad accidens?



IHIL nobis in hac controuersia cum illis, qui docent Entis rationem nullo modo præcisam esse à rationibus inferiorũ. Si enim Ens in se nullo modo præcisum est ab aliis Entibus, sed est ex natura sua determinatum in illis, vel est illamet immediatè, vt vult Aureolus, & quidam alij cum ipso; non indiget determinatiuis, per quæ

determinetur ad alia entia. Quæstio itaque procedit suppositâ præcisione rationis Entis, siue per intellectum tantùm, vt volunt multi, siue ex natura rei, vt volumus, detur huiusmodi præcisio.

Duobus modis aliquid determinatur, vel per differentias, vel per modos: & hoc iterũ duobus modis; vel per modum cõpositionis, vel per modũ explicationis.

Prænotandum itaque primò duobus modis præsertim, intelligi posse fieri huiusmodi determinationem, scilicet vel per differentias, vel per modos intrinsecos: per modos autem intrinsecos iterum duobus modis; scilicet vel per modum compositionis alterius cuiusdam tertij ex potentiali determinabili, & actuali determinatiuo; vel per modum explicationis eiusdem; quasi scilicet modus nihil aliud præstet, quàm vnam & eandem realitatem magis explicare, seu magis distinctam & perfectam reddere. Est autem inter alia, hoc discrimen ad præsens institutum attinens, inter differentiam, & modum intrinsecum, quòd differentia sit alia realitas à realitate generis determinabilis, quæ addita realitati determinabili generis, illam à proprio statu dimouet, & ad alium statum transfert. Modus intrinsecus verò non sit alia realitas à realitate determinabili; sed sit veluti gradus internus seu modus intrinsecus ipsius realitatis, qui solùm ea ratione dicitur illam determinare, quia illam intra seipsam perficit.

Alij sũt modi essendi, & alij modi prędicandi.

Prænotandum 2. alios esse modos essendi, & alios modos prædicandi, de quibus Logici. Iam itaque controuertitur an Ens determinetur per differẽtias, an per modos; & si per modos; an per modum compositionis, an per modum explicationis; & quomodo non determinetur potius per modos prædicandi, vt volunt aliqui apud Anthonium Andream 5. Metaphysic. quæst. 7. quàm per modos essendi.

Docent aliqui, quòd si restringatur Ens creatum ad complectum, verè illud contrahi per proprias differentias, ac proinde esse genus. Quidem alij docent Ens determinari per differentias vel modos, (nam parum aut nihil curant distinguere inter modos & differentias) & hoc quidem per modum compositionis. Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 2. sect. 6. num. 7. docet determinari per modum expressioris conceptionis, ita vt cõceptus substantiæ v. g. sit æquè simplex & æquè irresolubilis, ac conceptus Entis, solúmque ab eo differat, quia conceptus substantię est magis determinatus quàm conceptus Entis. Non crederet autem, meo iudicio, hoc genus determinationis posse consistere cum modis determinantibus, & cum præcisione ex natura rei, rationis Entis ab inferioribus: Quia veritatem huiusmodi determinationis astruit præsertim tùm ex eo quòd supponat Ens non determinari per modos, tùm quia supponat eius præcisionem fieri tantùm per intellectum. Quidquid, meo quidem iudicio senserit Doctor noster super hac re, sequentibus conclusionibus aperiam.

Prima

Prima Conclusio.

Ens nõ determinatur per differentias, sed per modos

ENs non determinatur ad Deum & craturas, ad substantiam, & ad accidens per veras & proprias differentias. Sed tantùm per modos. Probatur. Ens determinatur ad Deum & creaturas per infinitum & finitum, & ad substantiam & accidens per perseitatem & inalietatem, sed hęc sunt tantùm modi, & non differentiæ. Ergo Ens non determinatur per differẽtias, sed per modos ad prædicta inferiora. Maior est euidens. Minor probatur. Differentia est realitas alia à realitate generis quod determinat: Modus autem est gradus realitatis determinabilis, sine quo nec existere, nec perfectè concipi potest entitas determinabilis. Sed infinitum & finitum &c. non sunt realitates extra realitatem Entis determinabilis, sed sunt gradus intrinsecè perficientes Ens, sine quibus, nec existere, nec perfectè concipi potest. Ergo infinitum & finitum, per se, & in alio, non sunt differentia, sed modi intrinseci Entis. Si maior negetur, quæstio erit tunc tantùm de nomine: Hoc enim discrimen ponit Scotus inter differentiam & modum, vt prænotauimus, quòd differentia primò sit semper alia realitas simpliciter formaliter distincta à realitate generis: Modus autem sit tantùm gradus realitatis determinabilis, ac proinde distinctus ab illa tãtùm formaliter modaliter. Secũdò quòd propterea realitas generis possit in quocumque gradu sibi debito perfectè concipi, sine realitate differentię; quia in quocumque gradu concipiatur animalitas, v. g. in ea non cõcipitur rationalitas nec irrationalitas. Realitas autem determinabilis à modo, non possit perfectè concipi sine ipso: nam si Ens v. g. concipiatur cum omni gradu sibi debito, necessariò concipi debet vel cum modo infinitatis, vel finitatis. Quò fit vt conceptus generis possit esse perfectus sine conceptu differentiæ, & possit terminare cognitionem intuitiuam intellectus absque ipso: Conceptus autem realitatis determinabilis à modo, non possit terminare cognitionem intuitiuam perfectam intellectus; nec proinde possit esse perfectus absque conceptu modi determinantis. Minor iam etiam patet. Quia infinitum & finitum, per se, & in alio sic se habent respectu Entis: Modificant enim intrinsecè Ens, & illud intra propriam realitatem perficiunt; Item conceptus Entis sine huiusmodi modis est confusus & imperfectus, & perfectus cum illis. Sicut enim quatuor vel duo gradus albedinis v. g. perficiendo albedinem, non illam extra propriam realitatem extrahunt, sed intra illam perficiunt: Ita finitum & infinitum, per se & in alio, Ens intra propriam suam realitatem perficiunt, & determinant. Qui enim dicit Ens infinitum vel finitum, ens per se & ens in alio, nihil aliud dicit quàm ens, sed vel tantum vel tantum; vel hoc, vel tali modo se habens.

Cùm ergo pro parte negatiua dicitur eâ tantùm ratione

corporeum & incorporeum v. g. esse differentias contrahentes substantiam, quia sunt etiam incompleta; ac ideò etiam per se, & in alio, esse differentias respectu entis creati completi, quia sunt etiam entia incompleta. Respondeo ad rationem differentiæ hoc non sufficere, sed alia multa desiderari vt dictum est, quæ in modis illis à nobis assignatis reperiri nequeunt.

Secunda Conclusio.

Determinatio Entis non fit ad modum compositionis, sed ad modum explicationis.

Determinatio illa per modos, non fit ad modum compositionis, sed ad modũ explicationis idest modi illi non ita modificant Ens, quasi illud sit aliquid potentiale perfectibile per modos; & modi sint etiam quid actuale perfectiuum huiusmodi determinabilis: Sed quia illud magis explicant, & reddunt ex confuso distinctum, & ex imperfecto perfectum. Primò ostendam hanc opinionem esse Doctoris Subtilis. Secundò probabo veritatem illius.

Quod spectat ad primum, Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 6. num. 8. agnouit Scotum nostrum in ea fuisse sententia; differre tamen à D. Thoma in modo explicandi illam. Ego tamen existimo illos duos celebres Doctores in hoc non aliter, quàm verbis, differre: Nam reipsâ idem omninò dicunt.

En verba D. Thomæ q. 1. de veritate art. 1. *Quod primò intellectus concipit, quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est Ens: vnde oportet quòd omnes aliæ conceptiones intellectus accipiãtur ex additione ad Ens: sed Enti nihil potest addi, quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi: quia qualibet natura essentialiter est Ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra Ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius Entis non exprimitur.* Et pòst. *Substantia non addit supra Ens, aliquam differentiam: sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi.*

En verba Doctoris Subtilis in 1. dist. 8. quæst. 2. *Ad primum principale. Conceptus contrahentes Ens, dicunt modum intrinsecum ipsius contracti, & non aliquam realitatem perficientem illam, putà realitatem differentiæ.* Et infrà. *Conceptus Entis sine modo est conceptus communis & imperfectus; conceptus autem eiusdem Entis cum modo, est iam conceptus proprius & perfectus.* Et infrà dicit conceptũ Entis & modi non esse conceptum generis & differentiæ. *Quia*, inquit, *conceptus generis & differentiæ requirunt distinctionem realitatum, & non tantùm eiusdem realitatis perfectè & imperfectè concepta.* Iterum in eodem 1. d. 3. quæst. 1. §. *Quartò dico. Infinitum*, inquit, *non est quasi passio Entis, sed dicit modum intrinsecum illius, ita quòd cùm dico Ens infinitum, non habeo conceptum quasi per accidens ex subiecto & passione: sed conceptum per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis: sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens, sicut albedo visibilis: imò intensio dicit gradum intrinsecum albedinis

in se; & ita patet simplicitas huius conceptus, scilicet ens infinitum. Item alibi docet ens non esse perfectibile nec potentiale respectu modorum, sicut genus est potentiale & perfectibile per suas differentias; quia modi entis constituunt tantùm ipsum in certo gradu perfectionis.

Certè hæc omnia; nimirum conceptum entis esse imperfectum, & confusum sine modis; esse autem distinctum & perfectum cum modis. Item infinitatem constituere tantùm ens in certo gradu perfectionis. Modum non esse quid actuale perficiens, nec ens esse perfectibile potentiale & similia, satis indicant Doctorem nostrum simul cum D. Thoma sensisse ens non determinari ad modum compositionis alicuius cuiusdam tertij, ex perfectiuo & perfectibili: sed ad modum explicationis vnius & eiusdem, intra seipsum.

Quod spectat ad secundum: Hæc sententia probatur 1. authoritate Aristot. 8. Metaphysic. cap. 6. circa finem. Vbi dicit quòd quemadmodum ens statim est quid, & quantum & quale: ita in substantijs separatis & simplicibus, quia non est materia quasi expectans aduentum formæ, vt faciant per se vnum, ideò statim sunt ens & vnum. Idest, sicut ens non per aliud distinctum realiter, imò nec formaliter simpliciter, sed seipso paulò aliter tamen se habente à parte rei, statim est substantia, & quantitas & qualitas. Ita substantiæ separatæ &c. Ex hac enim comparatione, dato quòd ens ex se non significet primò omnia entia, sed aliquem conceptum obiectiuum ex natura rei præcisum à conceptibus suorum inferiorum: Non potest aliter explicari quomodo statim sit quid, & quantum & quale, nisi quia seipso, idest per modos sibi intrinsecos (vt explicat eò loci Doctor Subtilis) statim fit quid, vel quantum, vel quale.

Prætereà suadet Doctor Subtilis in 1. dist. 8. q. 2. ad primum, hunc modum determinationis esse possibilem, exemplo albedinis: *Si esset albedo* (inquit) *sub decimo gradu intensionis, quantumcumque esset simplex omninò in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis tantæ; & tunc, perfectè conciperetur conceptu adæquato illi albedini vt tantæ; vel posset concipi præcisè sub ratione albedinis, & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente à perfectione rei. Conceptus autem imperfectus posset esse communis illi albedini decem graduum, & alij; & conceptus perfectus esset conceptus proprius huius vel alterius albedinis. Requiritur igitur distinctio inter illud à quo accipitur conceptus communis, & illud à quo accipitur conceptus proprius; non vt distinctio realitatis & realitatis; sed vt distinctio realitatis & modi proprij & intrinseci eiusdem realitatis. Quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum, vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & proprius sit perfectus.* Hæc Scotus. Ex quibus vult inferre quòd quemadmodum decem gradus albedinis & albedo non se habent vt genus & differentia; sed vt realitas & gradus realitatis, vel vt vnum & idem, modò minùs, modò magis expres-

ſum; ac proinde non aliter quàm diſtinctione formali omnium minimâ ſeu modali diſtinctum à ſeipſo: Ita ens infinitum v. g. & ens, non ſe habent vt genus & differentia; ſed vt realitas & modus internus ſeu intrinſecus realitatis, ſeu vt vnum & idem, modò minùs, modò magis expreſſum; vel modò imperfectè, modò perfectè conceptum; ac proinde ſimili diſtinctione formali minore, à ſeipſo, diſtinctum. Quòd ſi talis modus determinationis ſit poſſibilis, cùm etiam ſufficiat, & omnia rectè explicet, & aduerſus ipſum nihil poſſit afferri quod facilè ſolui non poſſit; non videtur eſſe alius excogitandus.

Porrò hæc omnia valdè benè cohærent cum tota noſtra doctrina. Primò cum vniuocatione entis, quia rationem entis quod hucuſque probauimus eſſe vniuocum, volumus eſſe tantùm imperfectam, confuſam, & indeterminatam, confuſione ſcilicet & indeterminatione inferiorum & modorum determinantium. Cohærent etiam cum præciſione, ex natura rei, rationis entis ab inferioribus: cùm enim ens & ens infinitum diſtinguantur pluſquàm ratione; quatenus ſcilicet illa magis vel minùs expreſſa ratio, vel illa ratio nunc imperfecta, nunc perfecta reperitur etiam vt ſic in conceptibus obiectiuis; fit vt illa communis & confuſa ratio, vt communis & confuſa, ſit ex ſe præciſa à ſeipſa vt diſtincta & determinata: Nam etiam ex natura rei, gradus eſſendi, priùs poteſt, nobis obijci, quàm gradus eſſendi ſic vel ſic. Et quanquam Phyſicè & realiter non ſit prior gradus eſſendi, quàm gradus ſic vel ſic eſſendi; tamen Metaphyſicè & conceptibiliter prior eſt. Cohærent etiam cum veritate modorum intrinſecorum entis. Cùm enim oporteat ens determinari per aliquid, & non determinetur per aliquid extrinſecum, vel quaſi extrinſecum, nec etiam per ſeipſum ſimpliciter vt ſic, aliàs enim remaneret ſemper ens; oportet vt determinetur per aliquid ſibi intrinſecum; & illud ſunt modi intrinſeci eius. Cohærent denique cum eo quod dicimus conceptum entis eſſe ſimpliciter ſimplicem, & conceptus entis infiniti, & entis finiti non eſſe adeò ſimpliciter ſimplices: quia conceptus entis vt ſic, eſt irreſolubilis in plures conceptus; conceptus autem aliorum entium non ſic ſunt irreſolubiles, imò verò reſolui poſſunt in conceptum determinabilem, & conceptum determinatiuum, quorum prior eſt conceptus entis, & alius eſt conceptus modi eius. Nec hoc obſtat ſummæ ſimplicitati entis infiniti. Quia plures illi conceptus non faciunt compoſitionem; ſed tantùm explicationem & determinationem.

Tertia Concluſio.

ENs non determinatur per modos prædicandi; ſed per modos eſſendi. Probatur. Modus prædicandi ſequitur modum eſſendi. Ergo priùs eſt ens determinari per modos eſſendi, quàm per modos prædicandi. In hac concluſione non immoror. Dico tantùm cum Anthonio Andrea

loco citato, quòd sicut ens, primâ sui diuisione, simpliciter descendit per finitum & infinitum in ens creatum & increatum, tanquam per modos intrinsecos; sic Ens finitum & creatum, quod diuiditur in decem genera, determinatur ad illa, per modos intrinsecos essendi distinctos inter se ex natura rei, quorum quilibet habet rationem contractiui respectu Entis, & constitutiui respectu alicuius prędicamenti, v. g. perseitas respectu substantiæ, & inalietas respectu accidentis in se, & hæc vel illa inalietas respectu huius vel alterius prædicamenti accidentis.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Quid & quotuplex sit modus Entis?

DOCTOR Subtilis in 1. dist. 8. quæst. 3. §. *Teneo opinionem meam mediam*, & §. *ad primum argumentum principale*, satis clarè & distinctè aperuit quid sentiret de modis præsertim intrinsecis entis; quia tamen quidam interpretes Doctrinæ eius, multis difficultatibus hanc rem implicuerunt; ideò opus est vt mentem illius Doctoris, reiectis alijs, nudè declaremus. Mouetur autem hæc quæstio post præmotas de Ente, quia cognitio modorum Entis spectat ad Metaphysicum, sicut & Ens ipsum, quod etiam magis explicabitur, ex declaratione & explicatione modorum eius.

Prænotandum itaque 1. nomen modi varijs rationibus vsurpari. Primò vt significet omnem determinationem vel limitationem præfixam vnicuique rei finitæ, iuxta mensuram eius, quâ ratione sumitur apud D. August. lib. 4. de Genes. cap. 3. explicantem illud Sapientiæ 11. *Omnia in mensura & numero & pendere disposuisti. Mensura*, inquit, *omni rei modum præfigit:* Secundò vt significet omne Ens prædicamentale præter substantiam, quantitatem & qualitatem: Quâ ratione Scotus noster quodlibet. 3. docet Boëtium 1. de Trinit. cap. 10. sumpsisse modum, cùm dicit alias esse res quæ quasi rem monstrant, & alias quæ quasi circunstantiam vel modum rei; quia illę prędicantur sic quòd secundùm se rem aliquam monstrent: Istę verò vt rem non esse, sed potius aliquid extrinsecùs rei apponant: Et sic, inquit Scotus, modus est id quod habitudinem vnius dicit ad alterum. Hâc eâdem ratione sumit modum Doctor Subtilis in 2. dist. 1. q. 4. §. *Contra istam oppinionem* circa quasi finem, cùm dicit relationem realem esse modum sui fundamenti. Tertiò vt significet generaliter omnes respectus transcendentales aliquorum adinuicem, sed pręsertim respectus dependentię effectus à causa, vel sustentati à sustentante, vel alios huiusmodi: hac ratione sumitur modus à plerisque modernis, cùm dicunt accidentia in Sacramento Eucharistiæ acquirere nouum modum existendi post consecrationem; & relationem vnionis inter Ver-

Modi variæ acceptiones.

bum & Humanitatem assumptam, esse modum vnionis, &c. Quartò, vt significet quasdam conditiones vel ipsius causæ effectus; vel existentię eiusdem effectus. Hoc modo dicimus contingentiam, necessitatem, possibilitatem & actualitatem esse modos aut causæ quę causat necessariò vel contingenter; aut ipsius effectus, qui existit necessariò vel contingenter, actu, vel possibiliter. Quintò, vt significet rationes determinantes intrinsecè aliquod superius indeterminatum; quomodo diximus hactenus finitum & infinitum esse modos determinantes rationem Entis. Sextò denique, vt significet perfectionem intrinsecam alicuius entitatis indiuidualis; quomodo intensio in qualitate, & extensio in quantitate dicuntur modi qualitatis vel quantitatis.

Quid sit modus apud aliquos discipulos Scoti. Prenotandum 2. non posse de omnibus omninò modis intelligi hanc definitionem modi, quam tradunt Sirectus & alij ex Scoto. *Modus intrinsecus est, qui additus alteri, non variat rationem formalem constituti per ipsum*: Nam neque hanc definitionem ita tradidit Scotus; neque illam potuit intelligere de omnibus modis. Quod non considerantes multi, premuntur in hac definitione explicanda; & eorum aliqui volunt modum intrinsecum additum alicui determinabili: non variare rationem formalem eius: Alij non variare rationem constituti ex re & modo. Alij neutrius rationem variare: Alij, vt Posnauiensis, hanc definitionem esse intelligendam de modis in genere, non de modis supra genus: quia, inquit, finitum & infinitum in quantitate, non variant rationem quantitatis: variant autem rationem Entis, si in Ente reperiantur. Alij aliter sentiunt. His positis, sit

Prima Conclusio.

Descriptio modi tradita vt potuimus. Modus in vniuersum ita potest describi: *Modus est, qui additus rei, illam modificat, vel in se, vel in alio, vel ad aliud, vel quo ad esse, vel quo ad operari.* Et quidem modificare rem in se, conuenit modis primi, & sexti generis. Nam mensura vniuscuiusque rei, & intrinseca perfectio Entitatis indiuidualis, rem modificant in se. Modificare rem in alio, vel in alijs, conuenit modis quinti generis, vt sunt infinitum & finitum quę modificant Ens, in Deo & in creaturis. Modificare rem in ordine ad aliud, competit modis secundi & tertij generis; quia agere, pati, dependere, sustentari, & similia modificant rem vel in ordine ad passum, vel in ordine ad agens, vel ad id à quo res dependet, vel ad id à quo sustentatur. Modificare rem vel quo ad esse, vel quo ad operari, competit modis quarti generis, vt sunt necessariò, contingenter, actu, potentiâ, quæ vel rem afficiunt vt causantem, aut vt causatiuâ, & sic illam modificant quo ad operari; vel rem afficiunt vt existentem, aut potentem existere, & sic illam modificant quo ad esse.

Secunda Conclusio.

Quibus modis conueniat definitio modi tradita à formalizantibus.

DEfinitio illa modi intrinseci vulgaris apud nostros Scotistas, nimirum quòd *modus intrinsecus sit qui additus alteri, non variat rationem formalem eius, vel constituti per ipsum*, principaliter intelligitur de modis sexti generis. Probatur. Modi illi vel sunt ipsimet gradus entitatiui & indiuiduales; vel rationes aliquæ modales consequentes additionem vel ablationem huiusmodi graduum, vt sunt intensio vel remissio, & extensio, v. g. sed hæc addita quantitati vel qualitati, non variant rationes earum. Probatur: Variatur ratio formalis alicuius rei, per solam additionem graduum formalium, non per additionem graduum entitatiuorum. Albedo enim vt quatuor v. g. non est alterius rationis formalis ab albedine vt duo, licet habeat plures gradus entitatiuos, quàm albedo vt duo. Ergo modi illi additi rei cuius sunt modi, non variant rationem eius formalem. Idem dicendum de infinito & finito respectu quantitatis; quia modi illi seu proprietates quantitatis illam solùm determinant & modificant in certo gradu suæ propriæ entitatis, nec aliquid immutant de eius quidditate & natura. Quòd autem dicta definitio debeat intelligi principaliter de his modis, quamuis etiam aliquâ ratione possit alijs applicari, vt constat: ex eo suadetur, quia Scotus noster disputabat de his modis, prout conueniunt & distinguuntur à differentijs; & in eo primùm conuenire volebat, quòd quemadmodum differentiæ diuidunt, & constituunt; ita etiam hi modi diuidunt aliqualiter & constituunt; & in eo differre primò: quia differentiæ diuidunt aliquid cui sunt extrinsecæ; hi modi autem diuidunt aliquid, cui sunt intrinseci v. g. rationale & irrationale diuidunt animal, extra cuius rationem sunt, & cui quasi forinsecùs adueniunt; quatuor gradus verò vel duo albedinis diuidunt albedinem, non tanquam superius aliquod, cui sint extrinseci, sed tanquam quid confusum quod intrinsecè determinant. Secundò, quia differentiæ constituunt nouam quandam naturam, quam formaliter ingrediuntur; ideò dicuntur variare seu distinguere naturam constituti; quomodo rationale v. g. constituit humanam n turam, cuius est gradus quidditatiuus partialis. Hi verò modi non tam constituunt nouam, quàm eandem priorem naturam magis explicent & determinent. v. g. intensio, vel quatuor gradus albedinis additi albedini, non aliam naturam ab albedine constituunt, sed eandem albedinem magis explicant & determinant. Tertiò, quia res determinabilis per differentias, potest perfectè concipi absque suis differentijs, vt patet de Animali, quod in quocumque gradu sibi debito, potest concipi absque eo quod in eo concipiatur rationalitas vel irrationalitas: Res autem modificabilis per huiusmodi modos, non potest perfectè concipi, absque suis modis; si enim aliqua albedo per-

Differentia notatu digna inter differentias & modos.

fectè concipiatur, debet necessariò concipi sub tot vel tot gradibus: Item, si quantitas secundum omnem rationem & modum sibi intrinsecum concipiatur, debet concipi vel vt finita, vel vt infinita. Ex quibus sequitur quartò realitatem determinabilem per differentias, esse verè in potentia ad illas, tanquam perfectibile ad proprium perfectiuum; rem autem modificabilem per tales huiusmodi modos, non esse in potentia ad illos; quia modi non sunt aliæ realitates perfectiuæ distinctæ à rebus modificabilibus. Sequitur quintò illud quòd sic est potentiale ad differentias; esse naturam quandam distinctam & determinatam in genere suo, licet sit vlteriùs determinanda per differentias, quæ illam contrahunt, & veluti pertrahunt ad alium statum: rem verò modificabilem per hos modos, esse indeterminatam & confusam absque his modis, qui proptereà non tam contractiui aut determinatiui, quàm explicatiui dicuntur. Itaque prædicta definitio debet intelligi de huiusmodi modis, quippe qui distinguuntur à differentijs, in eo quòd differentiæ variant aut distinguunt essentialiter naturam quam constituunt: Hi verò modi non sic.

Sed quia hæc omnia dicta sunt à Scoto nostro, ratione infiniti & finiti, vt sunt modi entis, quatenus scilicet ostenderet ens non esse genus, & hos modos non esse differentias, quamuis illud sit vniuocum contrahibile, & hi modi sint contractiui eius; videndum est an etiam prædicta definitio cadere possit in illos? & hoc quidem difficultate non caret: quia videntur Deus & creatura distingui essentialiter & formaliter per finitum & infinitum: Item prædicamenta quoque distingui per modos, per quos ens determinatur ad illa. Quod quidem si verum sit, variabunt seu distinguent hi modi ea quorum sunt constitutiui. Nec est quòd dicatur illos non variare rationem entis quod determinant; hoc enim nihil est: quia nec etiam differentiæ variant rationem generis quod contrahunt. Nec item dici debet prædictam definitionem intelligendam esse de modis in genere, non de modis supra genus, seu de infinito & finito vt conueniunt enti prædicamentali, putà quantitati, non vt conueniunt enti in se. Quia occasione præsertim istorum modorum prout determinant ens in se, hæc omnia prędicta discrimina posuit Scotus inter modos & differentias, ex quibus collegerunt Scotistæ modum non variare seu non distinguere aut constituere nouam quandam naturam, sed tantùm priorem explicare: quæ certè non fuissent ad propositum dicta, si modi illi supra genus, de quibus præsertim erat intentum, verè contraherent aliquod determinatum superius, & nouam quandam naturam constituerent. De hac difficultate sit hæc

Tertia Conclusio.

DEfinitio illa modi, quod sit *qui additus rei, non variat rationem eius formalem*, potest etiam intelligi de modis entis, videlicet

videlicet de infinito & finito. Vltra authoritatem Scoti, videtur ita posse suaderi. Infinitum & finitum non variant rationes transcendentium, sicut nec prædicamentalium. Ergo addita huic transcendenti, Ens, non variabunt rationem eius formalem; nec cum ipso nouam quandam naturam constituent, sed tantùm priorem magis explicabunt. Antecedens probatur. Bonitas infinita & bonitas finita, inquit Scotus, non sunt diuersæ rationis: quia infinitas addita bonitati, non variat rationem eius formalem, sed tantùm illam intra eandem speciem in infinitum perficit entitatiuè: sed bonitas est prædicatum transcendens. Ergo infinitum & finitum non variant rationes transcendentium.

Quomodo intelligatur infinitum & finitum non variare rationem formalem eius quod constituunt.

Dices. Ergo quemadmodum bonitas infinita & bonitas finita sunt eiusdem planè rationis. Ita Ens infinitum & Ens finitum erunt eiusdem etiam rationis. Ergo Deus & creatura erunt eiusdem omninò rationis. Respondeo concessâ primâ consequentiâ, negando secundam. Quia Deus non est tantùm Ens infinitum; sed etiam bonitas infinita, & sapientia infinita, & omnis planè perfectio infinita. Vnde si per impossibile, dari posset aliquid infinitum in illa sola ratione Entis, quod non esset infinitum in omni ratione Entis, vel proprietatis Entis; illud certè non esset alterius rationis ab ente finito, quemadmodum infinitum in sola ratione bonitatis non est alterius rationis à bonitate finita. Sed quia infinitum illud in ratione præcisa Entis, habet etiam per quandam illationem necessariam quod sit infinitum in omni determinata ratione Entis dicentis saltem perfectionem simpliciter: ideò fit vt illud sit Deus, & per consequens alterius rationis ab Ente finito. Vno verbo sola infinitas Entis non variat rationem formalem Entis, nec nouam naturam constituit, sed infinitas simpliciter. Quæ certè distinctio necessaria mihi videtur pro conciliandis quibusdam locis Doctoris Subtilis: Dicit enim aliquando infinitatem esse tantùm modum intrinsecum, & non prædicatum essentiale: quãdóque esse prædicatum quidditatiuum: Quæ ex dictis nullam habent contradictionem: Nam infinitas alicuius vnius determinati prædicati, vel perfectionis determinatæ non est prædicatum quidditatiuum: sed modus illius prædicati, vel perfectionis determinatæ: & hæc dici potest infinitas intensiua. Infinitas autem simpliciter est infinitas omnium planè perfectionum simul, vel omnes perfectiones diuinæ simul habentes infinitatem simpliciter; quæ infinitas dici potest extensiua, estque prædicatum quidditatiuum & essentiale diuinitatis.

Infinitum duplex.

Obijcies: Si hoc verum sit, sequetur infinitum non esse modum determinantem Ens ad Deum; quia modus ille potest intelligi in Ente, absque eo quòd Deus intelligatur. Hoc autem repugnat dictis. Respondeo negando sequelam maioris; quia licet possit concipi Ens infini-

tum formaliter, absque eo quòd Deus actu concipiatur; tamen realiter & consequenti necessitate, debet concipi Deus, ex conceptione Entis infiniti, quia Ens infinitum, licet per locum extrinsecum, necessariò Deus est.

Quarta Conclusio.

Definitio modi trad. tà à quibusdam Scoti discipulis, non conuenit modis determinantibus Ens completum ad decem cathegorias.

NON videtur mihi prædicta definitio competere posse modis determinantibus Ens completum creatum ad decem Categorias. Probatur: quia modi illi seipsis & immediatè constituunt diuersas naturas, & non perficiunt Ens intra propriam suam rationem formalem, sed illud ita modificant & determinant, vt simul cum ipso decem varias classes Entium essentialiter distinctorum constituant. Ergo definitio illa modi non potest eis modis competere.

Dices Anthonium Andream ex Doctore Subtili, eodem modo philosophari de eis modis, atque de finito & infinito respectu Entis, vt diximus vltimâ conclusione præcedentis quæstionis. Ergo sicut prædicta definitio competit finito & infinito; competet quoque his modis. Respondeo eodem modo esse philosophatum in eo quòd quemadmodum finitum & infinitum sunt modi intrinseci Entis in se; ita per se, & in alio v.g. sunt modi intrinseci Entis creati completi: Cum hoc tamen discrimine, quòd finitum & infinitum sunt modi intrinseci talis conditionis, vt non constituant aut distinguant nouam quandam naturam, sed priorem tantùm, cuius sunt modi, magis explicent, & in certo gradu constituant, & perficiant magis aut minus intra eandem rationem formalem: quia hi modi se habent vt intensio vel extensio, quæ modificant res quarum sunt modi, absque variatione formali illarum: per se autem & in alio, & consequenter alij modi determinantes Ens creatum completum ad decem prædicamenta, sunt alterius rationis, & magis ad differentias accedunt, ne dicam esse omninò differentias; quia illud confusum quod explicant, non est tantùm confusum confusione graduum intrinsecorum, vt est illud quod finitum & infinitum, vt sic, nata sunt explicare (dico vt sic, quia aliâ ratione Ens in se est etiam confusum confusione partium subiectiuarum, quatenus scilicet per veras rationes constituentes Deum & creaturas, determinari potest ad Deum & creaturas.) Sed est confusum confusione partium subiectiuarum, & graduum quidditatiuorum: Ens enim creatum & completum in ordine ad decem Categorias, est confusum confusione graduum quidditatiuorum.

Dices: Illud quod sic est confusum confusione partium subiectiuarum, & graduum quidditatiuorum, solet determinari per veras differentias. Ergo modi determinantes Ens creatum & completum, erunt veræ differentiæ. Respondeo quòd suppositâ vniuocatione Entis, supposito etiam quòd conceptus eius sit vnus, & ex natura rei præcisus

à conceptibus inferiorum, & quòd modi isti non perficiant ens intra eandem rationem formalem eius, sed ei quasi aduenianț, & ex eorum aduentu coalescant ita diuersæ naturæ; facile non est assignare verum aliquod discrimen inter hos eosdem modos, & differentias. Vnde etiam quidam existimant esse veras differentias, & ens creatum completum esse genus, & illud vnicam constituere Categoriam. Quia tamen hoc nimis recedit à doctrina Peripatetica; meliùs est dicamus non esse differentias, tùm propter authoritatem antiquorum Philosophorum, à quibus non licet facilè recedere; tùm propter rationes aliquot: primò quia differentia omnis distinguitur formaliter simpliciter à suo genere: Modi autem illi per se, & in alio, non distinguuntur formaliter simpliciter ab ente. Secundò, quia omnis differentia est semper alia realitas à realitate sui generis: Modi autem isti, nec sunt realitas, nec formalitas propriè distincta à realitate rei, cuius sunt modi. Nullus enim potest concipere per se & in alio, tanquam formale aliquod obiectum quod per se sit capax terminare cognitionem intuitiuam. Tertiò, quia illud quod natum est contrahi per veras differentias, debet esse longè minùs confusum quàm sit ens contrahibile per hos modos: quod licet sit vnum vt diximus; tamen est adeò confusum, vt modi illi censeri debeant potiùs rationes explicatiuæ istius confusi, quàm contractiuæ istius vnius.

Vel si tota ista doctrina, his duabus posterioribus conclusionibus, tradita, non placet; dicamus esse duplicem modum intrinsecum, scilicet conceptus confusi, & naturæ cuiusdam determinatæ. Modus intrinsecus naturæ & realitatis determinatæ, non variat ipsam naturam, cuius est modus, quia supponitur illa natura iam constituta determinatè, per suos gradus essentiales, & specificos. Modus verò conceptus confusi variat rationem illius conceptus, cuius est modus intrinsecus. Quod sic intelligendum est, quia modus ille transfert rem cuius est modus, à ratione conceptus, ad rationem naturæ: quod quidem contingit & propter confusionem conceptus, & constitutionem naturæ: vel, vt meliùs loquar, propter explicationem naturæ. Ita enim res se habet in huiusmodi modis intrinsecis conceptuum confusorum, vt dum determinant & explicant huiusmodi conceptus, statim coalescant naturæ, quæ quasi fuerant inuolutæ in huiusmodi conceptibus intellectis & acceptis sine suis modis. Non est facile decernere quid in his tenendum sit.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Quid sit Entitas?



ENTITATIS nomen frequenter est in vsu apud Doctorem Subtilem, & à quibusdam dicitur abstractum entis; ab alijs verò modus essentiæ rerum, secundùm quem dicuntur diuisibiles, quando con-

tingit eas esse diuisibiles. Sed quicquid sit, explicatis entis nomine & ratione, nunc videtur esse entitatis aperienda ratio.

Abstractum multiplex.

Prænotandum itaque primò abstractum esse multiplex; sed præsertim, quo ad præsens institutum attinet, esse duplex, scilicet abstractum ab inferioribus, & abstractum à concretis. Abstractum ab inferioribus illud est, quod ex se & natura sua, dicit rationem aliquam præcisam à rationibus inferiorum; quo modo, homo, animal, substantia, Ens, dicuntur abstracta. Abstracta à concretis sunt ipsæmet rationes concretorum in se spectatæ, & consideratæ; vt sunt humanitas, animalitas, entitas &c. Priora dicuntur abstracta non vltimata; posteriora dicuntur abstracta vltimata: illa abstracta conceptuum & rationum; hæc abstracta vocum: illa contingunt ex natura rei; hæc fiunt per intellectum. Nam abstractio hæc vltima entitatis ab ente (& idem dico de qualibet vltimata abstractione, vt humanitatis ab homine, & equinitatis ab equo) nullo modo supponit distinctionem in re ex natura rei; sed tantùm ex modo nostro concipiendi, vt docet Doctor in 1. dist. 2. q. 7.

Quid sit entitas ex vsu Philosophorũ.

Prænotandum 2. nomen entitatis, ex vsu Philosophorum, non sumi vt significet ipsam solam & nudam entis rationem in abstracto; sed vel vniuscuiusque rei rationem & naturam, vel modum illum rerum, secundùm quem dicuntur diuisibiles, quando contingit eas esse diuisibiles, vt dicemus inferiùs. Dicitur enim natura substãtiæ v.g. entitas substantiæ, & natura accidentis entitas accidentis. Et hoc modo entitas non significat tantùm gradum entis in abstracto, qui est in substantia, tanquam prædicatum eius quidditatiuum omnium primum & communissimum; sed significat totam ipsam rationem vel naturam substantiæ aut accidentis.

Res vna & eadem secundùm varios gradus, est indiuisibilis & diuisibilis.

Prænotandum 3. rem vnam & eandem, secundùm varios gradus spectatam, esse indiuisibilem simul & diuisibilem; indiuisibilem quidem, secundùm gradus essentiales & specificos; diuisibilem verò, secundùm gradus quos vocant entitatiuos, v.g. albedo secundùm suos gradus specificos, est indiuisibilis, quia constat ex gradibus generico &, differentiali, qui non suscipiunt magis & minùs. At verò secundùm gradus intensionis & remissionis, qui dicuntur gradus entitatiui, est diuisibilis; quia vna albedo constat pluribus vel paucioribus gradibus intensionis aut remissionis, quàm alia. Et hæc quidem distinctio graduum in gradus essentiales seu specificos, & in gradus indiuiduales & entitatiuos, est satis vulgaris apud Philosophos. Gradus essentiales seu specifici dicuntur illi qui constituunt vnamquamque rem in certa ac determinata specie entis, quales sunt gradus generici & differentiales. Gradus entitatiui verò ij sunt qui constituunt vnãquamque rem intra eandem speciem, modò magis, modò minùs perfectam: vnde definiuntur ab Antonio Andrea 8. Metaphysic. q. 6. & super sex principijs, q. 17.

Quid sint gradus specifici & gradus entitatiui.

Definitur gradus entitatiuus ex Anthonio Andrea. *Portio perfectionalis formæ specificæ, extra eius conceptum quidditatiuum, ipsam formam specificam intra suum conceptum essentialiter includens, inclusa realiter intra conceptum indiuidui.* Cuius quidem descriptionis partes omnes sunt satis euidentes intuenti. Ratione priorum graduum res dicuntur habere essentiam. Ratione posteriorum dicuntur habere entitatem. Et quia essentiæ rerum constant certis & determinatis gradibus; ideò res secundùm gradus illos specificos, sunt indiuisibiles. Quia verò gradus entitatiui sunt illimitati & indeterminati; ideò res secundùm illos gradus, dicuntur esse diuisibiles: & ita entitas est veluti entis quantitas, non quidem molis, sed virtutis, perfectionis, & vigoris. His positis, sit

Prima Conclusio.

Prima acceptio Entitatis. ENtitatis nomen, apud Doctorem Subtilem, frequentiùs vsurpatur pro cuiusque rei maximè præcisa ratione in abstracto. Declaratur. Cùm enim disceptatur de re quapiam, siue sit diuisibilis, siue non; vt est Angelus v.g. & secundùm se præcisè sumitur; solet à nobis exprimi nomine entitatis, dicendo hoc vel illud esse ipsissimam entitatem huius vel alterius rei: & in hoc sensu parùm discrepat entitas ab essentia cuiusque rei. Sicut enim dicimus essentiam hominis consistere in animali rationali: Ita dicimus animal & rationale esse ipsammet entitatem hominis.

Secunda Conclusio.

FRequenter etiam vsurpatur entitatis nomen, vt significet illum modum essentiæ, secundùm quem dicitur diuisibilis, si contingat eam esse diuisibilem. Secunda acceptio Entitatis. Probatur. Nam communis Philosophorum vsus obtinuit, vt quoties res aliqua patitur inæqualitatem & diuisibilitatem aliquam intra eandem indiuisibilem naturam, tunc dicatur diuisibilis entitatiuè, seu secundùm entitatem. Ergo entitatis nomen vsurpatur etiam vt significet modum essentiæ, secundùm quem est diuisibilis, si contingat eam esse diuisibilem. Dico si contingat eam esse diuisibilem: Nam determinabimus sequenti quæstione an entia aliqua sint diuisibilia secundùm gradus entitatiuos, & quænam illa sint.

Dices ex dictis sequi dari rationem aliquam priorem & communiorem Ente, nempe rationem entitatis. Respondeo negando hanc sequelam; quia ratio Entis & entitatis est eadem, varijs tantùm modis significandi expressa.

Occasione huius argumenti dubitabis an de facto nulla detur ratio prior & communior Ente? Cui breuiter respondeo negatiuè: Si enim sint aliquæ rationes quæ videantur communiores ratione Entis; vel illæ sunt secundæ intentiones, vt sunt rationes vniuersalis, transcendentis, & similes; vel sunt proprietates Entis, quæ de facto non magis latè patent quàm Ens ipsum, vt sunt esse idem, & distinctum, & similes.

QVÆSTIO XIII.

Quibus entibus competat entitas diuisibilis secundum magis & minus?



DIFICVLTAS potissimè intenta in hac quæstione est de substantia; an nimirum saluâ authoritate Aristotelis, ea dici possit suscipere magis & minùs. Quamquam autem non sit propriè huius loci hanc rem discutere: tamen ad vberiorem præcedentis quæstionis intelligentiam, & propter rei hîc à nobis proponendæ iucunditatem; libet eam impræsentiarum non prætermittere. Difficultas autem oritur præsertim ex verbis Aristotelis in Categorijs cap. 5. quod est de substantia, vbi habet: *Videtur autem substantia non recipere intensionem & remissionem, non dico substantiam substantiâ non esse magis & minus substantiam: Iam enim dictum fuit hoc esse. Sed dico substantiam quamque non dici magis vel minùs id ipsum quod est. Veluti si hæc substantia est homo, non erit se ipso, aut alius alio magis & minùs homo. Non est enim alius alio magis homo: vt album est aliud alio magis & minùs album, & honestum est aliud alio magis & minùs honestum. Quinimò, idem se ipso dicitur magis & minùs tale: vt corpus, cùm sit album, magis album dicitur nunc, quàm priùs, & cùm sit calidum, magis & minùs calidum dicitur. Substantia verò nec magis substantia dicitur, nec minùs. Nam nec homo magis in præsentia dicitur homo, quàm prius: nec aliud quicquam eorum quæ sunt substantiæ: quare substantia non potest recipere intensionem & remissionem.* Ex his enim verbis habetur expressè substantiam non suscipere magis & minùs.

Nec est quòd dicatur Philosophum esse intelligendum de susceptione magis & minùs secundùm gradus specificos: quia in hoc substantia non differet à qualitate, quippe quæ etiam secundùm gradus quidditatiuos & specificos, non est susceptiua magis & minùs.

Ex alio verò capite habet idem Aristoteles 8. Metaphysic. cap. 3. quòd si substantia suscipit magis & minùs, ea est quæ secundùm materiam est. Quibus verbis intendit, vt ait Scotus in suis Commentariis ad hunc locum, quòd licet natura specifica substantialis, vt specifica, non suscipiat magis & minùs; tamen vt est cum materia, id est, vt est contracta ad esse indiuiduale & materiale, potest suscipere magis & minùs. Idem sentit Alexander Alens. ibidem. Pro huius difficultatis solutione, & totius quæstionis resolutione,

Prænotandum 1. formas aliquas, nimirum saltem accidentarias, suscipere magis & minùs, id est, habere modò plures, modò pauciores gradus suæ entitatis, eâdem manente naturâ & specie rei. Quod quomodo fiat, non satis constat apud Philosophos. Dicunt enim aliqui id fie- Formę quædã suscipiunt magis & minùs.

ri per approximationem vel remotionem à contrario formæ quæ intenditur vel remittitur. Alij per maiorem vel minorem diſpoſitionem ſubiecti. Alij propter maiorem vel minorem radicationem formæ in materia. Alij denique per additionem gradus ad gradum, ſecluſo omni reſpectu ad ſubiectum. Et hanc quidem poſtremam ſententiam tenet Doctor Subtilis in 1. diſt. 17. quæſt. 3. & 8. Metaph. qu. 3. & Antonius Andreas ſuper ſex principia, quæſtione vltimâ, & 8. Metaphyſic. qu. 6. Tenetur etiam communiter ab omnibus. Et quia non eſt huius loci hanc rem diligentiùs examinare; ſufficiat ſi dicamus cum Scoto, tunc rem aliquam ſuſcipere magis & minùs, quando habet maiorem vel minorem quantitatem perfectionis naturalis, & virtutis ſeu vigoris; Ita quòd ſi intra eandem ſpeciem, detur aliquod indiuiduum habens maiorem bonitatem naturalem, quàm aliud; dicatur ſuſcipere magis, & aliud minùs in ipſa præciſa entitate: ſi autem habeat maiorem virtutem ſeu vigorem in operando quàm aliud; dicatur ſuſcipere magis, & aliud minùs in ipſa virtute ſeu potentia entitatis. Et quidem hæc ſuſceptio magis & minùs ſemper ſequitur primam; & vtraque ſaltem reperitur in ſubſtantiis. Datur enim adhuc alia alterius conditionis ſuſceptio magis & minùs intra eandem entitatem indiuidualem, quâ modò minùs, modò magis perfecta eſt; & hæc non reperitur in ſubſtantiis, vt mox dicemus.

Prænotandum 2. formas accidentarias capaces intenſionis & remiſſionis, duobus modis ſpectari poſſe, ſcilicet vel in abſtracto & ſecundùm ſe; vel in concreto & vt in ſubiecto. Priori modo propriè non recipiunt magis & minùs, ſed potius maius & minus; quia magis & minùs denotant ſubiectum receptiuum eſſe tale vel tale ſecundùm gradus formæ receptæ: Maius autem & minus denotant quantitatem perfectionis & virtutis ſeu vigoris formæ, ſecundùm quam poteſt magis vel minùs qualificare ſubiectum receptiuum. Sic v. g. vna albedo non eſt magis vel minùs albedo quàm alia, ſed ſubiectum eſt magis vel minùs album: Vna tamen albedo eſt maior ſeu perfectior & intenſior quàm alia, cùm videlicet habet plures gradus quàm alia: nihilominùs iſta quantitas ſeu latitudo graduum in qualitate explicari ſolet communiter per iſta aduerbia *magis*, & *minus*; ita quòd idem ſit iuxta vulgarem locutionem, albedinem ſuſcipere magis & minùs; ac albedinem habere plures vel pauciores gradus. Eodem modo, ſeruatâ proportione, Natura ſubſtantialis ſpectari poteſt duobus modis; ſcilicet vel in ſe, vel vt in ſuppoſito. Priori modo non ſuſcipit magis & minùs, ſed maius & minus vt ſtatim probabimus. Secundo modo ſuſcipit magis & minùs: & ita tametſi non dicatur vnus homo magis homo quàm alius; tamen, ſi daretur aliquod adiectiuum, expreſſiuum huius vel alterius ta-

Receptiua potiùs ſuſcipiunt magis & minùs, quàm formæ: formæ autem propriè ſuſcipiunt maius & minus.

litatis suppositi, iuxta gradus formæ substantialis; certè denominari posset, per illud aduerbium, suppositum magis vel minùs tale, putà magis vel minùs virile aut humanum.

Suscipere magis & minùs cõtingit dupliciter, scilicet indiuisibiliter, & successiuè per motum.

Prænotandum 3. ex Doctore Subtili. 8. Metaphysic. q. 3. duplicem esse modum suscipiendi magis & minùs, videlicet indiuisibiliter & totum simul, ac diuisibiliter & successiuè per motum. Quæ priori modo suscipiunt magis & minùs, dicuntur habere gradus respectu aliorum eiusdem speciei, non tamen respectu sui, quasi nimirum in illa sua indiuiduali entitate, modò plures, modò pauciores gradus habere possint. Quæ verò suscipiunt magis & minùs posteriori modo, etiam respectu sui, dicuntur habere gradus: Ita quòd eadẽ entitas indiuidualis nũc plures, nũc pauciores gradus habeat.

Hic sẽtit Alexander cum Auerroë formas elementorũ suscipere magis & minùs successiuè & per motum.

Prænotat 4. noster Alexander 8. Metaphysic. text. 10. formarum quasdam propter sui determinationem consistere in esse determinatissimo, & prædicamentali: & tales formæ, inquit, non possunt fundare magis & minùs infra vnam speciem, quia ex quo sunt in esse prædicamentali determinato, à quocumque attinguntur, eodem modo attinguntur, & sub eodem gradu; & per consequens non attinguntur secundùm magis & minùs. Et de talibus formis, verum est quòd in eis non est priùs & posteriùs infra speciem, quia priùs & posteriùs infra speciem, supponunt gradum & gradum infra speciem; quod est impossibile in forma prædicamentali. Aliæ sunt formæ, inquit, quæ consistunt in esse determinato, propter sui appropinquationem ad materiam; ita quòd possunt secundùm magis & minùs participari à materia, quales sunt formæ elementorum: & de talibus non videtur impossibile quòd suscipiant magis & minùs: Magis enim & minùs videntur fundari super formam indeterminatam, hoc est, super formam quæ potest terminari per vim agentis, secundùm diuersos gradus in ipsis indiuiduis: tales igitur formæ propter sui indeterminationem, suscipiunt magis & minùs.

His positis, videamus quid certum sit, & quid controuertitur in hac materia. Certum est imprimis non modò substantiam, sed nec vllum accidens suscipere magis & minùs secundùm gradus specificos. Certum est secundò qualitatem suscipere magis & minùs secundùm gradus entitatiuos & indiuiduales.

Controuertitur autem de substantia; an etiam ipsa secundùm eosdem gradus, suscipiat magis & minùs? Negant multi. Affirmat Auerroës 3. de Cœlo Commento 67. & 4. de Cœlo Commento 4. Henricus apud Doctorem Subtilem 8. Metaphysic. q. 3. Scotus ibidem, Antonius Andr. etiam ibidem. q. 6. sed in hac affirmatiua, vlteriùs controuertitur; an sicut qualitas, sic substantia in eadem indiuiduali entitate paulatim, & per motum intendatur & remittatur? Sustinent Auerroës, Alexander Alens. & Antonius Andreas quòd sic: Scotus & Henricus quòd non. Veritatem sequentibus conclusionibus aperiemus.

Prima

Prima Conclusio.

Substãtia non suscipit magis & minùs secũdùm gradus specificos & essentiales.

NVlla substantia suscipit magis & minùs secundùm gradus specificos & quidditatiuos. Conclusio est communis apud Philosophos, & habetur expressè apud Aristotelem 8. Metaphysic. cap. 3. vbi comparat rerum quidditates numeris, in eo quòd primò quemadmodum numerus est diuisibilis in non diuisibilia, quia est resolubilis in vnitates, quæ ampliùs diuidi non possunt; ita rerum quidditates & definitiones sunt resolubiles ad aliqua indiuisibilia, quia in definitionibus datur status, nec proceditur in infinitum. Secundò in eo quòd, quemadmodum ex additione vel ablatione facta in numeris, variatur species numeri; ita addito vel substracto aliquo à definitione, semper variatur definitio & quidditas definibilis. Tertiò in eo quòd, quemadmodum numerus non suscipit magis nec minùs; ita rerum quidditates & essentiæ non suscipiunt magis & minùs. Hanc veritatem multis confirmat Doctor Subtilis in 1. dist. 17. qu. 3. vbi referens multas authoritates quæ pugnare videntur aduersus susceptionem magis & minùs in gradibus entitatiuis, vt sunt v. g. præter allatas, illa Porphyrij in vocibus cap. de Differentia: quâ dicit differentiam formalem non suscipere magis & minùs. Et alia authoris sex principiorum, quâ dicitur formam in simplici & inuariabili consistere essentia: illas omnes explicat dicendo, non esse intelligendas de gradibus entitatiuis; sed de gradibus essentialibus & specificis; de quibus certè sunt intelligenda etiam reliqua, quæ solent afferri aduersus sequentem conclusionem.

Secunda Conclusio.

Substãtia suscipit magis & minùs secũdùm gradus entitatiuos & indiuiduales, sed non per motũ.

SVbstantia suscipit magis & minùs, secundùm gradus entitatiuos & indiuiduales. Hæc conclusio probari non potest rationibus valdè demonstratiuis & cogentibus, vt ingenuè fatetur Scotus loco superiùs citato: est tamen Aristotelis 8. Metaphysic. cap. 3. vbi dicit: *Quemadmodum nec numerus habet magis & minùs; ita neque substantia quæ secundùm speciem est; sed si est quidem, ea est quæ secundùm materiam est.* Quibus verbis intelligit substantiam vt in materia, & vt in indiuiduis, suscipere magis & minùs. Ita sentiunt præter Scotum, Antonius Andreas 8. Metaphysic. qu. 6. & Alexander Alens. in suis Commentarijs ad locum citatum Aristotelis. Item Faber Fauentinus Theoremate 65. Philosophiæ naturalis, ac etiam Leuinus Lemnius lib. 1. de occultis naturæ miraculis cap. 13. Fauet quidam Articulus Parisiensis, quo erroris arguitur si quis dixerit animam Christi, etiam in substantialibus, non esse perfectiorem animâ Iudæ. Si enim hoc verum sit de anima intellectiua; verum erit absolutè loquẽdo substantiam suscipere magis & minùs. Eadem sententia tribui solet D. Thomæ 1. parte, quæst. 85. art. 7. vbi ait. *Quòd quantò corpus est perfectiùs dispositum, tan-*

Parùm modestè se gerit hic Toletus.

Suadetur animarum inequalitas.

rò meliorem sortitur animam. Et certè quamquam non ignorem ob morbi sæuitiem, ob capiti inflictum vulnus, ob casum denique & concussionem, affecto cerebro, mentem obstupescere; ac è conuerso ex optima dispositione organorum, animam perfectiùs operari; non videtur tamen tanta inæqualitas animarum & operationum earum purè & simpliciter repetenda ex organis corporis hoc vel illo modo affectis; cùm præsertim corpus sit propter animam, non verò anima propter corpus.

Adde quod id vel eò maximè suaderi potest, quia vtraque Schola etiam istam inæqualitatem videtur supponere in animabus separatis. Cùm enim disputatur an inæqualitas visionis beatificæ sit petenda ex sola inæqualitate luminis gloriæ, vel etiam ex inæqualitate naturalis perfectionis intellectus: siue dicatur petenda ex vtroque capite, vt sentit Schola Doctoris Subtilis: siuè ex altero duntaxat vt sentit Schola D. Thomæ: semper supponitur reperiri quandam inæqualitatem naturalis perfectionis, & vigoris in ipsis intellectibus animarum separatarum.

Nec est quòd dicatur ex hoc concludi non debere substantiam animæ suscipere magis & minùs, cùm intellectus non sit substantia, sed qualitas: Nam primò nostra Schola sustinet esse substantiam: Secundò, dato quòd esset qualitas, inæqualitas perfectionis illius qualitatis arguit inæqualitatem substantiæ, cuius est qualitas.

Prætereà, ista tanta & tam insignis inæqualitas perfectionis & vigoris naturalis quæ conspicitur in varijs hominum animis, tota refundi non debet in corporis organa, sed etiam in ipsasmet facultates animæ, atque consequenter in ipsam animam. Quis enim crederet Aristotelis, v. g. Diui Augustini, & Doctoris Subtilis, quibus multi cùm Pico Mirandulano existimant nullos esse comparandos, animas non excelluisse supra animas non modò rusticorum, sed etiam innumerorum aliorum, qui datâ etiam quâuis operâ, semper obtusi permanserunt? Certè illud acumen ingenij, illa soliditas iudicij, ille magnus vigor animi quæ reperiuntur in quibusdam, præ alijs; satis indicant non esse æquales omnium hominum animas: præsertim cùm aliqui hominum nihil differre videantur à brutis: alij verò nihil differre videantur ab Angelis. Nec est quòd occurratur dicendo hoc esse repetendum vel ex organis corporis, vel ex ipsis animæ facultatibus: Etenim semper hæc duo attentè consideranda sunt; nimirum & corpora esse propter animas; & ex perfectione facultatum colligi perfectionem animarum.

Prætereà ita suaderi adhuc potest conclusio. Datur maxima inæqualitas Angelorum, & fortè etiam non specifica; ita quòd intra vnam & eandem speciem reperiatur ista inæqualitas. Ergo idem iudicium fieri potest de hominum animabus.

Addo & id videri pertinere ad diuinam prouidentiam, & sa-

pientiam, vt nimirum ista varietas animorum & commendet diuinam sapientiam, & meliùs perficiat varios effectus, quos diuina prouidentia disposuit. Alij enim ordinati sunt vt doceant, vt præsint, vt ducant, vt instruant; alij vt doceantur, regantur, & alia viliora opera exerceant: & ad hæc maximè confert ista varietas & inæqualitas perfectionis animarum.

Denique id confirmari potest à posteriori, nimirum ex varijs donis supernaturalibus, quibus variè illustrantur animæ: si enim ad decorem summæ beatitudinis conferat illa varietas perfectionis supernaturalis animarum; similiter ad decorem vniuersi confert inæqualitas perfectionis naturalis earundem. Adde quòd iuxta perfectionem naturæ, videtur Deus sua dona distribuere.

Præterea, in cæteris speciebus hæc inæqualitas euidentissimè apparet; contingit enim frequenter duas plantas v. g. eiusdem omninò speciei sub eodem solis aspectu, & in eodem solo existentes, esse inæqualis perfectionis, & vnam longè dulciores fructus producere quàm alteram. Quod certè euenit ob maiorem vigorem facultatis nutritiuæ, atque consequenter formæ substantialis ipsius plantæ.

Contra istam veritatem autem nihil ferè obiici potest, nisi authoritas Aristotelis superiùs allata, ex Prædicamentis capite de substantia; sed illa soluta manet ex prænotatis, vbi diximus Aristotelem esse intelligendum de susceptione magis & minùs successiua, & per motum in eadem entitate indiuiduali, modò minùs, modò magis perfecta; non de susceptione magis & minùs indiuisibili & tota simul: Illa enim nunquam contingit in eadem entitate substãtiali indiuiduali; quippe quæ non est modò minùs, modò magis perfecta: Hæc autē sic; seu potius in tota specie, & in omnibus indiuiduis totius speciei ad inuicem comparatis. Et hoc est quod habet Scotus 8. Metaphysic. q.3. §. *ad quæstionem*, cùm dicit: *Aliud de substantia notandum quòd magis & minus aliter sunt in accidentibus, quàm in substantijs; quia in substantijs magis & minus inducuntur mutatione indiuisibili; in accidentibus, motu continuo.*

Porrò quod spectat ad modum loquendi, dico, quòd licet substantia sit susceptiua graduum, non debet tamen propriè dici suscipere magis & minùs: tùm quia illa denominatio est qualitatiua: tùm quia intelligitur de ijs formis quæ secundùm seipsas absolutè intendi & remitti possunt paulatim, & per motum: cuiusmodi non sunt naturæ vel formæ substantiales. Quare in substantia, licet gradus non sint specifici, sunt tamen in tota specie, quatenus secundùm hos existit in hoc, & secundùm alios existit in alio supposito. In qualitate autem gradus, seu latitudò graduum non est tantùm in tota specie, sed etiam in quolibet indiuiduo absolutè spectato, quod quidem in se, & ratione sui est susceptiuum magis & minùs.

Quid circa modum loquēdi.

Tertia Conclusio.

Nulla substătia suscipit magis & minùs diuisibiliter & per motum.

NVlla substantia suscipit magis & minùs successiuè, diuisibiliter & per motum. Conclusio est Doctoris Subtilis locis citatis, estque communis etiam apud Philosophos, & sic breuiter probari potest.

Si aliqua substantia susciperet magis & minùs diuisibiliter & per motum, maximè formæ substantiales elementorum, vt volunt Auerroës & alij superiùs citati, quæ cùm consistant in esse determinato, propter sui appropinquationem ad materiam, videntur posse suscipere magis & minùs, secundùm quod magis & minùs participari possunt à materia, vt philosophatur noster Alexander. Sed nec formæ substantiales elementorum hoc modo suscipiunt magis & minùs: Ergo nulla substantia hoc modo, nimirum diuisibiliter & per motum, suscipit magis & minùs. Minor probatur experientiâ. Experimur enim formas accidentales elementorum remitti ab agente contrario, & postmodum, recedente ipso contrario, redire ad pristinum statum intensum: non posset autem fieri huiusmodi reditus si etiam formæ substantiales simul cum accidentarijs paulatim remitterentur. Cùm enim huiusmodi reditus fit à forma substantiali, non poterit fieri nisi secundùm virtutem & actiuitatem eius: at forma substantialis remissa non potest producere qualitatem sibi connaturalem in summo. Ergo signum est huiusmodi formas substantiales elementorum simul cum accidentarijs non fuisse remissas. Quædam argumenta proponuntur aduersus hanc conclusionem; sed vel supponunt falsum, nimirum elementa remanere formaliter in mixto; vel solui possunt ex probatione conclusionis. Adde quòd, ne actum agere videamur; super solutionibus eorum videri poterit Faber Fauentinus Theoremate 65. Philosophiæ naturalis cap. 4.

QVÆSTIO XIIII.

Quid sit Essentia?

Quid sit Essentia.



SICVT *ab eo quod est sapere, vocatur Sapientia: sic ab eo quod est esse, vocatur Essentia,* inquit Augustissimus Augustinus XII. de Ciuit. Dei. cap. 11. Attamen vt id intelligatur, & magis innotescat id quod quæritur,

Prænotandum 1. quòd verbum istud, *esse*, ex vi sua infinitiui verbi, significat ipsum actum essendi, sicut currere actum ipsum currendi; & in hac significatione grammaticali, *esse* idem est re & ratione ac existere, atque consequenter hoc modo essentia erit idem ac existentia re & ratione, solúmque grammaticaliter, & nominibus different, & hoc sensu est intelligendus Gabriel in 3. dist. 6. q. 2. art. 1. notabili 2. vbi habet, *quòd existere non differt ab esse, nam existere est esse actualiter, & hoc idem est esse, nam quod non est actualiter simpliciter non est. Est ergo idem esse, & actualiter esse, & per consequens idem esse & existere.*

Iuxta hanc eandem significationem grammaticalem, esse, ens, & essentia non differunt secundùm rem significatam, inquit idem Gabriel ibidem notabili 1. sed tantùm secundùm rationem significandi, quia vnum est verbum, aliud participium, & aliud abstractum vtriusque; & sic ens idem erit ac habens esse actu, seu existens, & essentia id quo aliquid est actu, sicut existentia id quo aliquid existit. Nihilominus quia in qualibet dictione non est spectanda sola vis, sed etiam vsus eiusdem, ideò ex vsu Philosophorũ & veterum Theologorum præsertim nostrorum Richardi, Scoti, Ocham, de Bassolis, & Gabrielis, esse non sumitur communiter ad significandum ipsum actum essendi, sed vt est indifferens ad esse essentiæ, esse existentiæ, esse subsistentiæ, & esse propositionale, vt loquuntur Gabriel & Bassolis in 3. dist. 6. & quidem esse essentiæ, apud illos, significat gradum essendi; esse existentiæ non gradum solùm, sed & actum essendi; esse subsistentiæ gradum existendi incommunicabiliter; & esse propositionale complexionem prædicati cum subiecto in aliqua propositione. Et secundùm hanc distributionem, esse essentiæ, ens, & essentia non differunt etiam nisi in modo concipiendi, inquit Scotus noster in 3. dist. 6. q. 1. Et quemadmodum esse essentiæ hoc pacto significat tantùm gradum essendi, & non actum; sic & ens & essentia, sed varijs rationibus grammaticalibus, vnum scilicet in concreto, & aliud in abstracto. Et hinc orta est illa duplex significatio huius vocis ens, quà nimirum primò significat, vt participium, ipsum actum essendi quatenus formatur à verbo, *esse*, secundùm vim suam spectato, & quà secundò significat vt nomen, gradum essendi, quatenus formatur à verbo, *esse*, ex vsu Philosophorum determinato, & applicato ad esse essentiæ. Quam duplicem significationem agnouit etiam Alexander noster 4. Metaphysic. text. 14. his verbis: *Primo modo accipiendo ens, illud vocatur ens quod habet essentiam; secundo modo accipiendo ens, illud vocatur ens quod habet essentiam actualem.*

Iam controuertitur quomodo differant esse essentiæ & esse existentiæ, seu essentia & existentia; sed hanc controuersiam dirimemus inferiùs. Solùm hæc dicta sint vt intelligatur quàm benè dixerit D. Augustinus essentiam quocumque modo spectatam, ab esse fuisse vocatam.

Prænotandum 2. quemadmodum superiori quæstione prænotauimus de entitate, nomen essentiæ quantumuis sit ortum ab esse vel ente, ex vsu tamen Philosophorum non significare solam & nudam rationem essendi in abstracto, sed id omne quod in qualibet re est primum & radix cæterorum, & quod vnamquamque rem in suo esse specifico constituit. Cùm enim dicitur essentia hominis v. g. nomine essentiæ non debet intelligi sola ratio essendi hominis in abstracto; sed natura tota hominis constituta ex gradibus essendi, subsistendi, viuendi, sentiendi, ratiocinandi, & cæteris. Quod

Essentia non significat solum gradum Entis in abstracto.

dico propter aliquos, qui existimant hominem v. g. quatenus constat essentia & existentia, esse ens. Essentia enim hominis non dicit simpliciter gradum entis, sed talis entis. *Author essentiarum omnium, alijs dedit esse ampliùs, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit*, inquit D. Aug. 12. de Ciuitate Dei cap. 2.

Prænotandum 3. nomen essentiæ, quidditatis, naturæ, & rationis formalis idem penitus significare, & differre tantùm penes varias habitudines, per quas semper vnam & eandem rem explicant: Dicitur enim essentia, tanquam id quo aliquid est hæc vel illa species entis, & cui competit vel competere potest existentia: essentia enim propriè dicitur per ordinem ad existentiam. Quidditas autem est id quo res est aliquid & constituitur per prædicata vel principia, per quæ respondetur cùm quæritur quid illa sit? Dicitur autem natura id quod in re quauis primum est, & radix proprietatum illius rei, à nascendo, quia proprietates ab ea nascuntur: *Ipsa natura* inquit D. Aug. lib. 2. de moribus Manich. cap. 2. *nihil est aliud quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque vt nos iam nouo nomine, ab eo quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque etiam substantiam nominauimus: Ita veteres qui hæc nomina non habebant, pro essentia naturam nominabant.* Dicitur denique ratio formalis id quod formaliùs, principaliùs, & expressiùs in qualibet re concipitur. Tamen, vt pressiùs & expressiùs loquamur, non omnis ratio formalis est essentia vel natura: Cùm enim essentia sit id quo primùm res est, & quod in re primum concipitur, videtur in re ipsa debere esse aliqua alia, quæ insint tantùm secundariò, & secundariò etiam in ipsa concipiantur; putà modos & proprietates, quæ quamuis etiam suas habeant essentias & naturas; ne tamen confundamus naturas rerum, cum rationibus proprietatum earum; meliùs erit rationem formalem alicuius determinati entis & naturæ appellare nomine essentiæ, & rationem rei quæ consequitur naturam, appellare nomine rationis formalis; quamuis hoc discrimen apud rectè philosophantes sit parui momenti. His positis, sit

Prima Conclusio.

Cvm essentia sit id omne, quod in vnaquaque re primum est, non potest propriè definiri à priori, sed vel describi, vel explicari aut per ordinem ad effectus, vel passiones rei, cuius est essentia, vel per ordinem ad nostrum modum concipiendi & loquendi. Ita philosophatur Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 2. sect. 4. numer. 5. Explicatur, simulque probatur conclusio. Essentia propriè definiri non potest à priori.

Primo modo dicimus essentiam rei esse id quod est primum & radicale ac intimum principium omnium actionum, ac proprietatum quæ rei conueniunt; & hac ratione dicitur natura ex Aristotele 5. Metaph. text. 5. quasi

sit id vnde aliquid nascitur. Secundo modo dicimus essentiã rei esse id quod per definitionem explicatur, vel quod primò concipitur in re: Primò, inquam, non ordine originis: Priùs enim concipimus ea quæ sunt extra essentiam rei; sed ordine nobilitatis & naturæ: nam illud est de essentia rei, quod concipimus primò illi conuenire, & per quod intelligimus ipsam rem primò constitui: & hoc modo essentia vocatur etiam quidditas in ordine ad locutiones nostras; quia est id per quod respondemus ad quæstionem; quid sit res? Ex his inferes ea sola prædicata ad essentiam cuiusque rei pertinere tanquam verè constitutiua & completiua eius, sine quibus res quæque in sua completa ratione concipi non potest.

Secunda Conclusio.

Multiplex est essentia.

QVotuplex est Ens, totuplex est essentia: quia essentia dicitur ab esse. Ideóque cùm Ens aliud sit potentiâ, aliud actu, aliud simplex, aliud compositum, aliud substantia, aliud accidens: Ita essentia, alia est actu, alia potestate, alia simplex, alia composita, alia substantialis, alia accidentaria. Essentia actu est, quo aliquid actu est in determinato genere rerum, vt essentia Angeli vel hominis actualiter existentis. Essentia potestate, vel possibilis, est natura possibilis cuiusdam totius possibilis, per quam ipsum potest constitui in certo & determinato genere rerum.

Dubitabis an essentia possibilis dici possit realis? Et ratio dubitandi est, quia Scotus noster in primo, dist. 37. q. vnicâ, docet contra Henricum, res nullum habuisse esse reale essentiæ antequam crearentur, cùm tamen sic essent possibiles; & consentiunt Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 31. sect. 2. & reliqui Philosophi & Theologi; vnde sequi videtur essentiam possibilem non debere dici realem. Ex alia parte verò docetur communiter ad rationem Entis realis, non requiri actualem existentiam; sed sufficere quòd illud nullam inuoluat repugnantiam, & sit aptum esse, seu realiter existere; ex quo sequitur Ens possibile esse reale, ac per consequens essentiam possibilem esse realem. Huic dubitationi breuiter sit satis, dicendo essentiam possibilem esse realem realitate obiectiuâ, diminutâ, & secundùm quid; non autem realitate subiectiuâ, & simpliciter. Et ad rationes dubitandi dicitur Scotum nostrum & reliquos Theologos non negare essentijs possibilibus istam realitatem diminutam & obiectiuam; sed tantùm realitatem simplicem, qualem illis videtur assignare Henricus. Volebat enim res per creationem non acquirere nouum quoddam esse essentiæ, sed tantùm nouum esse existentiæ: Vnde quemadmodũ essentia actu existẽs est realis realitate propriâ, & independente à realitate existentiæ: Ita si non est de nouo condita, oportet eam ab æterno fuisse realem propria realitate independente à realitate existentiæ. Hoc autem solùm impugnat Scotus. Nomine itaque

Quomodo essentia possibilis dici possit realis.

essentiæ realis intelligunt Metaphysici essentiam quæ vel realitate possibili, vel realitate simplici est realis, quatenus illam distinguant ab essentia ficta & rationis; cùm tamen essentia possibilis, vt in se, nihil sit. Consentit Caietanus huic Doctrinæ de Ente & essentia, cap. 4. q. 6. vbi dicit Ens reale dupliciter accipi: vno modo vt distinguitur contra Ens fabricatum ab intellectu, quod propriè est Ens rationis; alio modo vt distinguitur contra non existens actu. Essentia ergo creaturæ secundùm se, est Ens reale, priori modo, scilicet in potentia; non verò posteriori modo & in actu, quod est propriè esse Ens reale. Vno verbo, si essentia creaturæ præcisè ac secundùm se sumpta, & nondum facta, consideretur vt actu Ens, vel ei tribuatur actu esse; sic vel non est consideranda in se, sed in sua causa, nec habet aliud esse reale ab esse suæ causæ; vel si consideretur ac in se habens esse, sic verum est secundùm eam considerationem non esse Ens reale, sed rationis seu cognitum, vt loquitur Scotus, quia non est in se, sed obiectiuè tantùm in intellectu.

Essentia simplex ea est, quæ nec est cómposita ex multis gradibus, quorum vnus sit actus & alius potentiâ; nec est vllâ ratione cum alio componibilis. Huius rationis est sola essentia diuina, in qua reperiuntur quidem distinctæ rationes formales, illæ tamen non efficiunt compositionem, vt docet Scotus varijs in locis in primo. Essentia compósita est quæ constat multis gradibus componentibus, quorum vnus sit actus, & alius potentia; vel quæ constat vnico, qui est in potentia ad vlteriorem possibilem vel actualem, cum quo est componibilis; & hoc modo docet Doctor Subtilis in 1. dist. 8. q. 1. omnem essentiam creatam esse compositam, & confirmatur per D. August. 6. de Trinitate cap. 6. vbi dicit quòd nulla creatura est in se simplex. Sic autem breuiter philosophatur Scotus super hac re. *Concedo igitur*, inquit, *quòd aliqua creatura est simplex, hoc est, non composita ex rebus. Tamen nulla creatura est perfectè simplex, quin aliquo modo sit composita vel componibilis, & quomodo composita declaro sic; quia habet entitatem cum priuatione alicuius gradus entitatis. Nulla enim creatura habet entitatem, secundùm totam perfectionem, qua nata est competere entitati in ipsa, & ideò priuatur. Sicut talpa dicitur esse cæca, quia nata est habere visum secundùm rationem animalis, non secundùm rationem talpæ, secundùm Philosophum lib. 5. Metaph. cap. de priuatione. Componitur igitur non ex re, & re positiuis, sed ex re positiua & priuatione, id est ex entitate aliqua quam habet, & ex carentia alicuius gradus perfectionis entitatis, cuius ipsum non est capax; tamen ipsum Ens est capax. Sicut talpa, secundùm se non est nata videre, sed secundùm quod animal nata est videre. Nec tamen ista compositio ex positiuo & priuatiuo est in essentia rei. Quia priuatio non est de essentia alicuius positiui.* Quomodo omnis creatura sit cõposita.

Ad istam etiam compositionem, *sequitur*

ſequitur compoſitio actus, & potentia obiectiuæ. Quicquid enim eſt Ens, & caret aliqua perfectione Entis, eſt ſimpliciter poſſibile, & terminus potentiæ ſimpliciter, cuius terminus non poteſt eſſe Ens infinitum, quod eſt neceſſe eſſe.

Eſt etiam qualibet creatura componibilis. Quod patet de accidente, quod eſt componibile cum ſubiecto. In ſubſtantia etiam patet, tam de forma, quàm de materia. De ſubſtantia etiam per ſe generabili & corruptibili patet quòd eſt receptiua accidentis, nulla igitur ſubſtantia eſſet non receptiua, niſi propter perfectionem ſui. Sed perfectiſſima intelligentia eſt receptiua accidentis, quia capax eſt ſuæ intellectionis & volitionis, quæ non eſt ſubſtantia illius.

Quot modis rerum eſſentiæ componantur. Omnis eſſentia verè compoſita, conſtituitur vel ex materia & forma, vt eſſentia Phyſica; vel ex genere & differentia, & hæc duobus modis, vel pro materiali, vel pro formali: ex genere & differentia pro materiali, vt Eſſentia Metaphyſica; ex genere & differentia pro formali, vt eſſentia Logica. Quod enim docent multi compoſitionem Logicã eſſe ſimpliciter ex genere & differentia, & Metaphyſicam fieri ex actu & potentia, non ſatis rem explicant: quia commune eſt omni planè compoſitioni tùm Phyſicæ, tùm Metaphyſicæ, tùm Logicæ, vt fiat ex actu & potentia; quia dantur actus & potentia Phyſica, actus & potentia Metaphyſica, actus & potentia Logica, quamuis etiam alio ſenſu potentia Logica ſoleat accipi pro non repugnantia.

Sunt aliæ quædam compoſitiones Phyſicæ & Metaphyſicæ, ſed hîc loquimur ſolùm de compoſitione eſſentiarum, vel de eſſentijs compoſitis. Porrò eſſentia ſubſtantiæ, & eſſentia accidentis patebunt ex dicendis de ſubſtantia & accidente.

Tertia Concluſio.

POtiſſima proprietas eſſentiæ eſt quòd ſit indiuiſibilis: ſuadetur declarando duos modos quibus contingit eam eſſe indiuiſibilẽ, primò quia æqualiter omninò participatur ab ijs quorũ eſt eſſentia, ſicut eſſentia animalis v. g. quæ ęqualiter participatur ab homine & à bruto. Secundò, quia ſi eſſentiæ quippiam etiam vel minimum addatur aut minuatur, ſtatim mutatur & fit alia eſſentia; quâ ratione dixit Philoſophus 8. Metaphyſic. cap. 3. ſubſtantias ſeu eſſentias eſſe aliquo modo numeros: *Quemadmodum enim*, inquit eò loci, *ſi quid eorum ex quibus numerus conſtat, ſublatum à numero, aut additum fuerit, non idem numerus, ſed diuerſus emergit, etiam ſi minimum fuerit illud: ſic neque definitio, neque quidditas vlterius eadem erit, ſi ablatum ab ea quidpiam, aut additum ei fuerit.* Exemplum addit Scotus apud Anthonium Andream in Commentariis ad hunc locum, ſubſtantia animata ſenſibilis eſt quidditas ſiue definitio animalis. Si verò ſubſtrahatur ſenſibile, ſtatim conſtituitur quidditas ſiue definitio plantæ, ex quo patet quòd quidditas ſeu eſſentia ſpecifica rei in indiuiſibili conſiſtit.

QVÆSTIO XV.

An rerum essentiæ sint æternæ.



VÆSTIO procedit potissimùm de rerum creatarum essentiis: Nam essentiam diuinam esse secundùm existentiam & durationem æternam, probant Theologi, vbi de Dei æternitate disputant. Quamuis autem Doctoris Subtilis sententia super hac re sit communis, clara & facilis; tamen aliqui, nescio quo animo, eam adeò lacerant & peruertunt, vt aliam omninò doctrinam ad nutum fingentes, & hæresis insimulantes, impingant & attribuant Scoto ea quę nunquam in mentem eius venerunt. Ita Bannes in 1. p. Diui Thomæ q. 14. art. 6. & qu. 15. art. 1. Vbi dicit sententiam Scoti super quæstione proposita esse chymæricam, & parum fidei consentaneam, & videri eandem cum illa quam refert Vvaldensis lib. 1. de antiquitate fid. cap. 8. Ex Vvicleff. libro de Ideis, vbi asserebat, inquit, Ideas nihil aliud esse quàm creaturas secundùm esse reale, quam habent ab æterno. Ita etiam Caietanus 1. p. qu. 34. art. 3. vbi dicit productionem creaturarum ab æterno, in esse cognito, esse chymæricam, & periculosam, ergo non esse admittendam; quia ex ea, inquit, sequitur Deum non posse esse, quin sint creaturæ in illo esse cognito, & diminuto, quod in Philosophia ridiculum, in fide verò scandalum videtur. Et ita, inquit noster Rada, in 1. controuers. 29. art. 3. in fine quæsiti secundi, innocens Scotus ab his qui eum ignorant, impugnatur & irridetur, cùm ipsi potius risu digni sint, qui ob crassum suum ingeniũ, & materiæ nimis immersum, Scoticã disciplinam à materialibus cõceptibus maximè eleuatã, haudquaquam attingere possunt. Et certè illi, velint nolint, coguntur conformiter suis principiis de distinctione reali existentiæ ab essentia, tenere sententiam, quam imponunt Scoto, & impugnant tanquam ipsius, scilicet essentias rerum secundùm esse reale essentiæ, æternas esse. Nam hoc est eorum præcipuum fundamentum, vt dicant essentiam & existẽtiam distingui realiter: quemadmodũ videre est apud Raphaëlem Ripam de ente & essentia cap. 5. qu. 6. Dicunt enim: Res secundùm esse essentiæ sunt æternæ: non sunt autem æternæ secundùm esse existentiæ. Ergo essentia & existentia in rebus creatis distinguuntur realiter. Sed de hac re disputabimus inferiùs ex professo.

Alij longè perspicaciori mentis acumine præditi, mentem Scoti meliùs capientes, ipsum ab his calumnijs vendicant, vt Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 31. per totam sectionem secundam, & Gabriel Vasquez in 1. p. D. Thom. disp. 70. c. 2. circa medium, & disp. 104. cap. 3. Et quia non solùm Philosophis, verùm etiam Theologis scribo; Philosophicis quædam Theologica miscebo, vt ni- *Liberatur Scotus à calumniis.*

hil ad hanc rem pertinens intactum relinquatur.

Triplex esse creaturarum virtuale, cognitũ, & reale.

Prænotandum itaque primò triplex esse creaturarum distingui posse, scilicet virtuale, cognitum, & reale. Esse virtuale illud est quod habent in sua causa secundùm quod produci possunt ab illa; quod ideò non tàm esse creaturarum, quàm esse ipsius causæ dici debet. Sic lapidem in Deo contineri virtualiter, seu lapidem habere esse virtuale, nihil aliud est quàm esse Dei vt potentis producere lapidem; sicut esse caloris in sole, nihil aliud est quàm esse solis vt potentis producere calorem, & esse rosæ in roseto, ipsummet esse roseti vt potentis verno tempore producere rosam. Esse cognitum quod ab alijs obiectiuum dicitur, illud est secundùm quod ab intellectu diuino cognoscuntur, cui naturale est omnia producibilia cognoscere, antequam producantur. Et de hoc esse cognito scribit Scotus noster in 1. dist. 3. q. 4. & dist. 45. q. vnicâ, & dist. 36. q. vnicâ, & in 2. dist. 1. q. 1. & in quodlibetis q. 1. & q. 14. Et est illud esse quod adeò grauiter impugnant prædicti Thomistæ, quia falsâ quadam imaginatione delusi arbitrantur Scotum voluisse illud, esse aliquo modo reale, vel saltem, vt loquitur Bannes, medium quoddam inter ens reale & ens rationis: Cùm tamen, vt dicit Gabriel Vasquez, id ne quidem per somnium Scotus cogitauerit, vt etiam videbimus inferiùs. Esse reale, quod alij vocant actuale, illud est quod creaturæ habent extra suas causas secundùm veram & propriam existentiam, quale est illud quod nunc habent Angeli, homines, cœli, &c.

Prænotandum 2. triplicem assignari posse potentiam, logicam, obiectiuam, & subiectiuam. Potentia logica nihil est aliud apud Scotum, quàm non repugnantia terminorum: & hoc sensu quidquid est etiam summè necessarium, vt Deus, dicitur possibile. Potentia obiectiua est potentia rei ad existendum, cuius terminus est existentia actualis extra causas; & hæc potentia non est modus aliquis essendi positiuus eius rei quæ in potentia esse dicitur, vt quidam volunt Scotum nostrum existimasse: Nam vt optimè aduertit Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 31. sect. 3. num. 2. Scotus vocauit ens in potentia obiectiua, ipsum ens possibile, quia se habet vt obiectum potentiæ productiuæ. Possibilitas autem illa obiectiua entis possibilis ex parte illius solùm dicit vel supponit non repugnantiam vt fiat: ex parte verò extrinsecæ causæ dicit virtutem ad illud efficiendum. Et quidem quatenus dicit non repugnantiam vt fiat, dicitur possibilitas logica, quæ apud Scotum, est non repugnantia: quatenus autem respicit virtutem causæ extrinsecæ à qua fieri potest, dicitur possibilitas obiectiua. Et quia prius est non esse repugnantiam in re, quàm obiici virtuti causæ vt fiat: ideò egregiè dixit Scotus noster in 1. dist. 36. q. vnicâ, in fine, Possibilitatem obiectiuam consequi possibilitatem logicam, seu non repugnantiam.

Hic non cepit mentem Scoti Gabriel Vasquez.

Circa hoc breuiter aduerte Gabrielem Vasquez virum aliàs in citandis, referendis, & explicandis authorum placitis accuratissimum 1.p.q.104. cap.3. non omni ex parte cepisse mentem Doctoris Subtilis, cùm dicit ipsum voluisse possibilitatem entis possibilis causari ab intellectu diuino, & res non esse possibiles, vel impossibiles seipsis. Nam loco nunc citato ita scribit Scotus: *Quare homini non repugnat esse & Chymaeræ repugnat? Ratio est, quia hoc est hoc, & illud est illud, & hoc in quocumque intellectu concipiente. Quia quidquid repugnat alicui formaliter, ex se repugnat ei; & quod non repugnat formaliter, ex se non repugnat: Nec est hoc fingendum quod homini non repugnat, quia est ens in potentia; & Chymaera repugnat, quia non est ens in potentia, imò magis è conuerso, quia homini non repugnat, ideò possibile est potentiâ logicâ: & quia Chymæra repugnat, ideò est impossibile impossibilitate oppositâ: & istam possibilitatem consequitur possibilitas obiectiua, & hoc suppositâ omnipotentiâ Dei, quæ respicit omne possibile, dummodò sit aliud ab illo. Tamen illa possibilitas Logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret. Prima igitur omninò ratio & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat esse, est quia homo formaliter est homo, & hoc siue in re realiter, siue in intellectu conceptibiliter: Et prima ratio quare Chymæræ repugnat esse est Chymæra, in quantum Chymæra.*

Res possibilis seipsâ est possibilis.

Explicatur locus Scoti.

Id verò quod habet idem Scotus in eodem 1. dist. 43. q. vnicâ. *§. aliter dico*, nimirum ens possibile habere quòd sit primò possibile ab intellectu diuino producente in primo instanti illud in esse intelligibili, non debuit mouere Gabrielem Vasquez; quia non vult eò loci ens possibile habere suam possibilitatem præcisè & formaliter ab intellectu diuino; sed hunc processum seruari debere, primò scilicet & in primo instanti (loquitur autem de primo instanti comparatè ad reliqua sequentia, non absolutè) ante quod creatura nullum habet esse, nec reale, nec possibile, nec intelligibile, intellectum diuinum producere illam in esse intelligibili simul & intellecto; quia, vt fusiùs dicemus inferiùs, creatura non priùs habet esse intelligibile, quàm intellectum respectu Dei: in secundo verò instanti naturæ habere seipsâ esse possibile; *quia*, inquit, *seipsâ formaliter non repugnat sibi esse*. In 3. denique instanti esse obiectum diuinæ omnipotentiæ. Cùm ergo apertè dicat Scotus creaturam in illo secundo instanti, habere seipsâ esse possibile, quia seipsâ formaliter non repugnat sibi esse; non debuit ab hac sententia, quam, capite sequenti, Vasquez approbat, arcere Scotum nostrum: quò enim plures Patronos illius sententiæ adhibuisset; eò probabiliorem illam reliquisset. Habet igitur, addit Lychetus, lapis v. g. esse possibile ex se formaliter, quia per rationem intrinsecam: Si enim quæratur quo lapis potest verè existere: Respondetur quòd est talis entitas cui non repugnat formaliter existere: Et sic quiddi-

Vnde petatur possibilitas rerum.

Possibilitas rerum petitur à seipsis intrinsecè, & ab intellectu diuino extrinsecè.

tas lapidis est ratio formalis, quare lapidi non repugnat formalis existentia, & per ipsam quidditatem potest à priori demonstrari aptitudo existendi; vt patet à Scoto in 2. dist. 1. q. 3. Reducendo tamen istud quasi ad primum principium extrinsecum, intellectus diuinus erit illud à quo est prima ratio possibilitatis in lapide, ita quòd loquendo de ratione extrinseca, siuè originatiua, siuè productiua dante esse tale vel tale, intellectus diuinus, siue actus intellectus diuini, est ille qui producit lapidem in tali esse possibili.

Potentia subiectiua quid? Potentia subiectiua est potentia subiecti ad formam vel substantialem, vel accidentariam: quare terminus eius est hæc vel illa forma recipienda.

Prænotandum 3. quòd cùm duplex aliud distinguatur esse rerum, nimirum essentiæ & existentiæ: dubitari an secundùm vtrumque, vel alterum; putà secundùm esse essentiæ, vel neutrum, essentiæ sint æternæ? Qui ponunt mundum esse ab æterno; volunt consequenter res secundùm vtrumque esse, æternas esse. Conformiter principijs fidei aliter sentire tenemur. Referunt Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 31. sect. 2. num. 1. & Vasquez in 1. p. disp. 70. cap. 1. quendam errorem Vviclefi damnatum in Concilio Constantiensi, quo dicebat creaturas ab æterno habuisse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei. Item quòd omnis creatura esset Deus: Imò & quodlibet esset Deus. Sed de hac sententia quam etiam ipsi

Error Vviclefi de esse reali rerũ ab æterno.

variè explicant, parum nobis curandum est. Scotus noster in 1. dist. 36. q. vnicâ refert & impugnat opinionem Henrici, qui varijs locis asseruit essentias rerum ex se habere quoddam esse essentiæ, quod vocat esse reale, æternum, & improductum, conueniens creaturis independenter à Deo, quodque in eis supponitur, non solùm ante efficientiam, sed etiam ante scientiam Dei, vt ratione illius possint esse obiecta scientiæ diuinæ, & fundare relationem ad Deum cognoscentem. Hæc sententia abhinc aliquot annis reuixit apud aliquos, alioquin doctos & subtiles, in Vniuersitate Parisiensi, qui existimantes realitatem essentię non peti ab existentia; sed essentiam esse realem seclusâ existentiâ; consequenter docuerunt essentias esse reales ab ęterno, licet tantùm in tempore cœperint existere.

Prænotandum 4. nullam essentiam creabilem fuisse realem antequam creata sit; quia ante creationem nihil erat præter Deum: vnde quicquid erat pręter ipsum, nihil erat, quod tàm de vniuersalibus, quàm de particularibus essentijs verum est; non quòd existentia sit id quo formaliter essentia est realis; sed quia realitas quæ est alius modus essentiæ non competit essentię antequam existat. Cuius rei ratio est, quia tunc res existit cùm ponitur extra suas causas: Cùm autem ponitur extra suas causas, ponitur etiam extra nihil, quia eâ ratione competit ei existentia, quia ponitur extra suas causas; & eâ ratione quia

Nihil creatũ reale ab æterno.

ponitur extra nihil, competit ei realitas; & quia etiam hæc duo simul ei competunt, ideò non priùs essentia est realis, quàm existens. Nec est quòd dicant essentiam in suo conceptu formali includere aliquam realitatem, & aliquod verum esse. Nam vel ratio essentiæ est in re, vel in intellectu tantùm; putà animal rationale in Petro, vel in intellectu diuino concipiente illud antequam sit in Petro. Primo modo ratio essentiæ est realis quidem, sed illa realitas non competit ei antequam existat. Secundo modo non est realis sed tantùm diminuta vel intellecta; nisi dicatur quòd est realis realitate aptitudinali, potentiali, & obiectiuâ.

Ad id autem quòd dicunt essentias rerum secundùm se esse magis vel minùs perfectas, & non quia existunt & sunt extra suas causas; non posse autem esse tales, nisi secundùm aliquod esse verum & reale, quod cùm non sit esse existentiæ, habebunt aliud esse reale ab illo esse per quod existunt. Ad illud, inquam, dico essentias quidem rerum esse inæquales, & istam inæqualitatem non peti ab existentia; imò verò, vt docet Doctor Subtilis in 2. dist. 3. qu. 3. inæqualitatem existentiarum peti ab inæqualitate essentiarum; sed peti ab ipso esse essentiæ, seu à varijs gradibus ipsarum essentiarum, qui tamen gradus non valent ponere istam inęqualitatem realem & actu, nisi beneficio existentiæ, per quam cùm sint actu, ponunt etiam ipsam inęqualitatem actu. Et licet philosophemur de essentijs illis inęqualibus, pręcisâ existentiâ; & scientię etiam sint de illis tanquam de veris entibus realibus, tametsi non existentibus; non philosophamur tamen de illis, nec habentur scientię de illis, vt sic, nisi tanquam de essentiis realibus realitate possibili, non actuali: vnde dico quòd hominem esse animal rationale, antequam existat homo, nihil est aliud quàm aliquid esse ita conceptum & intellectum ab intellectu diuino, vel non repugnantia aliqua terminorum, & potentia aliqua logica, quam sequitur obiectiua; non verò entitas aliqua, aut realitas actualis. His positis, sit

Prima Conclusio.

Res creatę non sunt ęternę, nec secundùm esse essentię, nec secundùm esse existentię, nec secundùm vllum aliud esse reale. Hęc sententia est expressa Doctoris nostri contra Henricum in 1. dist. 36. q. vnicâ. Vbi habet quòd res ab ęterno sunt nihil, prout nihil dicit negationem essentię & existentię. Et probatur sic ab ipso principaliter, quod ad esse essentię. Lapis v. g. præ habuit verum esse reale ante sui productionem in esse existentię. Igitur quando producitur à Deo, non producitur de nihilo, & per consequens non creatur, & ita nulla creatura erit creata, quod est alienum à fide. Res creatæ nō sunt æternæ secundùm vllum esse reale.

Aliter alij formant istam ratiocinationem sic: Illud cuius essentia prępsupponitur suę pro-

ductioni, per illam productionem non creatur: Sed secundùm Henricum, essentia creaturę pręsupponitur suę productioni. Ergo non creatur. Major probatur: Quia sicut illud cuius materia intrinseca, & ex qua, pręsupponitur suę productioni, non creatur; sic nec illud cuius essentia præsupponitur suę productioni.

Secundò, Si creatura ante sui productionem in esse existentię, haberet esse essentiæ reale, sequeretur quòd nulla res posset annihilari. Probatur. Sicut enim quando producitur, producitur de ente secundùm essentiam; ita quando corrumpitur, videtur redire in Ens secundùm essentiam, & non in nihil. Hoc autem est absurdum. Ergo & id vnde sequitur.

Occurritur responsionibus in contrarium.

Respondent quod ad hoc vt aliquid creetur de nouo, & annihiletur, sufficit vt fiat ex non existente, & redeat in non existens; non autem quòd fiat ex sola essentia, præsertim vniuersali, & redeat in essentiam. Contrà: Ad veram creationem oportet tantùm præcessisse nihil absolutè & simpliciter: aliàs si sufficiat præcessisse nihil tantùm secundùm quid, nulla dabitur mutatio perfectiua, quæ aliquâ ratione dici non possit creatio. Ergo illa essentia vniuersalis quæ præcedit generationem, est nihil absolutè & simpliciter.

Confirmatur præsertim de annihilatione; quia annihillatis omnibus singularibus, annihilantur quoque naturæ vniuersales. *Ablatis primis substantijs, impossibile est aliquid remanere*, inquit, Arist. in Prædicamentis, cap. de substantia. Et quando res desinit esse, nomen perdit & definitionem ex Auerroë 1. Physic. Comment. 63. Ergo annihilationi nihil succedit.

De propositionibus sempiternæ veritatis.

Et certè doctrina istorum falso nititur fundamento, eo quia nimirum existimant propositiones quas vocamus sempiternæ veritatis, vt sunt hominem esse risibilem, animal esse corpus sensitiuum, & similes, non posse esse veras, nisi dicant aliquid reale; ac proinde cùm sint veræ ab æterno, debere quoque dicere aliquid reale ab æterno; sicque essentias secundùm esse essentiæ verum & reale, æternas esse. Hoc, inquam, est falso niti fundamento; quia in propositionibus illis, habetur tantùm ratio sempiternæ veritatis earum fundatæ in necessaria connexione & habitudine extremorum earumdem: & quia necessaria illa connexio ante existentiam extremorum, nihil aliud dicit quàm vnum aliquod possibile esse de ratione alterius possibilis; hoc est quando ipsum erit, necessariò erit hoc vel illud; certè sempiterna illa veritas satis potest intelligi absque aliquo reali actuali esse essentiæ. v. g. hæc propositio: Homo est animal, est sempiternæ veritatis, siuè homo existat; siuè non: veritas autem illa consistit in eo quòd non potest esse homo, quin sit animal: vnde cùm antequam existant homo & animal; homo & animal, sint extrema tantùm possibilia: hominem esse animal, antequam homo & animal existant, non est

aliquid reale actuale, sed tantùm aliquid reale possibile, scilicet hoc extremum possibile, animal, esse de ratione huius extremi possibilis, hominis videlicet. Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 31. sect. 2. num. 8. confirmat egregiè totam hanc doctrinam, vbi respondendo ad quoddam argumentum, quo arguebatur prædicata essentialia ab æterno verè prædicari, aut prædicari posse de essentia; omnem autem veritatem fundari in aliquo esse, dicit: Nunc breuiter respondetur cum D. Thoma 1. p. quæst. 10. art. 3. ad tertium, ab æterno non fuisse veritatem in illis propositionibus, nisi quatenus erant obiectiuè in mente diuina, quia subiectiuè seu realiter non erant in se: neque obiectiuè in alio intellectu: Vt autem vera esset scientia quâ Deus ab æterno cognouit hominem esse animal rationale, non oportuit essentiam hominis habere ex æternitate, aliquod esse reale in actu; quia illud esse non significat actuale esse & reale, sed solam connexionem intrinsecam talium extremorum: Hæc autem connexio non fundatur in actuali esse, sed in potentiali.

Dices per illam scientiam non cognosci hominem posse esse animal rationale, sed necessariò esse animal rationale: Ergo solum esse potentiale non est sufficiens fundamentum eius.

Respondetur negando consequentiam: quia illa necessitas non est absoluta essendi secundùm aliquod esse reale in actu, sed quo ad hoc, est possibilitas tantùm: includit tamen necessitatem conditionalem, quia nimirum si homo producendus est, necessariò futurus est animal rationale.

Aliàs multas rationes affert Scotus, quas, quia ad meram Theologiam pertinent, prætendo. Tantùm hanc licet adhuc subiicere, per quam fundamentum Henrici destruit. Ex D. Aug. inquit, 1. super Genesim, cap. 7. Non aliter nouit Deus facta quàm fienda. Pręcognouit igitur Deus esse existentię, sicut esse essentię. Sed propter istam relationem fundatam in esse existentię ad Deum cognoscentem illud, nullus concedit esse existentię rerum, fuisse verum esse ab ęterno. Ergo eâ vel solâ ratione, quia in esse essentię rerum, fundatur relatio ad Deum cognoscentem illud ab ęterno, non sequitur illud esse essentię, esse verum ac reale aliquod esse ab æterno; sed sufficit quòd sit esse quoddam cognitum, diminutum, secundùm quid, & rationis.

Obiectio 1. Obijcit sibi 1. Doctor Subtilis: Omne fundamentum relationis quando fundat relationem, est secundùm illud esse, secundùm quod fundat: Aliter secundùm illud esse non fundaret; Sed lapis v. g. secundùm verum esse essentię, fundat istam relationem æternam ad Deum, vt scientem, & hoc in æternitate: Ergo lapis est in æternitate secundùm illud esse quod fundat. Minor probatur: quia secundùm illud esse fundat relationem ad Deum vt scientem, secundùm quod, esse eius vt obiectum cognoscitur à Deo: Cognoscitur autem

autem à Deo verè sub ratione essentię, & non sub ratione essentiæ diminutę; quia prima intellectio à Deo non est reflexiua: Ergo lapis in ęternitate fundat relationem ad Deum scientem, secundùm esse reale essentię.

Solutio. Omissâ responsione Doctoris Subtilis, in qua multa explicat ad Logicam spectantia; dico breuiter lapidem fundare relationem cogniti ad Deum cognoscentem, secundùm esse reale; non quod habet adhuc, sed quod habere potest, & sic secundùm esse reale possibile, non actuale.

Vrgebis: Scientia quâ Deus cognoscit lapidem, est realis ab æterno; ergo obiectum cognitum est reale.

Respondeo admisso antecedente; negando consequentiam: quia realitas scientiæ diuinæ non desumitur ab obiecto secundario, quale est lapis, sed ab obiecto primario, quale est essentia diuina. Et ratio est, quia obiectum secundarium non potest mouere intellectum diuinum ad cognitionem sui, licet possit illum terminare, vt docent Theologi; realitas autem scientiæ alicuius, sumi debet ab obiecto motiuo, non autem terminatiuo solùm; quia à motiuo, & non à terminatino specificatur.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Relatio realis est inter extrema realia realiter distincta: sed creatura antequam creetur, realiter refertur ad Deũ, vt mensuratum ad propriam mensuram, & vt habens conformitatem cum actu diuino intelligendi; ergo creatura habet aliquod esse reale ab æterno. Maior est euidens. Minor probatur; quia huiusmodi relatio resultat inter illa duo extrema, seclusâ quacumque operatione intellectus.

Solutio. Respondetur concessâ maiore; negando minorem; & ad probationem dicitur creaturam non esse mensuratam ab æterno secundùm aliquod esse reale intrinsecum, sed tantùm secundùm aliquod esse cognitum, & diminutum.

Obiectio 3. Obijcitur 3. Res creatæ secundùm esse essentiæ reponuntur sub certo quodam prædicamento, & sub certo genere, siue existant, siue non. Antichristus enim v. g. nunc non existens reponitur in prædicamento substantiæ, ac si existeret; ergo est vnum & idem esse essentiæ rei non existentis & existentis.

Solutio. Respondetur reponi quidem in prædicamentis secundùm esse essentiæ siue possibile siue actuale; deinde sequi tantùm essentiam rei non existentis esse eandem atque rei existentis, non identitate reali & positiuâ; sed identitate negatiuâ: quia nimirum res producibilis & producta, non sunt duæ res, sed vna; neque habent duas essentias, sed vnam. Hæc autem vnitas seu identitas negatiua apprehenditur à nobis ad modum positiuæ, quia comparamus rem positiuam obiectiuè existentem in intellectu, ad rem actu existentem, ac si essent duo extrema positiua, cùm tamen reipsâ non sit nisi vnum.

Ex hac autem responsione patet coordinationem prædicamentalem esse æquè rerum non existentium atque existentium.

Abstrahit enim ab existentibus & non existentibus, vt docet Doctor Subtilis in 2. dist. 5. q. 3. quatenus nimirum ad prædicamentalem coordinationem, per se non pertinet existentia actualis. Et prout est rerum non existentium, se tenere penes intellectum diuinum formantem ordinem quendam obiectiuum inter gradus prædicamentales, secundùm magis & minùs commune; prout verò est rerum existentium, fundari in rebus ipsis actualiter existentibus.

Secunda Conclusio.

De esse cognito rerum, & quid illud sit secundùm Scotū.

ESsentiæ & existentiæ rerum sunt æternę secundùm esse cognitum, quod Scotus appellat esse secundùm quid & diminutum: Quia aliquid esse tantùm, quia cognoscitur, non est simpliciter esse, nec perfectè esse; sed esse secundùm quid & diminutè. Et quia hæc conclusio à nemine negari potest, nisi negetur Deum habere ab æterno scientiam comprehensiuam sui ipsius, & omnium rerum antequam existant; & quia etiam non tam ad Metaphysicum, quàm ad Theologum spectat eius exacta discussio; non immoror in illa probanda. Tantùm mentem Scoti nostri circa illud esse cognitum aperio, vt intelligatur quàm gratis in hac re, à multis impugnetur.

Scotus itaque per illud esse cognitum non intelligit aliquod esse reale; quia stante hoc, remanet in sententia eius, creatura cognita purum nihil. Respondendo enim ad quoddam argumentum Henrici in 1. dist. 36. quæstione vnicâ, quo petebatur quomodo esse possibile creaturarum fuerit nihil ab æterno, cùm etiam illud quod est impossibile, sit nihil, & certè magis nihil quàm esse possibile; dicit vtrumque esse nihil ab æterno, & vnum non esse magis nihil quàm aliud. Lubet illius verba, in quibus multa præclara continentur, hùc fideliter referre. *Ad confirmationem,* inquit, *in qua additur, quòd tunc vnum nihil magis est nihil, quàm aliud nihil; respondeo quod tripliciter inest negatio alicui. Quandòque non propter repugnantiam alicuius positiui ad affirmationem illius negationis, sed propter solam negationem causæ non ponentis illum effectum. Sicut si aliqua superficies esset neutra, esset quidem non alba, non propter repugnantiam superficiei ad affirmationem oppositam huic negationi: sed propter negationem causæ non ponentis albedinem in esse superficiei. Quandòque autem inest negatio positiui, propter repugnantiam eius ad affirmationem oppositam illi negationi: & hoc dupliciter: Quandòque enim præcisè est talis repugnantia propter aliquod vnum de intellectu vtriusque: sicut in speciebus vltimis eiusdem generis proximi, negationes earum mutuæ dicuntur de illis propter repugnantiam earum, quæ est propter solum vnum inclusum in intellectu vtriusque, scilicet propter differentiam vltimam completiuam: Quandòque autem propter plura inclusa in intellectu vtriusque, vel alterius: Sicut si accipiantur species specialissimæ duorum generum generalissimorum, repugnant quidem sibi inuicem affirmationes propter*

multa inclusa in eis, tot scilicet, quot sunt prædicata dicta in quid de utroque in suo genere. Nihil enim dicitur in quid de albedine, quod non sit medium ostendendi hanc; homo non est albedo: Nihil etiã dicitur de homine in quid, quod non est medium ostendendi eandem: & ideò ista; Homo non est albedo, vera est propter repugnantiam extremorum simpliciter, siue propter multa inclusa in intellectu repugnantium, quorum quodlibet ex utrâque parte esset sufficiens ratio talis repugnantiæ. Et tamen in omnibus istis inhærentijs negationum, licet ex diversis causis insint, non dicitur aliquid magis, vel minùs negatum, sed quodlibet simpliciter non tale: Ita enim est simpliciter sapor nihil albedinis sicut homo. Et similiter superficies nihil habet albedinis posito isto casu. Et ratio, quare non magis est hæc negatio quàm illa, est: quia qualibet negatio negat totam affirmationem sibi oppositam, ex quacumque ratione sit talis, siue propter unam rationem, siue propter plures. Ita in proposito, homini in æternitate inest non esse aliquid. Sed homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid, sed tantùm inest negatio propter negationem actus, vel causæ non ponentis in esse. Chymæra autem repugnat, quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid. Aliter igitur inest ista negatio, nihileitas, homini in æternitate, & Chymæra: & tamen non propter hoc est unum magis nihil altero.

Quomodo chymæra non sit magis nihil, quã homo, ab æterno.

Dicent fortassis errasse saltem Scotum in modo loquendi, quia minùs benè loquutus est, dicendo intellectum diuinum produxisse res ab æterno secundùm illud esse cognitum. Illa siquidem dictio, productionis, malè sonat in hoc proposito. Hunc tamen modum loquendi seueriùs illi notant quàm meretur, forsan mentem illius non assecuti, inquit Gabriel Vasquez 1. p. disput. 70. cap. 2. Audiamus proinde quomodo Scotus ipse sese explicet. *Dico quòd productio ista*, inquit loco citato, *quâ scilicet intellectus diuinus producit res in esse cognito, est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter, & non est relationis tantùm, sed etiam fundamenti absoluti: non quidem secundùm esse essentiæ, vel existentiæ, quod est verum esse, sed secundùm esse diminutum, quod est esse secundùm quid, etiam entis absoluti: quòd tamen Ens absolutum secundum istud esse diminutum, concomitatur relatio rationis. Exemplum huius: Si Cæsar esset annihilatus, & tamen esset statua Cæsaris, Cæsar esset repræsentatus per statuam; illud esse repræsentatum est alterius rationis ab omni esse simpliciter siue essentiæ siue existentiæ: Nec est esse diminutum Cæsaris quasi aliquid Cæsaris habeat hoc esse, & aliquid non (sicut Æthiops est diminute albus, quia aliquid eius est verè album & aliquid non) sed totius Cæsaris: & eius esse à causa sua est verum esse existentiæ & essentiæ, cuius totius secundùm totale esse suum, est istud esse secundùm quid; & in ipso secundùm istud esse secundùm quid, potest esse aliqua relatio ad statuam.* Hæc Scotus.

Quomodo sit intelligẽdum intellectũ diuinũ produxisse res ab æterno, in esse cognito.

Vtitur autem nomine productionis, non quòd Deus per aliquam potentiam ab æterno res produxerit in aliqua etiam minutissima existentia: Sed quia

intellectus diuinus contulit rebus ipsum qualecumque esse diminutum, secundùm quod dicuntur esse aliquid aliud à Deo formaliter; non aliud re, sed aliud cognitione, cùm anteà nullum esse formale nec intelligibile, nec cognitum haberent, sed essent duntaxat per esse suæ causæ, scilicet Dei. Nec mirari quis debet si Scotus asserat intellectum diuinum produxisse res non tantùm secundùm esse cognitum, sed etiam secundùm esse intelligibile. Non ignorauit enim res esse intelligibiles saltem virtualiter in essentia diuina, antequam cognoscantur actu ab intellectu diuino: sed eâ ratione dixit intellectum diuinum produxisse res in esse intelligibili, quia essentia diuina vt prior intellectione, præcisè secundùm rationem essentiæ non est exemplar actuale & formale creaturarum; nec in ea veluti in speculo res ipsæ relucent, proindéque non sunt repræsentatæ in essentia intellectui diuino vt intelligantur; vt optimè declarat noster Ioannes de Bassolis in 1. dist. 36. quæst. 1. art. 2. Ad hoc autem vt aliquid dicatur intelligibile, formaliter loquendo, & eo modo, quo dicitur aliquid formaliter intelligibile, debet actu repræsentari vel in se ipso, vel in specie. Non sunt autem creaturæ repræsentatæ actu in essentia diuina ante intellectionem: quia pro eo instanti sunt tantùm in ipsa, tanquam effectus in sua causa, scilicet eminenter, eleuatè, virtualiter & indistinctè. Sed de his fusiùs Theologi.

Ex dictis autem hactenus à Scoto, manifestum est in sententia eius, illud esse cognitum non esse quid medium inter Ens reale & Ens rationis, quasi sit quid participans rationem vtriusque huius extremi; sed, vt communis fert opinio, posse dici quid medium; quatenus nec est propriè Ens reale, quia est tale tantùm in potentia; nec etiam propriè Ens rationis & fictitium; quia esse fictitium non dicit ordinem ad possibilem actualitatem; esse autem cognitum dicit. Nihilominus in rigore, Scotus potius diceret illud esse cognitum, esse Ens quoddam rationis, quàm Ens aliquod reale; quia habet quòd sit tantùm virtute intellectus diuini, sicut entia rationis habent esse virtute intellectus nostri. Quare & comparat illius productionem confectioni secundarum intentionum, & esse cogniti quod intellectus noster rebus ipsis tribuit, cum hoc tamen discrimine, quòd esse cognitum à nostro intellectu rebus tributum, non est primum earum esse, sed secundarium: esse autem cognitum quod diuinus intellectus rebus ipsis tribuit, est primum earum esse, ante quod nullum est prius, per quod res formaliter esse dicantur. Propter quod dicitur eas in esse cognito producere, quia primum esse formale quod habent, est hoc esse cognitum, & diminutum. Est & aliud discrimen, quod esse cognitum, quod intellectus creatus rebus tribuit, est ipsis extrinsecum, à quo extrinsecè denominantur cognitæ: esse verò co-

Esse cognitum secundùm Scotum est potius esse quoddam rationis, quàm aliquod esse reale.

gnitum, in quo res à diuino intellectu producuntur non est eis extrinsecum, sed est id quo primò & formaliter habent esse, licet diminutum: sicut esse quod noster intellectus secundis tribuit intentionibus non est eis extrinsecum, sed intrinsecum, proprium, ac formale, licet diminutum, & secundùm quid; est tamen extrinsecum primis intentionibus.

Tertia Conclusio.

Essentiæ & existentiæ rerum sunt æternæ, secundùm esse ideale. Probatur: Nam aut esse ideale creaturarum est ipsamet essentia diuina vt repræsentatione quadam continens creaturas, vt volunt Alexander noster 1. p. q. 23. membro 4. art. 1. Seraphicus Doctor in 1. dist. 35. art. 1. q. 1. & D.Thom. 1. p. q. 15. art. 1. vel est ipsummet esse cognitum creaturarum, vt probabiliùs existimant Doctor noster in 1. dist. 35. q. 1. §. *Ad ista*. Ocham ibidem q. 5. Gabriel eâdem dist. & quæstione, art. 2. & Durand. dist. 36. q. 3. Sed sunt æternæ secundùm illud esse hoc vtroque modo sumptum, vt patet. Ergo essentiæ & existentiæ rerum sunt æternæ secundùm esse ideale. Dico existentias etiam hoc modo esse æternas; quia Scotus noster eodem modo philosophatur de cognitione existentiarum, ac de cognitione essentiarum. De hoc esse ideali disputabimus fusè satis duabus sequentibus quæstionibus.

Quarta Conclusio.

Essentiæ rerum sunt æternæ secundùm esse obiectiuum. Probatur: Nam aut illud esse est illarum esse cognitum, quatenus secundùm illud sunt obiectum diuini intellectus, & terminus diuinæ cognitionis: aut est illarum esse possibile, secundùm quod obijciuntur diuinæ omnipotentiæ, & dicuntur esse in potentia obiectiua. Sed secundùm illud esse obiectiuum hoc vtroque modo explicatum, essentiæ rerum sunt æternæ, tùm quia Deus ab æterno cognouit illas, tùm quia potuit illas ab æterno producere: Ergo essentiæ rerum secundùm esse obiectiuum, sunt æternæ.

Quinta Conclusio.

Essentiæ rerum secundùm esse virtuale sunt æternæ. Probatur: Illud esse virtuale creaturarum nihil aliud est quàm esse suæ causæ, scilicet Dei vt habentis virtutem producendi illas; sed esse Dei vt habentis virtutem producendi creaturas, est æternum. Ergo essentiæ rerum, seu res & creaturę sunt æternæ secundùm esse virtuale. Si quis rectè intellexerit hoc esse virtuale, faciliter intelliget multa Patrum dicta, quibus dicuntur creaturæ in Deo nobiliùs existere, quàm in seipsis, viuere vitâ ipsius Dei, vt loquitur D. Aug. varijs in locis, esse incorruptibiles, immutabiles, & æternas. Nam cùm, vt dictum est, illud esse sit esse ipsius Dei; non est mi-

rum si creaturæ secundùm illud esse, sortiantur proprietates illas quæ soli Deo conueniunt.

Ex his omnibus colligitur rerum essentias nudas & incomplexas, de quibus hucusque loquuti sumus, propriè & simpliciter non debere dici ęternas; sed tantùm diminutè & secundùm quid, vel denominatione quadam extrinsecâ ab intellectu diuino producente illas in eo esse, secundùm quod dici possunt ęternę.

Quomodo essentiæ rerum complexæ dici possint æternæ. De essentijs complexis, seu de propositionibus sempiternę veritatis, aliter philosophandum est: Cùm enim illę abstrahant ab existentia & tempore (existentia enim est modus solius essentię incomplexę) abstrahere quoque debent à modis existentię, quales sunt ęternitas, vel tempus; quare nec simpliciter, nec secundùm quid dici debent ęternę, aut temporales. Dicuntur tamen æternæ veritatis, ęternitate quadam negatiuâ, quatenus nimirum nullum habent principium durationis, nec in tempore incepit earum veritas; cùm ante omne tempus, æquè ac in tempore, semper sint & fuerint veræ.

Super his omnibus dictis videri poterit noster Guillelmus Ocham in 1. dist. 36. q. 1. vbi docet quomodo creaturæ contineantur in Deo perfectionaliter, eminenter, exemplariter, intelligibiliter, virtualiter, & causaliter; & quomodo continentia ista non sit aliqua continentia realis, pręsertim subiectiua; sed sit tantùm vel virtus Dei potentis producere creaturas, aut intelligere; vel etiam ipsemet Deus vt superans in infinitum perfectiones omnium rerum creabilium; quapropter præpositionem illam, *in*, idem significare atque ob, vel ex, vel, ab, vel, a; quia nimirum creaturę sunt obiectum diuini intellectus, vel effectus producti aut producibiles à Deo. Multa alia pręclarè & subtiliter ibi prosequitur: quę quia potius ad Theologos quàm ad Metaphysicos attinent, ea lubens prętermitto.

QVÆSTIO XVI.

An sint, & quâ ratione admitti debeant Ideæ?



DEAS *multis appellare nominibus conceditur*, ait Augustissimus Augustinus lib. 83. qq. q. 46. *sed paucissimis videre: anima enim negatur eas intueri posse nisi rationalis, eâ scilicet parte quâ excellit, id est; ipsâ mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili; & ea quidem ipsa rationalis anima non omnis & qualibet, sed quæ sancta ac pura fuerit, hac asseritur illi visioni esse idonea.* Hæc dicuntur à D. August ex mẽte Platonis. Supposità ergo hac mentis puritate ad cognitionem idearum necessariâ: occasione pręcedentis quęstionis, in qua egimus de rerum essentijs & quidditatibus; tùm etiam quia philosophus passim in Metaphysica, pręsertim 1. & 7. libro, disputat de ideis contra Platonem; operæpretium est vt

quę Philosophi & Theologi de illis tradere solent, breuiter complectamur.

Aristoteles non tàm Ideas, quàm rationē ponendi eas insequutus est.

Prępotandum itaque Philosophum non tàm reprehendisse Platonem propterea quòd admiserit ideas, quàm quia eas falso quodam fundamento, & vanis rationibus eas Platonem stabilire arbitraretur, vt animaduertit Doctor Subtilis 7. Metaphysic. q. 11. Existimauit enim Arist. Platonem posuisse ideas quasi substantias quasdam separatas realiter à singularibus & sensibilibus, quæ tamen conferrent tum ad generationem præsertim vniuocam, tum ad effectionem, tum ad substantiam, tum ad rationem exemplatem, tum ad scientiam & cognitionem eorundem singularium & sensibilium. An autem id ita crudè docuerit Plato, non satis constat. Quidam existimant ita esse; alij contrà sentiunt, præsertim D. Aug. loco citato, & multis alijs in locis, & Doctor Subtilis in 1. dist. 35. q. vnicâ: & noster Franciscus in 1. dist. 45. & innumeri alij tum Patres tum Scholastici.

Prima Conclusio.

Probatur existentia idearū.

Admittendæ sunt ideæ. Probatur authoritatibus Patrum, Diui Dionys. Areopagitæ, 5. de diuinis nominibus, Clementis Alexandrini lib. 5. stromatum. Iustini Martyris in Orat. parænetica ad Gentes, Diui Augustini loco citato, & lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. & lib. 12. cap. 26. & lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 13. & epist. 115. Probatur etiam authoritatibus omnium Scholasticorum in 1. dist. 35. & dist. 36. & Alexandri Alens. 1. parte q. 23. memb. 4. & alibi.

Accedunt authoritates Philosophorum, Boëtij de Consolatione Metro. 9. Senecæ epist. 66. Cœlij Rhodigini lib. 16. lectionum antiquarum cap. 17. Philonis, Plutarchi, Plotini & aliorum.

Obseruat autem Eusebius lib. 11. de Præparatione Euangelica cap. 1. Socratem fuisse primum inuentorem idearum, quanquam Plato nominis inuentor extiterit, vt testis est D. Aug. lib. 83. qq. q. 46. quod etiam innuit Aristoteles lib. 13. Metaphysicæ cap. 4. vbi dicit Socratem quidem posuisse vniuersalia, non tamen separata à singularibus, vt quidam postmodum posuerunt.

Secunda Conclusio.

Examinantur & confutantur breuiter rationes, propter quas Plato ponebat ideas.

Ideæ non sunt admittendæ propter rationes Platonis, saltem eo modo intellectas, quo illas intellexit Aristoteles: Non quidem imprimis propter generationem vniuocam; quia genitum non est eiusdem rationis cum generante, propter ideam, sed propter formam eiusdem rationis in generante & genito: Non etiam propter existentiam singularium & sensibilium, tum quia sensibilia semper existerent sicut ideæ semper existunt, tum quia quod est extra aliquid, non potest ei esse ratio existendi; ideas autem ponit Plato extra sensibilia: Non etiam propter substantiam sensibilium, quia substantia sensibilium debet eis esse in-

trinseca & interna; ideæ autem sunt extra sensibilia: Non etiam propter rationem exemplarem, quia vnius & eiusdem plures essent species & ideæ: quia enim Socrates v.g. est homo, & animal, & bipes; alia esset species & idea hominis, alia animalis, alia bipedis: Non etiam propter scientiã; quia tunc res maximè cognoscitur, quando cognoscũtur eius intrinseca: Cognitio autẽ idearũ, ex positione Platonis, non esset cognitio intrinsecorũ ipsorum singularium & sensibilium. Ergo cognitio idearum nihil conferret ad scientiam & cognitionem sensibilium: Non denique propter effectionem simpliciter sensibilium; quia cùm ideæ secundùm Platonem vniformiter semper se habeant, & sint perpetuæ; si, positis ideis, fierent indiuidua sensibilia, sequeretur indiuidua sensibilia semper esse, semperque fieri, quod falsum est. Adde quòd, sicut se habent artificialia ad causas artificiales, sic se habent naturalia ad causas naturales; sed artificialia, putà domus & annulus fiunt à causis suis, quorum tamen Platonici species & ideas non ponunt. Ergo non est etiam opus ponere naturalia fieri ab ideis; sed sufficit quòd ponantur fieri à suis causis proximis & naturalibus.

Prætereà, ex positione Platonis, sequeretur vnum & idem esse simul ideam & ideatum, exemplar & exemplatum. Sicut enim ille ponit species esse ideas singularium sensibilium; ita ponit genera esse ideas specierum; ideóque quemadmodum species sunt ideæ respectu singularium; ita erunt ideatæ respectu generum. His & alijs rationibus insequitur Arist. ideas Platonis.

Nihilominus Eustratius super primum Ethicorum scribit Platonem & Platonicos non ita sensisse de ideis, sicut eis imponit Philosophus. *Ideas*, inquit, *non ita ponunt Platonici, sicut imponit Philosophus, sed ideas dicunt rationes epichitendas, id est, superstantes omninò & superetectas & corporibus & numeris, & numerum quendam diuinum, per quem velut per exemplum, conditorem operari conuenit materialem factionem.* Ita etiam sentit D. August. Et certè quęcunque Plato scripsit de ideis, possunt sanè intelligi. Quod enim imprimis dicit illas esse perpetuas, participari ab indiuiduis, & non existere in ipsis indiuiduis, conceditur ab omnibus, & habetur expressè apud D. August. variis in locis, in quibus docet ideas esse rationes rerum, secundùm quas factæ sunt, incommutabiliter permanentes; rationes diuinas, æternas & incommutabiles; principales formas, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quarum participatione fit quicquid est. Quod item dicit Plato in Parmenide, ideas esse nobis ignotas: etiam illud idem dicit D. Aug. cùm docet eas videri non posse, nisi visione beatâ. Quod insuper dicit Plato ideas esse formas, per se subsistentes: idem etiam dicit D. Dionysius cap. 5. de diuinis

Defenditur Plato.

Reducuntur ad verum & bonum sensum omnes rationes Platonis.

uinis nominibus, vbi habet exemplaria esse rationes substantificas existentium, & singulariter præexistentes: Quod ita tamen non debet intelligi, quasi formæ illæ existant per se, & veluti in aëre, vel in spatiis imaginariis; sed quòd ad eorum existentiam & permanentiam non indigeant singularium sensibilium existentia; quippe quæ, vt docet D. Aug. in diuina intelligentia continentur.

Et quidem, iuxta hanc doctrinam, solui possunt omnes impugnationes Aristotelis. Ideæ enim imprimis conferunt ad generationem vniuocam rerum, sic intelligendo qòud quæcunque generantur vel producuntur; generantur vel producuntur iuxta illas ideas & similitudines eorum: adde quòd generantia naturalia generant etiam sibi simile per ideas, quatenus nimirum opus illorum est opus intelligentiæ, seu opus alicuius primi agentis per ideas & per artem. Conferunt etiam ad singularium sensibilium effectionem, substantiam, & existentiam; non quòd sint ipsamet substantia & existentia sensibilium; sed quòd sint rationes ad quas respiciens author rerum omnium, contulit rebus sensibilibus substantiam & existentiam: quâ ratione dicuntur à D. Aug. rationes æternæ existentes in mente diuina, secundùm quas res sunt formabiles ad extra. Conferunt etiam ad rationem exemplarem, vt constat ex iam dictis. Neque contra id facit ratio Aristotelis: concedunt enim Theologi vnius & eiusdem indiuidui posse esse plures ideas, secundùm quod in ipso plura sunt proprijs rationibus distincta. Conferunt tandem ad singularium sensibilium scientiam, quatenus videlicet quæcunque cognoscuntur, cognoscuntur in aliqua luce creata, quæ quidem est imago lucis primæ, vt explicat noster Magnus Alexander 7. Metaphysic. his verbis: *Ponunt ergo isti aliquod exemplar separatum, ad quod intellectus aspiciendo, percipit de re sinceram veritatem, quæ sincera veritas est imago illius exemplaris. Et hi sic dicentes, videntur sequi viam Beati Augustini, quasi vbique in suis libris, qui videtur ponere quòd nunquam sincera veritas, videtur nisi in regulis æternis. Imaginantur ergo isti, qui sunt huius positionis tria, scilicet illud quod intelligitur, siue quod percipitur, siue quod indicatur: & intellectum indicantem siue percipientem, & regulas æternas, siue exemplaria, per quæ indicat. Istud autem per quod indicamus, est lux incorporea, siue æterna lux, & est exemplum Augustini in multis locis, quod vnum & idem scitur, siue indicatur à duobus, siue percipitur per legem æternam & per corpoream irradiantes vnicuique: Non autem intelligendum est quod siue Augustinus, siue isti intendant dicere quod ista exemplaria sunt eodem modo quo ponebat Plato, scilicet quod sint aliquæ ideæ separatæ per se existentes; sed quod solùm sunt ideæ in mente diuina: Ita quod intellectus noster nunquam perfectè intelligit aliquam rem, nisi ex hoc, quod spiritualem illuminationem habet, & illustrationem ab istis ideis. Sic ergo isti ponunt & dicunt, etiam hanc*

Aa

fuisse intententionem Platonis ponentis regulas æternas, vel exemplaria, non extra mentem diuinam, sed in mente diuina. Et paulò pòst. *Tamen intelligendum est, quod lux ista est deriuatio quædam primæ lucis; ita quod facit in se istud, vt quod videtur in ista luce, quodammodo videatur in illa: Debemus enim imaginari quod lux intellectus agentis est quædam deriuatio lucis primæ, siue primi exemplaris: & ideò quicquid videtur in ista luce, quodammodò videtur in illa. Si enim proponatur alicui quid magis amandum? non poterit videre nisi in aliqua luce: hæc autem lux in qua videt, est lux amata sibi, quæ tamen est imago quædam lucis primæ; & ideò videndo in hac, quodammodò videt in illa. Et hoc fortè voluit dicere Plato quod intellectus semper aspicit ad aliquod exemplar separatum, quia intellectus quicquid videt, in aliqua luce videt; quæ quidem lux est imago lucis separatæ, & exemplaris. Hoc etiam voluit dicere August. quando dixit quod quicquid videtur, videtur in regulis æternis, & in aliquo quod est supra animas nostras; quia videtur in aliqua luce nostri generis, quia in luce intellectus agentis; quæ quidem lux est imago regularum æternarum.*

Tertia Conclusio.

Propter quid sint Ideæ.

IDeæ debent admitti propter effectionem rerum omnium: ita vt sint rationes secundum quas est formabile & effectibile, quicquid est formabile & effectibile ad extra. Probatur imprimis authoritate Diui August. lib. 83. qq. qu. 46. vbi habet: *Ideæ sunt principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur: & cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant: secundùm eas tamen formari dicitur, quicquid oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit.* Et lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 25. vbi habet: *Hac enim vi diuinâ* (ideam intelligit) *&, vt ita dicam, effectiuâ, quæ fieri nescit, sed facere, accepit speciem, cùm mundus fieret, & rotunditas cæli, & rotunditas solis*, &c. Accedit authoritas Boëtij de Consolatione, Prosa. 9.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo; pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans.

Et Senecæ Epist. 66. *Plato*, inquit, *præter has quatuor causas adiecit exemplar, quod ipse ideam vocat: hoc est enim ad quod respiciens artifex, id quod destinabat efficit: nihil autem ad rem, vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus quod sibi ipse concepit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intrà se habet, numerosque vniuersalium quæ agenda sunt, modosque mente complexus est, plenus his figuris, quas Plato Ideas appellat, immortales, incommutabiles, & infatigabiles.*

Probari insuper potest istud hac ratiocinatione Doctoris Subtilis in 1. dist. 35. qu. vnicâ. §. *Ad ista.* Deus omnia causat vel causare potest; non irrationabiliter: ergo rationabiliter. Igitur habet rationem se-

cundùm quam format: non autem eandem omnium: ergo singula propriis rationibus format; non autem rationibus extra se; quia non eget in efficiendo, aliquo alio à se: igitur rationibus in mente sua. Nihil autem in mente sua est, nisi incommutabile. Ergo omne formabile potest Deus formare, secundùm rationem propriam sibi æternam in mente sua. Nihil autem in mente sua tale ponitur nisi idea: Ergo idea ponitur in mente diuina, vt secundùm eam Deus causet, vel causare possit ad extra.

Prętereà probari adhuc potest hac ratione Alexandri Alensis 7. Metaphysis. tex. 44. Deus est causa efficiens omnium rerum: Ergo vel per modum naturę, vel per modum artis: Non per modum naturę: quia sic Deus necessariò produceret ad extra: Ergo per modum artis: Omnis autem efficiens per modum artis, requirit exemplar ad quod respiciens operetur; cùm enim illud agens non sit determinatum ad hoc potiùs quàm ad illud producendum per formã aliquam naturalem; opus est vt determinetur per aliquid aliud: illud autem est exemplar, exemplar verò est idea: Ergo à primo ad vltimum, omne efficiens per modum artis, requirit ideas; sicque Deus, qui res omnes produxit per modum artis, illas produxit per ideas: & hoc sensu fortè dixit Plato participatione idearum sensibilia constare: quemadmodum Diuus August. idearum participatione fieri, vt sit quicquid est. Nec in hoc est reprehendendus Plato ab Aristotele, quasi senserit ideas esse naturas vniuersales per se subsistentes & realiter separatas à singularibus, quarum veluti participatione seu partione quadam reali singularia constarent. Duplex enim distingui potest participatio; vna physica, formalis, & subiectiua, quâ v. g. materia participat formam, & paries albedinem: cuius participationis ratione fit, vt id quod participatur, sit subiectiuè in participante: altera est veluti metaphorica, attributiua, & assecutiua seu imitatiua, quâ exemplatum seu ideatum dicitur participare exemplar & ideam, ad cuius imitationem fit. De priori participatione non est intelligendus Plato, sed de posteriori, vt constat ex ijs quæ habet, & quæ refert ex Socrate in Parmenide.

Duplex participatio, Physica & Metaphorica.

QVÆSTIO XVII.

Quid sint Ideæ?



VAMQVAM Theologorum sit hanc rem diligentiùs examinare; Tamen etiam nobis incumbit, ad vberiorem eorum quæ hactenus de rerum essentijs & naturis diximus, eam non omninò prætermittere. Disputant autem Theologi de ideis, præsertim diuinis, in 1. dist. 35. & 36. & noster Alexander 1. p. q. 23. membro 4. & alibi, & D. Thomas 1. p. q. 15. vbi quidem non tàm varia idearum

nomina; non tàm etiam varias earundem rationes & definitiones afferunt & expendunt, quàm quid sit id, cui propriè conuenit ratio ideæ. Quod certè eò difficiliùs ab eis determinatur, quò, in hoc, tot ferè sunt sententiæ, quot capita. Nos clarè & dilucidè totam hanc rem perstringemus, & mentem Doctoris Subtilis breuiter aperiemus.

Quæ spectat ad ideam. Prænotandum itaque primò ad rationem ideæ spectare quòd sit forma repræsentatiua rei ideatæ, & quòd res ideata sit producibilis ab artifice secundùm illam formam; quæ propterea debet esse non qualiscumque, sed forma obiecta intellectui, ad quam artifex aspiciens operetur: Et hinc fit vt idea sit regula & mensura rei ideatæ; quia illa fit instar suæ ideæ.

Ex quibus constat nec habitus nec species intelligibiles esse ideas; quia idea terminat cognitionem siue directam, siue reflexam; directam, si ponatur esse conceptus obiectiuus; reflexam, si ponatur esse conceptus formalis; species autem intelligibiles & habitus non terminant cognitionem, sed potiùs principiant. Quòd verò idea distinguatur realiter ab artifice, & quòd inhæreat intellectui eius, hoc se habet per accidens ad rationem ideæ: Nam ideæ diuinę non inhęrent intellectui diuino, nec etiam fortè distinguuntur realiter ab eo, sunt tamen veræ ideæ. Quòd etiam idea sit determinatiua & directiua artificis ad suum opus, non pertinet ad ideam, vt sic, sed ad ideam existentem in intellectu imperfecto, & indigente determinatione & directione, qualis non est intellectus diuinus.

Prænotandum 2. vel potiùs repetendum ex dictis de vnitate conceptus entis, duplicem esse conceptum, alterum formalem, alterum obiectiuum. Conceptus obiectiuus est res ipsa vt cognita: conceptus formalis est vel actus intelligendi, vel similitudo aliqua expressa obiecti. Quidam existimant ideam esse conceptum formalem rei ideatæ. Ita Fonseca 7. Metaphysic. cap. 8. q. 2. & Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 25. quod tam de diuinis, quàm de creatis ideis dicendum esse existimant. Alij volunt ideam esse conceptum obiectiuum rei ideatæ; & eorum aliqui volunt esse rem ipsam faciendam, prout est cognita & obiecta intellectui artificis. Ita Scotus, Ocham, Gabriel, de Bassolis, & alij, qui docent ideas diuinas esse ipsummet esse cognitum creaturarum. Alij volunt esse quoddam aliud obiectum, ad cuius imitationem aliquid producatur: Ita sentiunt illi omnes qui sustinent essentiam diuinam esse ideam creaturarum, quorum alij volunt esse ipsam essentiam nudè spectatam, vt noster Guillelmus de Rubione in 1. dist. 35. q. 2. art. 1. Alij eandem essentiam vt imitabilem & participabilem à creaturis, vt D. Thomas 1. p. q. 15. art. 1. & 2. & ibidem Caietanus, & reliqui Thomistæ. Alij eandem essentiam vt similitudinem expressam creaturarum, vt Gabriel Vasquez 1. p. disput. 72. cap 2. Alij vtrumque admittunt, scilicet tàm ipsum esse cognitum rei

faciendæ, quàm aliud obiectum imitabile, putà essentiam diuinam, esse ideam creaturæ producibilis. Ita noster Richardus in 1. dist. 35. art. 2. q. 2. & Durandus etiam in 1. dist. 36. quæst. 3. Mitto opinionem Seraphici Doctoris in 1. dist. 35. quæst. 5. volentis veritatem diuinam esse ideam creaturarum. Ostendemus enim inferiùs hanc sententiam sanè intellectam, esse verissimam.

Prænotandum 3. pro intelligentia opinionis eorum, qui dicunt ideam esse conceptum formalem rei faciendæ, Deum non intelligere beneficio alicuius qualitatis productæ, sicut nos intelligimus: quia enim imperfecti sumus in intelligendo, priusquam facultas nostra intellectiua operetur circa obiectum intelligibile, producit qualitatem aliquam, nimirum verbum mentis, seu actualem intellectionem, quâ denominatur formaliter intelligens, & quâ formaliter afficitur circa obiectum intelligibile; Deus autem non producit huiusmodi qualitatem, vt formaliter dicatur intelligere; sed est intelligens formaliter ipso actu operatiuo intelligendi, ante quem non supponitur, & ad quem non requiritur actus aliquis productiuus qualitatis: Quò fit vt licet in nobis assignare possimus conceptum aliquem formalem, qui sit idea, putà idolum aliquod ab intellectu nostro formatum, quod sit repræsentatiuum rei faciendæ: nihilominus hoc idem assignari non potest in intellectu diuino, quippè qui non format rationes aliquas rerum à se faciendarum. Neque etiam sufficienter assignarunt quis vel quid sit conceptus ille formalis, qui sit idea in Deo, illi omnes qui docent ideam non esse conceptum obiectiuum, sed formalem etiam in Deo. Quia tamen inferiùs ostendemus ab hac sententia fortassis non fuisse alienum Doctorem Subtilem; ideò breuiter dicimus conceptum formalem in Deo esse ipsammet cognitionem diuinam vt terminatam ad creaturas, vel vt repræsentatiuam creaturarum; non verò formam vel rationem aliquam quasi formatam virtute intellectus diuini, vt videtur ponere Fonseca loco citato, sectionibus, 4. & 5.

(Deus intelligit aliter quàm nos.)

Prænotandum 4. Doctorem Subtilem in 1. dist. 35. q. vnicâ, §. *Ad ista*, docere ipsum esse obiectiuum & cognitum creaturarum esse ideam earundem creaturarum. Quod tamen sic intellexit in 4. dist. 1. q. 1. §. *ista ergo.* vt voluerit etiam cognitionem diuinam terminatam ad creaturas esse ideam creaturarum; & id quidem non solùm connotatiuè vt sentit Guillelmus Ocham in 1. dist. 35. q. 5. Nec etiam solùm participatiuè, ex eo nimirum quia esse cognitum participat aliquo modo esse cognitionis; sed etiam verè & propriè: quia quâ ratione obiectum cognitum vt terminans cognitionem diuinam, est idea rei faciendæ; eâdem etiam cognitio diuina vt terminata ad esse cognitum, potest esse idea eiusdem rei faciendæ; non quòd esse cognitum & cognitio sint vnum & idem, vt malè sensit noster de Herrera in 1. disp. 16. q. 1. concl. 5. Nam Do-

(Ex Doctore Subtili, non tantùm esse cognitum est Idea, sed etiã ipsa cognitio diuina.)

ctor Subtilis, loco citato, loquens de esse cognito creaturarum, dicit; *& si velis quærere aliquod esse verum huius obiecti vt sic, nullum est quærere nisi secundum quid: nisi dicatur quòd istud esse secundum quid, reducitur ad aliquod esse simpliciter, quod est esse ipsius intellectionis; sed istud esse simpliciter non est esse formaliter eius quod dicitur esse secundum quid; sed est eius terminatiuè vel principiatiuè, ita quod ad istud verum esse, illud esse secundum quid reducitur.* Sed quia, quoad hoc, est eadem ratio cognitionis diuinæ vt terminatæ ad creaturas; ac ipsius esse cogniti creaturarum vt terminantis cognitionem diuinam. Sicut enim esse cognitum creaturarum vt terminans cognitionem diuinam, repræsentat sufficienter intellectui diuino rem faciendam; ita cognitio diuina vt terminata ad creaturas cognitas, repræsentat etiam sufficienter eidem intellectui easdem creaturas faciendas. Ergo vtrumque seorsim poni poterit idea creaturarum. Exemplum esse potest in obiecto Logicæ quod statuitur à plerisque vel tria instrumenta sciendi vt directiua operationum mentis; vel operationes mentis vt dirigibiles per instrumenta sciendi. Tametsi enim nec instrumenta sciendi sint ipsæ actiones dirigibiles; nec etiam actiones dirigibiles instrumenta sciendi; tamen sufficiens est ratio in vtrisque seorsim sumptis, vt constituantur obiectum Logicæ. Porrò Doctorem Subtilem ita sensisse de diuinis ideis, quemadmodum volumus, constat ex ijs quæ habet in 4. dist. 1. q. 1. §. *ista ergo.* vbi examinando doctrinam aliquam quâ statuerat Angelum non posse creare, sic loquitur. *Contra istam rationem instatur per illud 7. Metaph. cap. 5. Domus extra fit à domo in mente: & tamen domus extrà habet verius esse domus, quàm domus in mente: quia domus in mente habet esse diminutum respectu domus extrà, sicut ens cognitum est diminutum ens respectu entis realis: ergo imperfectius, scilicet habens esse in cognitione, potest esse principium producendi perfectius. Et applicatur istud exemplum ad propositum sic; Sicut se habet domus in mente artificis ad domum extrà; ita se habet Angelus cognitus in cognitione Angeli, ad Angelum extrà: ergo ab Angelo cognito in intellectu alterius Angeli, potest fieri Angelus extrà. Non ergo accidentalitas cognitionis Angelicæ, prohibet substantiæ intellectæ creationem.*

Ad primum dico, quòd aliud est loqui de veriori, seu perfectiori esse simpliciter; & de veriori seu perfectiori esse huius; lapis enim in mente diuina, habet esse simpliciter verius, & perfectius, quàm lapis extrà: quia obiectum vt cognitum, dicitur habere illud esse quod habet ipsa cognitio. Vnde secundum Aug. super illud Ioan. 1. Quod factum est in ipso; vita erat: Res cognita est in verbo, vita creatrix. Et ideò quia cognitio eius, est realiter vita creatrix: quod enim de cognito dicitur obiectiuè, hoc in ipsa cognitione oportet inueniri realiter: lapis tamen in intellectu diuino, non habet verius esse lapidis, quàm lapis extrà; alioquin aliquid intrinsecum realiter Deo, esset formaliter & propriè lapis.

Ad propositum, domus in intellectu artificis dicitur habere illud esse, quod formaliter habet ipsa cognitio domus: sed ipsa cognitio est simpliciter perfectior quàm forma domus extrà; quia cognitio est quadam perfectio naturalis animæ: forma autem domus extrà vel non est realis, vel si est, multò est imperfectior quàm illa cognitio. Sic ergo patet ad argumentum, quia domus extrà dicitur fieri à domo in mente, quia fit à cognitione domus in mente, tanquam à principio formali, & illa cognitio domus, est simpliciter perfectior domo extrà: ipsa autem domus intra pro quanto participat esse cognitionis, perfectior est seipsâ extrà.

Hoc valdè notandũ est: quia fit à cognitione domus in mente.

Et cùm dicitur, quòd est Ens diminutum; & domus extrà, est Ens reale; dico, quòd cognitio eius est Ens reale, & perfectius Ens quàm domus extrà; domus autem in mente participat nobilius esse reale quã sit illud esse extrà. Et sic intelligendum est illud Aug. 9. de Trinit. 10. *vel* 11. *scilicet quòd superius habet nobilius esse in se quàm in intellectu; è conuersò autem inferius habet nobilius esse in intellectu, quàm in seipso. Hoc intelligendum est de illo esse quod formaliter est ipsius cognitionis, & participatiuè ipsius cogniti.* His positis sit.

Prima Conclusio.

Veria nomina idearũ.

IDeæ præsertim diuinæ, de quibus potissimùm hîc loquimur, variis appellantur nominibus. Dicuntur enim rationes, formæ, similitudines, sapientiæ, vires effectiuæ, conditiones, speculationes, exemplaria, species, cogitationes, naturæ, quiditates, &c. Nihilominus si vim dictionis grecæ spectemus, idea idem est quod forma & species. *Ratio enim inquit* D. August. *à Græcis* λόγος *dicitur; Tamen si quis Ideas rationes appellauerit, à reipsa non aberrabit.* Ludouicus Viues in lib. 7. de Ciuit. Dei. cap. 28. censet Ideas Platonicas à spectando dictas fuisse: *Quoniam*, inquit, *qui aliquid est acturus, Ideam inspicit, ad quam actionem suam aptet; vt pictori qui de exemplari aliquid pingit, hoc exemplar est Idea.* Alexander Alens. 1. parte q. 23. memb. 4. art. 1. statuit nescio quod discrimen inter sapientiam, artem & exemplar; ac rationem & ideam; quòd nimirum sapientia, ars & exemplar se teneant ex parte cognoscentis; ratio verò & idea ex parte rei cognitæ. Sed differentia hæc nulla est, quia exemplar in re ipsa est idem quod ratio & idea. Ex hac tamen doctrina Alexandri constat Franciscum Suarem non satis examinasse mentem eius, cùm docet iuxta ipsum, ideam esse conceptum formalem: si enim idea se teneat ex parte rei cognitæ, vt sentit Alexander, erit potiùs conceptus obiectiuus, quàm conceptus formalis.

Secunda Conclusio.

IDea describitur à D. Dionysio lib. 4. de diuinis nominibus. *Exemplar sempiternorum, Deo semper præsens, ad quod Deus cuncta quæ sunt, aspiciens, molitus & fabricatus est.* Iterum describitur à Doctore Subtili, iuxta mentem D. August. *Ratio æterna & incom-*

Variæ definitiones idearũ.

mutabilis in mente diuina; secundùm quam aliquid est formabile extrà, tanquam secundùm propriam rationem eius. Item describitur à Durando in vniuersum prout complectitur tàm diuinas, quàm creatas ideas, *Ratio rei apud intellectum existens obiectiuè, ad cuius imitationem aliquid est producibile.* Iterum describitur ab Ochamo, *Aliquod cognitum, ad quod agens aspicit in producendo, vt secundùm ipsum, aliquid simile, vel ipsummet producat in esse reali.* In qua definitione habetur ideam esse conceptum obiectiuum, vel ipsiusmet rei faciendæ, vel alterius, ad cuius imitationem res facienda est. Vt autem meliùs intelligantur hæ descriptiones, videnda sunt ea quæ habet D. Aug. lib. 83. qq. q. 46. vbi multa tradit scitu dignissima de nominibus & rationibus idearum. Lubet eius verba subijcere: *Ideas,* inquit, *Plato primus appellasse perhibetur: non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret, non erat, ideò vel res ipsæ non erant, quas ideas vocauit, vel à nullo erant intellectæ; sed alio fortaßè, atque alio nomine ab alijs, atque alijs nuncupatæ sunt. Licet enim cuicumque rei incognitæ, quæ nullum habeat vsitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile sapientes aut nullos fuisse ante Platonem, aut istas quas Plato, vt dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse: siquidem tanta in eis vis constituitur, vt nisi, his intellectis, sapiens esse nemo poßit. Credibile est etiam præter Græciam, fuisse in alijs Gentibus sapientes; quod etiam Plato ipse non solùm peregrinando, sapientiæ perficiendæ gratiâ satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo (si qui fuerint) non existimandum est Ideas ignoraße: quamuis alio fortaße eas nomine vocitauerint. Sed de nomine hactenus dictum sit: rem videamus, quæ maximè consideranda, atque noscenda est in potestate constitutis vocabulis, vt quod volet quisque appellet rem quam cognouerit.*

Ideas igitur Latinè poßumus, vel formas, vel species dicere, vt verbum ex verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Rationes enim græcè λόγοι appellantur, non ideæ: sed tamen quisquis hoc vocabulo vti voluerit, à re ipsa non errabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt: ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur; Et cùm ipsæ nec oriantur, nec intereant, secundùm tamen eas formari dicitur omne quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit. Anima verò negatur eas intueri posse nisi rationalis, eâ sui parte, quâ excellit, id est, ipsâ mente, atque ratione quasi quadam facie vel oculo suo interiori, atque intelligibili: & ea quidem ipsa rationalis anima non omnis & qualibet, sed quæ sancta & pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea; id est quæ illum ipsum oculum, quo videntur ista, sanum & sincerum, & serenum & similem his rebus, quas videre intendit, habuerit. Quis autem religiosus ac verâ Religione imbutus, quamuis nondum poßit hæc intueri, negare tamen audeat, imò non etiam profiteatur

teatur omnia quæ sunt, id est quæcumque in suo genere propria quadam naturâ continentur, vt sint, Deo authore, esse procreata, eoque authore omnia quæ viuunt, viuere, atque vniuersalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea quæ mutantur suos temporales cursus certo moderamine celebrant summi Dei legibus contineri & gubernari? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest; restat vt omnia ratione sint condita, nec eâdem ratione homo quâ equus. Hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur proprijs sunt creata rationibus: Has autem rationes vbi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum intuebatur, vt secundum id, constitueret, quod constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est. Quòd si hæ rerum omnium creandarum creatarumue rationes in diuina mente continentur, nec in diuina mente quicquam nisi æternum, atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato; non solùm sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, & eiusmodi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit, vt sit quicquid est, quomodo est, quarum visione anima rationalis fit beatissima; quas rationes siue ideas, siue formas, siue species, siue rationes licet vocare, & multis appellare conceditur nominibus, sed paucissimis videre. Hactenus Augustinus.

Tertia Conclusio.

IDea est vel conceptus obiectiuus vt terminans conceptum formalem, aut vt repræsentatus in conceptu formali rei faciendæ; vel conceptus formalis, aut aliquid se habens instar conceptus formalis, vt terminatus ad conceptum obiectiuum, aut vt repræsentans conceptum obiectiuum eiusdem rei faciendæ. Declarabitur, simulque probabitur mox ista conclusio. Ac imprimis quidem idea non est conceptus obiectiuus alterius rei, ad cuius imitationem fiat res ideata, vt patet ex verbis conclusionis. Non quòd conceptus obiectiuus alterius rei absolutè loquendo, non possit aliquando esse idea, vt patet de ideis seu exemplaribus extrinsecis: sed quia non potest esse idea proxima & immediata, de qua solùm hîc loquimur, sed duntaxat remota, & causa ideæ proximæ & intrinsecæ.

Et quidem hoc peculiariter ostenditur in diuinis ideis, quæ quidem non ponuntur conceptus obiectiuus alterius rei, nisi vel essentiæ diuinæ, vel attributi veritatis diuinæ: sed neutrum horum est idea proxima & propriè dicta rerum producibilium. Probatur primò de essentia diuina, impugnando scilicet omnes modos quibus statuitur idea creaturarum. Imprimis enim quidam dicunt essentiam diuinam absolutè & nudè spectatam esse ideam creaturarum. Sic noster Guillelmus de Rubione. Hoc autem ex eo improbatur; tùm quia idea est id ad quod aspiciens artifex operatur: Sed Deus non operatur præcisè ad extra, ex eo quòd intueatur essentiam suam absolutè, & simpliciter spectatam; tùm quia iuxta hoc, assignari non posset pluralitas idea-

Ostenditur nulla ratione essentiā diuinam esse ideā creaturarum.

rum in mente diuina; quia essentia diuina absolutè spectata non induit rationem pluralitatis, præsertim respectu rerum ad extra: Ergo essentia diuina absolutè & simpliciter spectata non potest esse idea creaturarum. Alij dicunt essentiam diuinam prout habet rationem principij quo, respectu cognitionis diuinæ, quâ creaturæ cognoscuntur producibiles, habere rationem ideæ. Impugnatur; quia essentia diuina vt sic; habet se vt species intelligibilis respectu intellectionis; sed species intelligibilis, vel quòd se habet instar speciei intelligibilis non est idea: Ergo neque essentia diuina, quatenus induit hanc rationem.

Alij sustinent essentiam diuinam quatenùs imitabilem & participabilem à creaturis, esse ideam earumdem. Ita absolutè D. Thomas, & probabiliter noster Richardus & Durandus, Franciscus Suarez tom. 1. Metap. disp. 25. sect. 1. numer. 15. ex eo arguit hanc sententiam improbabilitatis: Quia, inquit, cognoscere essentiam, vt participabilem à creatura, nihil aliud est quàm cognoscere ex vi talis essentię posse creaturam talem gradum entis participare: sed hoc non est aliud, quàm cognoscere ipsam creaturam, quatenùs ex vi eminentis virtutis Dei potest ab illa prodire: Ergo talis cognitio reuera est cognitio creaturæ in Deo: Ergo si obiectum illius cognitionis est idea, creatura erit idea. Et quia hic author putat creaturam, etiam vt cognitam non posse esse ideam; ideò existimat, nec essentiam vt participabilem à creaturis, posse esse ideam illarum. Nos conformiter nostris principiis, alio modo improbamus hanc sententiam, non quidem argumento petito ex impugnatione illius respectus imitabilitatis, vt quidam ex nostris; quia Doctor Subtilis non tàm impugnat respectus illos imitabilitatis & participabilitatis propter ideas, quàm quia admittebantur ab Henrico, tanquam necessarij Deo ad cognitionem creaturarum: Sed hoc pacto illam improbamus. Essentia diuina non potest esse idea creaturarum, quatenus est imitabilis ab illis, si nulla possit assignari imitabilitas, quæ quasi constituat essentiam diuinam in ratione ideæ: sed nulla potest assignari. Probatur; quia aut illa esset imitabilitas essentię diuinę secundùm suum esse formale, vel secundùm suum esse eminentiale, vt patet: sed quocunque istorum duorum modorum ponatur essentia diuina imitabilis à creaturis, non potest, vt sic, esse idea illarum: Non primò secundùm suum esse formale; quia essentia diuina secundùm suum esse formale superat in infinitum creaturas, & non potest creatura esse imitatiua essentiæ diuinę secundùm suum esse formale: Nec aliter Deus produceret creaturam ex idea, si produceret illam aspiciendo ad essentiam suam secundùm suum esse formale, quàm si artifex aliquis ex intuitu elephantis produceret muscam; imò longè minùs, vt patet, propter distantiam infinitam, quę intercedit inter Deum & creaturas. Non etiam essentia diuina est

idea creaturarum, quatenus est imitabilis ab illis secundùm suum esse eminentiale; quia quoties producitur aliquid ex intuitu alterius, in quo continetur eminenter, non producitur ex idea; quippè quę debet esse ipsissima forma imitabilis à re ideata, & non aliud eminentius & perfectius: patet exemplo illius qui produceret plantam ex intuitu hominis, in quo continetur eminenter: clarum est enim quod sic producendo plantam, non produceret illam ex idea. Vno verbo dico cum D. Bonauentura, imitationem, quâ creatura ponitur posse imitari Deum, non esse sufficientem ad rationem ideę, quia, vt verbis eius vtar, in modico potest finitum imitari infinitum: vnde semper maior est dissimilitudo, quàm similitudo.

Essentia vt verbũ, creaturarũ non est idea earum cõtra Gabrielem Vasquez.

Alij existimant essentiam diuinam prout est cognitio & similitudo quasi expressa creaturarum, esse earum ideam. Ita Gabriel Vasquez 1. p. disp. 72. cap. 2. Hoc autem non aliter probant, quàm confutatione suppositâ & prætensâ aliarum opinionum: Quibus confutatis, dicunt nihil superesse quod habeat rationem ideæ creaturarum, nisi essentiam diuinam hoc modo acceptam. Improbatur nihilominus, quia hæc sententia supponit creaturas habere esse intelligibile & repræsentatum in essentia diuina ante quemcumque actum intellectus diuini; quod tamen falsum est: Licet enim creaturæ habeant esse intelligibile virtualiter in essentia diuina, ante actum intellectus diuini; non, habent tamen esse intelligibile formaliter; aliàs pertinerent ad memoriam Patris, sicque cùm Verbum diuinum nascatur de tota memoria Patris, nasceretur de memoria creata, & per consequens esset similitudo & imago creaturæ ex vi suæ productionis; sicque creatura quæ non est necesse esse, esset ratio producendi vt memoria, vel per modum memoriæ, Verbum diuinum quod est simpliciter necesse esse; quod tamen est absurdum. Et hæc videtur esse ratio D. Anselmi in Monologio cap. 28. cùm Verbum gignatur de tota memoria, & creatura priùs sit in memoria quàm in intelligentia; sequitur quòd verbum ex vi suæ productionis sit similitudo creaturæ: Et hinc concludit ibidem quòd Verbum diuinum non esset summa veritas, nec per consequens Deus: quia principium productiuum eius totaliter & adequatè sumptum, non esset Deus.

Prętereà sic ratiocinatur noster Ioannes de Bassolis in 1. dist. 36. q. 1. art. 2. Creatuta de se nullum habet esse nec rei nec rationis. Ergo in quocumque esse ponatur, poni debet necessariò per actum alicuius productiuæ potentiæ; & si illud esse est reale, oportet quòd potentia sit realiter productiua; si rationis, quòd sit productiua secundùm rationem: sed esse actu & formaliter intelligibile est primùm esse in quo creatura potest poni: ergo ponitur in illo, per actum alicuius potentiæ, & præcipuè primæ potentiæ productiuæ, quæ est intellectus; quia istud esse non est reale, sed

rationis. Et certè concipi non potest quo pacto essentia diuina ante actum intellectus diuini, possit esse species expressa, & verbum creaturarum; quia in eo instanti nihil fingi potest quod sit expressiuum, & veluti formatiuum creaturarum in esse intelligibili. Solus enim intellectus diuinus per suam cognitionem exprimit & quasi format ipsas creaturas in esse intelligibili; & sic expressæ & veluti formatæ sunt ideæ sui ipsius, quatenus produci possunt in esse reali; vt statim dicemus. Ideoque quantumuis exprimantur & veluti formentur in essentia diuina, per actum intellectus diuini, non potest tamen ipsa essentia esse idea illarum; quia non est expressiua earundem; sed solus intellectus, vt dictum est.

Explicatur quâ ratione veritas diuina possit esse idea creaturarum.

Superest examinemus sententiam nostri Seraphici Doctoris D. Bonauenturæ, qui docet veritatem diuinam esse ideam creaturarum. Statuit enim hoc discrimen inter cognitionem nostram; & cognitionem diuinam; quòd in cognitione nostra, similitudo rei cognitæ sit in nobis, & veritas sit in re cognita; proindeque similitudo sit expressiua veritatis; veritas autem expressa per similitudinem: in cognitione autem diuina, veritas sit in cognoscente, & similitudo in re cognita; proindeque veritas sit expressiua similitudinis, similitudo verò expressa per veritatem; & quia ratio expressiua apud ipsum, est idea, idcircò veritas diuina est idea; Itaut veritas diuina, & non essentia, vt malè sensit Vasquez, iuxta hanc sententiam sit ratio expressa, & veluti verbum creaturarum. Nihilominus si hoc intelligatur de attributo veritatis diuinæ, redit eadem difficultas, quæ de essentia; quia non potest concipi quâ ratione ante actum intellectus diuini, veritas ipsa sit expressiua & veluti formatiua creaturarum in esse intelligibili: quare iuxta hunc sensum erit falsa hęc positio. Tamen conformiter Doctrinæ diui Augustini, potest esse verissima & certissima: dicit enim Diuus Augustinus lib. de vera Religione capit. 31. loquens de veritate diuina: *Hæc est*, inquit, *illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis*. Et lib. 4. Musicæ: *Veritas*, inquit, *vocatur ars Dei supremi; veritate facta cuncta sunt, omniumque forma veritas*. Vbi nomine veritatis non intelligit Diuus Augustinus simpliciter attributum veritatis diuinæ, sed ipsasmet ideas rerum, quas appellat veritatem, propter illarum soliditatem, firmitatem, incommutabilitatem & conformitatem ad producibilia; sed ex his non habetur clarè, quid sit id cui conuenit ratio ideæ; imò hæc sententia, hoc modo explicata, accedere videtur ad opinionem Doctoris Subtilis.

His dictis, iam declaremus & probemus nostram sententiam. Dicimus ergò conceptum obiectiuum ipsiusmet rei producibilis, quatenus terminat conceptum formalem, vel repræsentatur in conceptu formali eius, esse ideam eiusdem. Hæc est

prima pars nostræ positionis, quâ nihil aliud dicitur quàm esse cognitum, seu esse obiectiuum creaturarum, prout terminat cognitionem diuinam, eamque connotat, esse ideam creaturarum producibilium. Altera pars est ipsum conceptum formalem vt terminatum ad conceptum obiectiuum, seu cognitionem diuinam vt terminatam ad creaturas in esse cognito, esse etiã ideam creaturarum producibilium. Quod enim de esse cognito, vt terminante cognitionem diuinam, dicitur; dici quoque potest de cognitione diuina vt terminata ad esse cognitum. Et certè existimo illos omnes, qui constituunt ideas in conceptu formali, illud idem dicturos; ni putarent creaturas vllo pacto non posse veluti concurrere ad constitutionem idearum diuinarum: Nam hac vel solâ ratione improbant sententiam Doctoris Subtilis & aliorum, qui idem cum ipso sentiunt: sed tolletur hic scrupulus inferiùs. Diximus autem in conclusione ideam esse conceptum formalem, vel aliud se habens instar conceptus formalis; quodquidem dictum est propter cognitionem diuinam, quæ propriè non est conceptus formalis, se habet tamen instar conceptus formalis. Et quidem cùm intellectus diuinus non sit productiuus alicuius conceptus formalis, vel verbi cuiusdam essentialis, quod sit idea creaturarum; existimo Doctorem Subtilem hanc rem optimè declarasse, dicendo creaturas productas in esse cognito, obiectiuo, & repræsentato per actû intellectus diuini, esse ipsasmet ideas diuinas: Quamuis enim creaturæ hoc pacto sint obiectum intellectus diuini: habent tamen maximam conuenientiam cum nostra specie expressa, & verbo mentis creato: Quia nimirum quemadmodum nostrum verbum mentis formatur ab intellectu nostro, estque terminus actionis eius: ita creaturæ in esse cognito producuntur ab intellectu diuino, suntque terminus cognitionis eius. Item, quemadmodum nostrum verbum mentis, practicum scilicet, est repræsentatiuum rei à nobis faciendæ; ita creaturæ in esse cognito sunt repræsentatiuę sui ipsius in esse reali, & quatenus sunt producendæ. Mitto alia plura. Diximus insuper conceptum obiectiuum vt terminantem conceptum formalem, vel vt repręsentatum in conceptu formali, esse ideam creaturarum, vt ostendamus esse cognitum creaturarum non aliâ ratione esse ideam ipsarũ, quàm quia terminat cognitionem diuinam; vt etiam dicamus cognitionem diuinam vt terminatam ad esse cognitum, habere quoque rationem ideæ; illud enim vtrumque tenet Doctor Subtilis, vt constat ex prænotatis. Quamquam igitur sequentes rationes videantur procedere de esse cognito simpliciter; tamen intelligendæ sunt de esse cognito, hoc modo explicato.

Audiamus imprimis sententiam Doctoris Subtilis. *Igitur videtur quòd lapis intellectus*, inquit, *possit dici idea: ipse enim habet omnes istas conditiones* (loquitur de conditionibus expressis in definitio-

ne ideæ) *quia ipse est ratio factibilis extrà propria sibi: sicut arca in mente potest dici ratio respectu arcæ in materia: & est propria ratio, secundùm quam arca in materia formatur: & ista ratio est æterna in mente diuina, vt cognitum in cognoscente per actum intellectus diuini: quidquid autem est in Deo secundùm quodcumque esse, siue rei, siue rationis, per actum intellectus diuini, est æternum, sicut declaratum fuit suprà, dist. 30. quòd nulla relatio potest esse noua in Deo, per actum intellectus sui. Istud videtur sonare cum dicto Platonis, à quo accepit Diuus Augustinus nomen ideæ: Ipse enim posuit ideas quidditates rerum: per se quidem existentes secundùm Aristotelem, & malè: secundùm Augustinum in mente diuina, & benè: vnde loquitur de mundo intelligibili secundùm eum. Sicut igitur ponerentur ideæ, secundùm illam impositionem Aristotelis, quidditates rerum; ita ponuntur secundùm Platonem, vt videtur, quidditates habentes esse cognitum in intellectu diuino. Hoc posito, non oportet laborare circa relationes aliquas formaliter, siue in essentia, vt est obiectum; siue in essentia, vt est relatio: siue in essentia, vt est intelligere diuinum: quæ relationes dicantur ideæ; imò ipsum obiectum cognitum est idea secundùm istud.* Hæc Scotus.

Probatur nostra positio rationibus Ochami, Gabrielis, & Durandi.

Probatur iam nostra sententia his efficacissimis rationibus Ochami, Gabrielis & Durandi. Idea est ratio rei apud intellectum existens obiectiuè, ad cuius imitationem aliquid est producibile: Sed creatura vt intellecta à Deo, se habet ad seipsam, vt est producibilis ad extrà in re, vt ratio apud intellectum existens obiectiuè; ad imitationem etiam rei, vt est intellecta produci, ipsa producitur in re extrà; ita quòd idem vt productum imitatur seipsum vt est intellectum produci: sic enim & non aliter, producitur res extrà, sicut præintellecta fuit produci. Ergo creatura vt à Deo intellecta, est idea sui ipsius, vt est producibilis, vel producta.

Prçtereà: sicut in mente diuina sunt ideç omnium creatorum, sic in mente artificis sunt ideç artificiatorum: sed idea in mente artificis, est ipsamet res artificialis, vt prçconcepta: Ergo idea in mente diuina est ipsamet res producenda, vt prçintellecta. Minor declaratur auctoritate, & ratione. Auctoritate quidem Aristotelis 7. Meta. vbi dicit, quòd sanitas in materia, est à sanitate in anima, ita quòd eadem sanitas, vt intellecta, est idea sui ipsius, vt effecta. Ratione autem sic: Nihil est in mente artificis, ad cuius imitationem res exteriùs producatur, nisi ipsamet res, vt est intellecta: Et si quis hoc neget, quia artifex faciens arcam, v. g. facit eam ad similitudinem alterius arcç, quam vidit, & cuius conceptum penes se in mente retinuit, hoc non valet; quia accidit quòd artifex cognitionem arcæ fiendæ acceperit ex aliqua priùs visa; si enim nunquam aliquã vidisset, sed Deus infunderet ei cognitionem arcæ faciendç, adhuc produceret arcam per artem, & per ideam; quç tamen tunc non esset nisi ipsamet res, vt intellecta. Nunc etiam accipiente artifice cognitionem arcç fiendç,

Non videtur hic Durandus distinguere inter conceptum formalem & conceptum obiectiuum eiusdẽ rei faciendæ.

ex arca priùs visa, cognitio arcę visę non sufficeret ad producendum per artem, nouam arcam, nisi formaretur de arca fienda, nouus conceptus: Conceptus autem de arca fienda, si esset, sufficeret absque conceptu de arca priùs visa: Ergo magis habet rationem ideę in nobis res fienda, vt priùs concepta, quàm quęcumque res alia.

Pręterea; Idea non ponitur nisi respectu effectus producti per artem, seu per agens per intellectum; sed agens per intellectum non differt ab agente naturali, nisi quia pręcognoscit quod producit: illud autem non pręcognoscit quod producit: Ergo idea non est aliud quàm res pręcognita. Sic ergo patet quòd res creabilis, vt à Deo intellecta, habet rationem ideę respectu sui ipsius, vt effecta.

Pręterea: Creatura est cognita ab intellectu diuino, & Deus ad ipsam aspicit, vt rationabiliter producat; quantumcumque enim Deus aspiceret ad aliud, putà ad essentiam, si non cognosceret suum producibile, ignoranter produceret, & non rationabiliter; & per consequens, non per ideam: Ergo Deus in creaturam verè aspicit, & ipsam aspiciendo, potest eam producere.

Pręterea. Illud quo pręcognito potest cognoscens rationabiliter producere, & omni alio per impossibile non pręcognito, & quo non pręcognito, & quocumque alio cognito, non potest rationabiliter producere, est verè idea & exemplar. Sed posito per impossibile, quòd Deus cognosceret creaturam producibilem, & non cognosceret suam essentiam, si haberet potentiam productiuam; posset verè rationabiliter producere: & quantumcumque Deus cognosceret essentiam suam; nisi cognosceret creaturam; non diceretur rationabiliter producere, quantumcumque produceret: Ergo ipsa creatura est idea.

His & aliis similibus rationibus, probatur nostra positio à citatis authoribus, qui non tantum discrimen ponunt inter conceptum formalem, & conceptum obiectiuum eiusdem rei faciendæ, vt si vnus sit idea, alter non sit etiam; imò verò respectu vnius, & eiusdem rei, videntur præsertim Ochamus & Durandus ponere vnicum conceptum, quo intellectus vel sibi fingit, vel sibi repręsentat, & proponit rem faciendam. Neque certè opus est multiplicare huiusmodi conceptus in proposito: Nam experientià constat intellectum per suam cognitionem & intellectionem, sibi proponere rem ipsam faciendam, & ad illam aspicere, vt fiat extrà; quod quidem longè facilius est, quàm statuere conceptum aliquem formalem distinctum à conceptu obiectiuo, supra quem reflecti debeat intellectus, ad hoc vt fiat artificiatum extrà: nam sic admittitur conceptus obiectiuus, cùm negatur: non potest enim conceptus formalis non esse conceptus obiectiuus illius actionis reflexæ intellectus, vt patet.

Obiectio 1. Quæstio præcipuum fundamentũ Fran-

Obijcitur nihilominus primò. Idea est vera, & realis causa rei quæ fit per ipsam: Ergo non potest esse ipsamet res, quæ posteà fit, vt anteà erat præconcepta. Antecedens communiter conce-

eiſei Suarez, & Gabrielis Vaſquez. ditur. Conſequentia probatur. Vnum & idem non poteſt eſſe cauſa ſuiipſius. Nihil enim gignit ſeipſum ex D. Auguſt. 1. de Trinit. cap. 1.

Solutio. Vnum & idem poteſt eſſe cauſa ſui ipſius in genere cauſæ exemplaris, & finalis, & quare. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam; & ad probationem dicendo vnum & idem non poſſe eſſe cauſam ſuiipſius in genere cauſæ efficientis, de quo eſt intelligendus D. Auguſtinus; benè tamen in genere cauſæ exemplaris, & in genere cauſæ finalis: quia ad hoc vt aliquid ſit cauſa in genere cauſæ efficientis, ſupponitur eſſe ſecundùm ſuum eſſe reale; ad hoc autem vt aliquid ſit cauſa in alijs duobus generibus, ſufficit quòd ſit ſecundùm aliquod eſſe cognitum; cui, vt ſic, non repugnat cauſare ſeipſum ſecundùm eſſe reale; præſertim cùm eius cauſalitas conſiſtat in cognoſci vel obijci; vel in motione quâ mouetur agens ſecundùm illud eſſe cognitum rei fiendæ, vel habendæ.

Statuunt aliqui diſcrimen inter cauſam finalem, & cauſam exemplarem quo ad hoc, quòd finis vt apprehenſus non diſtinguatur neceſſariò à ſeipſo, ſecundùm eſſe reale: At cauſa exemplaris debet eſſe aliquid diſtinctum à re facienda; quia exēplar ſeu idea eſt id, ad cuius imitationem fit aliquid; nihil autem fit ad imitationem ſui ipſius. Reſpondeo tamen hoc diſcrimen nullum eſſe; nec intercedere diſtinctionem neceſſariò inter ideam, & rem ideatam; proindeque vnum & idem poſſe fieri ad imitationem ſui ipſius ſecundùm aliud & aliud eſſe; fieri quidem ſecundùm eſſe reale: ad imitationem verò ſui, ſecundùm eſſe cognitum; cùm nimirum res extrà correſpondet omni ex parte, ſibi ipſi vt præ fuit in intellectu: & ſic etiam vna & eadem res proponitur imitanda, & eſt ſimul facienda; imitanda quidem ſecundùm eſſe cognitum; facienda verò ſecundùm eſſe reale. Quomodo vna & eadem res poſſit proponi imitanda, & eſſe ſimul facienda.

Alij dicunt ideam non poſſe eſſe ipſam rem faciendam, quatenus eſt cognita; propterea quòd munus ideæ ſit dirigere actionem agentis quoad ſpecificationem: hoc autem munus, inquiunt, non eſt obiecti cogniti, ſed cognitionis eius, quatenus in illa continetur, in eſſe repræſentatiuo. Sed nec iſtud valet. Eſto enim exemplar dirigat actionem agentis, falſum eſt munus iſtud non poſſe competere obiecto cognito: quemadmodum enim finis cognitus mouet agens ad agendum; ita res cognita dirigit agens, illudque determinat ad operandum; nec in hoc vlla apparet difficultas.

Obiectio 2. deſumpta ex proprietatibus Ideæ quas refert D. Auguſt. Obijcitur 2. Diuus Auguſtinus multas enumerat proprietates Idearum; vt quòd videlicet ſine illis nemo ſapiens & beatus eſſe poſſit; quòd neque oriantur neque intereant; quòd ſint æternæ; quòd verè ſint, & cæt. Hæc autem competere non poſſunt creaturis cognitis. Ergo ideæ non ſunt creaturæ in eſſe cognito. Reſpondeo negando minorem: Nam etiam ſine creaturis cognitis præſertim vt connotantibus & terminantibus cognitionem diuinam, nemo poteſt eſſe ſapiens omni ex parte, nec etiam beatus, ſaltem beatitudine accidentali

Solutio.

accidentali ea extēsina. Item, creaturæ cognitæ sunt æternæ; quia vt dicit noster Ochamus, sunt ęternaliter, immortaliter immutabiliter & infactibiliter intellectę. Item, verè sunt, hoc est, verè intelliguntur. Item, neque oriuntur, neque intereunt; quia creaturæ neque de nouo incipiunt, neque postea desinunt intelligi à Deo; sed semper & immutabiliter intelliguntur, ad differentiam idearum nostrarum quæ nunc oriuntur, mox desinunt; quia incipiunt & desinunt à nobis intelligi.

Obiectio 3. Obijcitur 3. Sacrilegum est asserere Deum vllo modo dependere à creaturis: sed si creaturæ cognitæ essent ideę, dependeret à creaturis; quia omnis artifex dependet ab ideis in operando. Ergo ideæ non sunt creaturæ cognitæ.

Solutio. Respondeo concessâ maiore, negando sequelam minoris; & ad probationem, dicendo artificem infinitum non indigere ideis in operando; illas tamen pręhabere non ex indigentia, sed ex maxima perfectione; quia nimirum repugnat illi operari aliquid extrà, nisi cognoscat illud, & illud rationabiliter producat.

Deus operatur per ideas, non ex indigētia, sed ex summa perfectione.

Obiectio 4. Obijcitur 4. Idea est forma realis in Deo: sed creatura secundùm illud esse cognitum & obiectiuum, non est quid reale, sed rationis, vt diximus superiùs: Ergo creatura cognita non est idea.

Solutio. Respondeo distinguendo maiorem, scilicet ideam esse formam, aut veluti formam realem in Deo, vel ratione connotati, si ponatur conceptus obiectiuus creaturæ, qui quidem ex dictis non est idea, nisi quatenùs connotat cognitionem diuinam, quæ realis est; vel etiam ratione significati principalis, si idea ponatur ipsamet cognitio diuina, seu vt alij loquuntur, conceptus formalis eiusdem creaturæ, vt terminatus ad creaturam cognitam. Et sic ad minorem dicitur creaturam secundùm esse cognitum, esse realem ratione connotati, videlicet cognitionis diuinæ quam connotat & terminat; quod sufficit, vt dicatur idea esse forma realis.

Obiectio 5. Obijcitur 5. Idea est ratio cognoscendi obiectum: at creatura cognita non est ratio cognoscendi; imò potiùs est obiectum cognitam. Ergo creatura cognita non est idea.

Solutio. Respondent Doctor Subtilis, & Ocham negando maiorem: nec enim ponitur à D. Aug. idea ratio cognoscendi, sed ratio secundùm quam aliquid est formabile ad extrà. Quod si alicubi reperiatur ideam esse rationem cognoscendi; id sic debet intelligi, quasi sit ratio terminandi cognitionem, non mouendi ad cognitionem: quia nimirum est terminus cognitionis, non verò ratio per quam aliquid cognoscatur: & ex eo confirmatur, quia essentia diuina, vel sub ratione causæ, vel sub ratione speculi, vel sub alia ratione cognita Theologis, est ratio sufficiens cognoscendi creaturas.

Ideæ nō sunt rationes cognoscendi, sed faciendi.

Dubitabis an, cùm dixerimus etiam cognitionem diuinam, vt terminatam ad creaturas in esse cognito, esse quoque ideam illarum, omnis cognitio diuina terminata ad aliquod obiectum se-

cundarium, habeat rationem ideæ? Respondeo quòd non: sed ea sola quæ terminatur ad obiectum secundarium producibile à Deo. Hinc malorum & priuationum non sunt ideæ; multo minùs essentiæ diuinæ, quæ est obiectum primarium, & quæ non est aliquid producibile.

QVÆSTIO XVIII.

Quid sit Existentia?

DE existentia prǽsertim rei creatæ procedit quæstio: cùm enim fortè in sententia nostra, existentia diuina sit prǽdicatum essentiale diuinitatis, existentia autem creata non sit prædicatum essentiale creaturæ, vt dicit Doctor noster in 2. dist. 3. qu. 3. de hac vtraque existentia, pro nunc æqualiter disserere non possumus.

Existentia & esse idē significant. Prǽnotandum itaque 1. illud quod nos vocamus existentiam, ab alijs vocari esse. Inde apud illos, compositio ex esse & essentia, si quæ sit, est compositio ex existentia & essentia: Verùm cùm multiplex sit esse, aliud essentiæ, aliud existentiæ, & aliud subsistentiæ, vt habet Doctor noster multis in locis, sed prǽsertim in 3. dist. 6. qu. 1. vt distinctiùs loquamur; melius erit cùm de esse disputabitur, distinguere de quonam esse erit sermo: & ita distinctè hîc procedentes, non de esse simpliciter, sed de esse existentiæ, seu de existentia disserendo, quærimus quid sit?

Prænotandum 2. existentiam actualem non esse potentiam neque subiectiuam, neque obiectiuam; sed esse actum aliquem, vt docet Scotus in 2. dist. 3. qu. 3. quia per ipsam, essentia quæ priùs erat possibilis, fit actu formaliter, & quia quasi complet aut perficit essentiam, educendo illam, è sinu suarum causarum, & faciendo illam extrà illas sistere: Vnde existere dicitur quasi extrà sistere; & existentia quasi extrà sistentia. Sed cùm multiplex sit actus, alius Physicus seu informans, & alius Metaphysicus seu finiens; & tàm Physicus quàm Metaphysicus alter sit substantialis, alius verò accidentarius, alius primus, alius vltimus: Dubitatur quis vel qualis horum sit? Existētia non est potentia, sed actus.

Prǽnotandum 3. existentiam posse ad varia comparari, scilicet vel ad essentiā cuius est existentia, vel ad illud quod præcessit essentiam quam afficit, quod est nihil, vel ad potentiam obiectiuam, vel ad causas producentes essentiam, vel ad seipsam, vel ad alia, non prout sunt simpliciter, sed vel prout causant, vel prout causantur, vel prout aliquid aliud præstant. Et secundùm has varias comparationes, varias etiam sortitur rationes. Existētia ad varia comparatur.

Prǽnotandum 4. pro intelligentia rationis quam sortitur, prout ad seipsam comparatur; eorum quæ sunt, aliqua esse hoc ipsum quod est, alia esse hoc, quo id quod est, esse dicitur: v. g. Dantur quædam quę differunt, & alia quibus differentia differunt; Item, dantur quædam quæ Ratio quę, & ratio quâ: seu id quod & id quo.

sunt alba, & alia quibus illa sunt alba: Et est inter illa hoc discrimen, quòd eorum quæ differunt, dantur semper vlteriores rationes, per quas ipsa differunt; diuersorum autem seu eorum quibus illa differunt, non dantur vlteriores rationes differendi; quia sic, esset processus in infinitum, qui vt tollatur, deuenitur tandem ad aliqua, quibus alia differunt, & quæ se ipsis sunt primò diuersa; Et de omnibus alijs rebus, ita philosophandum est. His positis, sit.

Prima Conclusio.

Descriptio existentiæ.

EXistentia, comparata ad essentiam, describitur actus Metaphysicus totalis, per quem tota res quæ priùs fuerat in potentia obiectiua, in suis causis, & propriè nihil, fit actu, & ponitur extra suas causas, & extrà nihil. Hæc descriptio sumitur ex nostro Alexandro Alens. 7. Metaphysic. text. 22. Declaratur simulque probatur. Res antequam à Deo producatur, hoc tantùm habet quòd potest produci, & vt sic dicitur habere esse non prohibitum, vt loquitur Alexander, seu esse possibile, vt loquitur Scotus: Cùm autem producta est, non est ampliùs possibilis solùm, sed est actu, & prout est actu, dicitur existere: quò fit vt existentia non sit aliquis actus partialis, cuiusmodi est forma physica, vel differentia aliqua, quæ supponit aliquid, putà vel materiam, vel genus in quo veluti recipiatur, & cui accidat; sed est ipsamet res realiter quæ producta est: prout actu producta est: & eà ratione dicitur actus, quia correspondet potentiæ obiectiuæ, & totaliter actuat id quod anteà totum & totaliter fuerat possibile. Et ex his quidem iam satis impugnari posset illud esse receptum, de quo loquitur Cajetanus de ente & essentia cap. 5. Sed commodiùs impugnabitur, vbi agemus de distinctione existentiæ ab essentia.

Quomodo existentia dicatur actus.

Existentia non est actus Physicus.

Porò existentiam non esse actum physicum seu informantem, ex eo patet, quia actus physicus seu informans distinguitur realiter à subiecto in quo suum effectum formalem exercet, & cum eo facit veram & realem compositionem: At existentia non distinguitur realiter ab essentia. Deinde actus physicus & informans est pars essentialis rei naturalis; existentia verò nullius rei est pars essentialis: ergo existentia non est actus physicus. Restat itaque vt sit actus Metaphysicus; tum quia est transcendens & abstrahens ab omni materia, tùm quia actuat & complet rem modo quodam improprio, qui non potest aliter quàm generaliter & Metaphysicè explicari.

Existentia est actus respectu essentiæ, & respectu potentiæ obiectiuæ.

Sic itaque existentia respectu essentiæ dicitur actus, quia illum suo modo perficit & actuat. Nihilominus etiam per habitudinem ad potentiam obiectiuam, dici potest etiam actus; quia potentia & actus sese mutuò respiciunt: & quia antequam res sit extra suas causas, dicitur esse in potentia obiectiua, quia nimirum est obiectum potentiæ & virtutis earum; ita postquam

posita est rei extra suas causas, dicitur esse in actu, quia potentia illa obiectiua redacta est ad actum, modo superiùs explicato.

Existẽtia vt comparata ad nihil, est realitas.

Per habitudinem autem ad nihil, dicitur propriè realitas: quemadmodum enim antequam res sit, concipitur à nobis nihileitas tanquam forma priuatiua afficiens ipsam; ita postquam est, concipitur realitas illi opposita, tanquam forma vel modus etiam afficiens ipsam.

Vt cõparata ad causas, addit supra essentiã, respectum.

Per habitudinem autem ad causas vel producentes vel conseruantes essentiam, fortè vt sentit noster de Bassolis in 3. Dist. 6. q. vnicâ: existentia suprà essentiam, nihil addit nisi respectum aliquem ad ipsasmet causas.

Porrò determinandum est iam an existentia dici debeat actus accidentalis, nec ne? Iterum, An dici debeat actus vltimus, vel non vltimus essentiæ? Quod spectat ad primum, existentia propriè dici non potest actus accidentalis; aliquo modo tamen dici potest accidentalis. Vtraque pars huius propositionis est expressa Doctoris Subtilis in 2. dist. 3. q. 3. Prior pars est aduersus Auicenam 5. suæ Metaphysicæ, &, vt credit Suarez, aduersus Thomistas, qui distinguentes existentiam realiter ab essentia, asserunt existentiam esse quoddam accidens pertinens ad certum quoddam prædicamentum, quando, vel quantitatis; quorum fundamentum est, quia duratio & existentia idem sunt? Nam durare nihil aliud est, quàm existere: Sed duratio est accidens rei quæ durat, & propriè collocatur in prædicamento quantitatis, sub specie temporis, si duratio successiua sit; vel in prædicamento, quando, si sit alterius rationis: ergo & existentia. Nihilominus contra hanc sententiam, ita probatur ista propositionis pars. Existentia substãtiæ non est accidens substantiæ: Ergo in vniuersum, existentia non est accidens eius, cuius est existentia. Consequentia tenet. Antecedens probatur. Generationis terminus est esse existentiæ in substantia, vel aliquid substantiale habens tale esse, vt habet Scotus in 3. dist. 6. q. 1. ex Aristotele 5. Physicorum. Sed nullus terminus generationis neque formalis, qualis posset poni existentia, neque totalis, cuiusmodi est illud quod habet esse existentiæ, est accidentalis: Ergo esse existentiæ non est accidens substantiæ. Confirmatur; quia aliàs, omnis essentia substantialis existens esset vnum per accidens, & non per se, quod est absurdum. Addit Suarez. Si existentia esset accidens; Ergo vel commune, vel proprium: Non primum; quia accidens commune potest abesse absque subiecti corruptione, & prouenit ab extrinseco subiecto præexistenti. Neque etiam potest esse accidens proprium; quia proprium consequitur, & resultat ex re iam existente: & ideò nõ per se primò fit per generationem, vel creationem, sed resultat ex re producta per generationem vel creationem. Itaque existentia substantiæ non est ac-

Existẽtia non est actus accidẽtalis.

cidens substantiæ, sed modus eius. Et idem seruatâ proportione dici debet de existentia accidentis: illa enim est existentia substantialis, & hæc existentia accidentalis.

Tandem impugnando illam rationem Thomistarum, sic argui potest. Existentia non minùs latè patet quàm ipsum ens: at ens non pertinet ad certum genus, sed transcendit omnia genera. Ergo & existentia.

Quid addat duratio supra existentiam.

Respondendo nunc ad illam; dico existentiam & durationem differre; Nam existentia denotat tantùm rem esse actu extra suas causas: Duratio verò significat mensuram & continuationem huiusmodi existentiæ: quare duratio dicitur existentia continuata, vt continuata.

Quomodo existentia dici possit actus accidentalis.

Altera pars eiusdem propositionis probatur. Id omne quod est extra rationem quidditatiuam alterius, dicitur aliquo modo accidens ipsi: Et eo sensu dixit Philosophus in Prædicamentis cap. de relatis, hominem accidere domino, quia non est de essentia domini, quatenus dominus est; & dicimus differentiam accidere generi. Sed existentia non est de ratione quidditatiua eius, cuius est existentia. Ergo eâ ratione, licet minùs propriè, dici potest accidentalis ipsi. Confirmatur ex Alexandro Alensi 5. Metaphysic. text. 14. fol. 121. columnâ mihi 4. in principio. Existentia est extra conceptum prędicamentorum; & quæstio, vtrùm res existat, vel non existat? quæstio de accidentali est, accipiendo accidentale non quod est in prædicamento accidentis, sed quod est extra conceptum rei.

Existentia non spectat per se ad coordinationem prædicamentalem.

Ex his sequitur quòd cùm existentia non habeat propriam aliquam sedem in Categorijs, neque sit proprium accidens essentię cuius est existentia; vel trāscendit omnia prædicamenta, sicut ens ipsum, vel reducitur ad illud prædicamentum, ad quòd spectat essentia cuius est existentia; Et ita existentia substantiæ reducetur ad prædicamentum substantiæ; existentia quantitatis ad prædicamentum quantitatis, & sic de cæteris. Non quòd res existens vt sic, sit aliquod ens prædicamentale: quia ex Doct. Subt. in 2. dist. 3. q. 5. antequam concipiatur vlla existentia, completur tota coordinatio prædicamentalis. Constat enim huiusmodi coordinatio ex solis gradibus quidditatiuis; cuius conditionis non est existentia: Sed quia ea ex quibus coalescit eadem coordinatio, debent existere, vel posse saltem existere: vnde ex impossibilibus, quibus repugnat existentia, non constituuntur genera & species prędicamentales. Ita etiam ferè noster de Bassolis in 3. dist. 6. q. vnicâ art. 1. §. *Dico igitur* his verbis: *Tertiò dico, quòd esse actualis, existentiæ semper ad idem genus & prædicamentum pertinet cum essentia; Aliter tamen; quia essentia per se, existencia autem per reductionem pertinet. Ex quo patet quòd accidit rei vt ponitur in prædicamento, quòd existat; pro tanto, quia licet non sit actu in prædicamento Metaphysico, nisi actu existat; non tamen per rationem existentiæ est in prædicamento, sed magis per rationem quiddi-*

tatis vel essentia. Idem habet Alexander Alensis, loco superiùs citato.

Quomodo existẽtia sit actus vltimus rei.

Quod spectat ad secundum: Doctor Subtilis in 2. dist. 3. q.3. docet existentiam esse actum vltimum rei; cuius ratio est, quia existentia est posterior omnibus gradibus essentialibus & quidditatiuis vniuscuiusque rei, cùm adueniat essentiæ completæ in ratione essentiæ. Negari tamen non debet quin respectu eorum quæ consequuntur essentiam, siuè illa siut proprietates, siue operationes, siue alia accidentia, existentia habeat potiùs rationem primi actus, quàm vltimi.

Quâ ratione dici possit existẽtia gradus seu modus rei.

Addamus aliquid aliud; & dicamus, quòd interdum etiam existentia per habitudinem ad essentiam quam modificat, dicitur modus seu gradus intrinsecus essentiæ. Ita noster Lichetus in fine Commentarij ad 2. sent. Doctoris Subt. dist. 3. q. 3. Et hoc quidem sanè debet intelligi. Non est enim existentia modus aliquis adueniens rei iam constitutæ; quia ante existentiam res non est: Nec est etiam propriè res ipsa aliter tantùm se habens: quia rem nunc aliter se habere, supponit eam antè aliter se habuisse quàm nunc se habeat. Res autem antequam existat, propriè non se habet aliter quàm cùm existit: Quia antequam existat simpliciter non est, dicitur tamen per existentiam aliquo pacto res se habere aliter quàm priùs: quia per existentiam fit actu extra suas causas, cùm anteà non esset extra suas causas. Entitas itaque quæ subest his alietatibus, non est entitas aliqua realis aliter & aliter se habens, sed est sola quidditas rei abstrahens à possibilitate & actualitate, quæ censentur modi eius vt sic abstractæ: Qui enim concipit hominem existere v. g. non tantùm concipit naturam humanam; sed quẽdam modum adhibet, sub quo concipiatur; putà extra suas causas: ideóque respectu quidditatis propriè & essentiæ, dicitur existentia modus, quatenus, vt loquitur Doctor noster in 2. dist. 3. q. 3. in fine, est extra, & sequitur totum esse quidditatiuum rei: & hæc ratio explicandi quomodo existentia sit modus, sumitur clarè ex nostro Alensi loco citato.

Secunda Conclusio.

Existentia comparata ad seipsam, dici potest ratio sibiipsi existendi eo modo quo potest ei competere ratio existendi: hæc conclusio patet ex 4. prænotato, & declaratur exemplo vnitatis: quemadmodum enim vnitas est quâ aliquid est vnum, & est etiam sibiipsi ratio cur sit vna: Ita existentia est alteri & sibiipsi ratio existendi.

Tertia Conclusio.

Existẽtia est id per quod respõdemus ad quæstionẽ: An res sit?

Per habitudinem ad nostras locutiones, existentia describi potest id per quod respondetur ad quæstionem, An sit? declaratur. Quemadmodum enim essentia est id per quod respondemus ad quæstionem; quid sit? ita existentia est id per quod respondemus ad quæstionem: an sit?

Quæstio, an sit? non quærit tantùm existentiam actualẽ, sed etiã existentiam possibilem.

Et id certè debet intelligi tàm de existentia possibili, quàm de existentia actuali, quicquid aliter sentiat Suarez: Nam cùm quæritur: An res sit? non quæritur solùm an sit actu: sed, an possit esse: Cùm per eiusmodi quæstionem, existentiam siue possibilem siue actualem, indifferenter quæramus.

Optimâ tamen difficultate pulsus est Suarez ad id negandum: Quia, inquit, ratio entis consistit in possibilitate existendi, seu in posse esse; Ratio autem entis est prędicatum quidditatiuum rei quæ est ens. Ergo quæstio de possibilitate existendi, seu de posse esse, erit questio de aliquo prædicato quidditatiuo, licet cõmunissimo: Ideóque, vt sic, questio an est? non distinguetur à quæstione quid est? atque adeò questio an est? quærit tantùm existentiam actualem, & non possibilem. Sed huic difficultati occurritur, dicendo ipsum quidem quod potest esse, prædicatum esse quidditatiuum & essentiale; ipsam tamen possibilitatem existendi, in qua consistit ratio existentiæ possibilis, non esse prędicatum quidditatiuum. Quemadmodum enim in entitate actuali, distinguimus id quod est, ab eo quo est: Ita in entitate possibili distinguimus id quod potest esse, ab eo quo potest esse; quamuis hæc duo realiter idem sint, vt dicamus prius esse prædicatum quidditatiuum; posterius autem esse modum eius: Quare cùm dicitur rationem entis consistere in posse esse; hoc indiget explicatione: vel enim intelligitur rationem entis consistere formalitèr in ipsa possibilitate, seu non repugnantia existendi; ita vt ens sit formaliter id quo aliquid potest esse: & sic falsa est propositio. Vel intelligitur rationem entis esse id quod potest esse, quod non repugnat vt sit, seu cui potest existentia competere: & hoc pacto verum est rationem entis consistere in posse esse.

Quarta Conclusio.

Existẽtia actualis requiritur in materia forma, & causa efficiente, vt suas causalitates exerceant.

EXistentia comparata ad quędam alia, est eis conditio necessaria & intrinseca, per quam hoc vel illud præstant: putà comparata ad materiam, ad formam, & ad causam efficientem, est eis conditio necessaria, sine qua causare non possunt. Hoc autem ita breuiter suadetur. Materia & forma imprimis non causant, nisi illa recipiendo formam, hæc perficiendo materiam, & simul seipsis constituendo totum aliquod actu existens: sed hęc prestare non possunt nisi sint actu: Ergo nisi existant. Maior est certa. Minor probatur. Quod non est actu, est nihil: quod autem est nihil, non potest hoc modo causare; quia huiusmodi causalitas exercetur per exhibitionem proprię entitatis causarum: Ergo materia & forma non possunt causare, causalitate sibi propriâ, nisi sint actu.

Existẽtia possibilis & futura sufficit ad causalitatem finis.

Suadetur etiam de causa efficiente, quę non causat nisi operando, vel producendo aliquid ex propria sua virtute & potentia: quod certè intelligi non potest, nisi sit actu: nam omne operari presupponit esse. Hoc autem

ideò non desideratur ad causam finalem; quia causalitas finis non consistit in exhibitione propriæ entitatis, aut in exercitio propriæ virtutis; sed in motione quadam metaphorica, ad quam sufficit esse possibile, modò cognoscatur & apprehendatur ab agente propter finem. Sed de his fusiùs Physici.

QVÆSTIO XIX.

Quæ sint causæ Existentiæ?



THOMISTÆ qui distingui volunt existentiam realiter ab essentia, multa satis absurda dicũt de causis materiali & formali existentiæ, quę prolixè confutat Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 31. sect. 8. Verùm quia omnia ista sunt parui momenti, & parum conducunt ad explicationem doctrinę nostri Doctoris; ideò etiam in illis non immoror. Tantùm, priusquàm alias causas existentiæ, si quas habeat explicem, moneo non esse controuersiam primò inter authores de causa materiali existentiæ propriè dictæ; Cùm enim existentia non sit compositum aliquod Physicum, non potest habere causam materialem propriè dictam; sed esse controuersiam de causa materiali sumpta pro subiecto recipiente; quod Thomistę, teste Caietano de ente & essentia ca. 5. volunt esse essentiam, in qua dicunt recipi esse existentię, quod appellant esse receptum; tanquam in proprio receptiuo: quod tamen ex eo patet esse falsum, quia nec essentia possibilis, nec essentia actualis potest esse receptiua huiusmodi esse. Non essentia possibilis; quia illa nihil est. Non etiam actualis: quia receptiuum distingui debet, vt sic, à receptibili: essentia autem actualis non distinguitur ab esse existentiæ, quod Caietanus fingit esse illud esse receptum, vel receptibile: quia essentiam esse actualem, est essentiam existere: Ergo nullâ ratione potest essentia esse subiectum receptiuum existentiæ. Solùm potest à nobis concipi, licet satis impropriè, vnum & idem, quatenus est id quod est, esse veluti receptiuum sui ipsius, quatenus aliâ ratione est, sibi ratio essendi. Res enim existens est id quod est, & existentia est sibi ipsi ratio existendi.

Existẽtia non habet materiã propriè dictam.

Confutatur esse receptum Caietani.

Moneo similiter non esse controuersiam de causa formali propriè dicta, propter eandem rationem; sed de aliquali causa formali, qualem potest habere existentia. Dicunt tamen Thomistæ formam compositi naturalis, esse etiam formam existentiæ. Sed hoc intelligi non potest nisi dicatur (quod tamen ipsi non dicunt) quod quia esse totius compositi naturalis, & eius existentia non distinguuntur re: cùm forma sit causa formalis illius esse; consequenter erit causa formalis existentię totius illius compositi. Et hoc modo, possunt intelligi authoritates Aristotelis, quas illi afferunt pro sua sententia, vt est illa 5. Metaphysic. cap. 8. Alio verò modo

Existẽtia non habet formã propriè.

Forma compositi non propria forma existentia.

quod-

quodcumque fuerit causa existentiæ talibusque inexistens, quæ non dicantur de subiecto, vt anima animali. Anima enim quę est causa formalis totius animalis, potest etiam dici causa existentię animalis; quia animal & sua existentia sunt vnum realiter: Quanquam illa authoritas & alię veriùs intelligantur de esse essentię, quàm de esse existentię. Habet enim textus citatus Gręcus ἄλλον δὲ τρόπον ἂν ἡ αἴτιον τοῦ εἶναι. *Alio verò modo, quodcumque fuerit causa ipsius esse.* Quia nimirum essentia rei principaliùs est à forma quàm à materia; & secundùm hanc interpretationem nihil tenent Thomistæ. Meliùs est itaque dicamus causam formalem existentiæ esse ipsam suam rationem & quidditatem; sicut possemus dicere causas formales actuum simplicium, & etiam formarum, esse ipsas suas rationes. Et sic esse id, quo res existit & est actu; erit causa formalis existentię.

Aliam causam finalem existentiæ non possum assignare à causa finali essentiæ, nimirum gloriam Dei, & decorem vniuersi, propter quæ res à Deo conditæ sunt. Superest igitur, vt de causa efficiente eius pauca disputemus.

Causa ipsius esse est causa existẽtię. Prænotandum itaque causam efficientem ipsius esse simpliciter, esse causam effectricem existentiæ: quia, vel per esse simpliciter intelligitur essentia rei, quę per veram aliquam efficientiam ponitur extra nihil; & sic nulla potest esse causa talis esse, quę non sit etiam causa existentiæ, quia existentia & eiusmodi esse re non differunt: vel per esse simpliciter creaturæ, de quo solùm loquimur, intelligitur vtrumque esse tam essentiæ, quàm existentiæ: & sic adhuc clariùs est causam effectricem esse, esse causam efficientem existentię: vel per ipsum esse, intelligitur ipsamet existentia; & sic quęrere causam efficientem esse, est quęrere causam efficientem existentię. Et hoc eâ ratione pręmoneo, quia controuersia de causa efficiente existentiæ oritur ex controuersia de causa efficiente ipsius esse. Eapropter etiam dirimemus controuersiam quæ tangit causam efficientem ipsius esse, quia ipsa communiùs agitatur in Scholis.

Recentiores quidam D. Thomę discipuli dicunt solum Deum esse causam efficientem ipsius esse. Ita Bannez 1. p. q. 43. dubio 4. & quidam alij, qui censent D. Th. etiam in ea fuisse sententia multis in locis, sed pręsertim 1. p. qu. 45. art. 5. quamquam Caietanus in Commentario huius articuli, & Ferrariensis 2. contra Gentes, cap. 21. & post ipsos etiam Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 31. sect. 9. num. 5. doceant D. Thomam non ita sensisse; imò falsitatis arguant Doctorem Subtilem, quòd in 4. dist. 1. qu. 1. putauerit ipsum ita sensisse. Verùm eo loci parum curat Scotus quid alibi aliter de hoc proposito senserit D. Thomas: solùm huic rei intendit, vt probet rationem D. Thomę quâ nititur ostendere creaturam non posse creare, esse insufficientem. Dicebat enim D. Thomas eo lo- **Isti autores falsò imponunt Scoto, quòd imposuerit D. Thomæ.**

ci, ſcilicet 1. p. qu. 45. art. 5. Eſſe eſt proprius effectus primę & vniuerſaliſſimæ cauſæ, quæ eſt Deus: Ergo creatio eſt propria actio ſolius Dei. Conſequentia tenet; quia creatio eſt ad eſſe ſimpliciter: Antecedens ſic probat: Effectus vniuerſaliores reduci debent in cauſas vniuerſaliores: ſed inter omnes effectus, ipſum eſſe eſt vniuerſaliſſimus effectus. Ergo debet reduci in cauſam vniuerſaliſſimā. Ergo eſt proprius effectus vniuerſaliſſimæ cauſæ; & per conſequens Dei. Et confirmatur: quia in libro de cauſis dicitur, quod nec intelligentia, nec anima rationalis dat eſſe, niſi inquantum operatur operatione diuinâ.

Scotus oſtēdit ſubtiliſſimè hanc propoſitionē: effectus vniuerſaliſſimus reuocari debet in cauſam vniuerſaliſſimā, eſſe malè intellectam & vſurpatam ad probandū creaturam nō poſſe creare.

Ad hanc ratiocinationē reſpondet Doctor noſter, quòd author illius, vel intelligit ipſum eſſe in vniuerſum, eſſe proprium effectum Dei; vel intelligit quodcumque etiam eſſe particulare, eſſe proprium effectum Dei. Et quidem ſuppono, inquit, quòd nō intelligat primum; quia affert prædictam rationem reſpondendo ad quandam quæſtionem dubitabilem: nullus autem dubitauit vnquam quin omne eſſe creabile & producibile, in tota ſua latitudine ſit proprius effectus Dei: quia ſi aliqua cauſa ſecunda poſſet in omne eſſe creabile & producibile, ſecundùm totam ſuam latitudinem, poſſet in ſeipſam, cùm & ipſa ſit ens quoddam creabile, vel producibile. Adde quòd argumentum eius nihil concluderet. Non enim ſequitur: Solus Deus poteſt in omne creabile, & producibile ſecundùm totam ſuam latitudinem: Ergo cauſa ſecunda non poteſt in hoc, vel illud creabile, aut producibile: Sicut non ſequitur: Petrus non poteſt producere omnes homines, quia produceret ſeipſum: Ergo non poteſt producere hunc hominem. Reſtat itaque vt ſecundum intelligat; nimirum eſſe quodcumque particulare, eſſe proprium effectum Dei: ita vt ita cauſetur in rebus à ſolo Deo, vt cætera agentia non efficiant ipſum. Si enim hoc non intelligat, certè nulla eſt eius ratiocinatio. Hoc eſt autem quod improbat Doctor Subtilis. Siue itaque aliter alibi ſenſerit D. Thomas, ſiue non; Scotus non curat. Sed vult ſolùm quòd ſi D. Tho. intelligat eſſe quodcumque particulare, ita eſſe proprium effectum Dei, vt ad ipſum cauſa ſecunda non concurrat, quemadmodum multi volunt Diu. Thomam ſenſiſſe, & neceſſarium eſt ſenſiſſe, vt argumentum eius aliquid concludat; malè intellexit. Si autem intellexit eſſe omne creabile, vel producibile in vniuerſum, & ſecundùm totam ſuam latitudinem, eſſe proprium effectum Dei; dicit quòd nec de hoc aliquis dubitat, nec argumentum eius aliquid concludit, vt oſtenſum eſt. Patet itaque quod Scotus nihil falsò impoſuit D. Thomæ.

Prima Concluſio.

Solus Deus eſt cauſa efficiēs exiſtētiæ ſūptæ in tota ſua latitudine.

SOlus Deus eſt cauſa efficiens ipſius eſſe producibilis, aut creabilis ſumpti in tota ſua latitudine; & per conſequens eſt cauſa efficiens exiſtentiæ ſumptæ in tota ſua latitudine. Probatur 1. Nullum agens à Deo eſt cauſa

efficiens talis esse; esset enim causa sui ipsius, cùm omne agens à Deo contineatur sub ente producibili vel creabili: ergo solus Deus est causa efficiens talis esse.

Probari potest secundò ratione superiùs allatâ D. Thomæ; quia nimirum effectus vniuersalissimus reuocari debet in causam vniuersalissimam. Sed, vt rectè notat Doctor Subtilis, illa ratio nihil valet, nisi vniuersalitas effectus, & vniuersalitas causæ sumantur difformiter: nam si sumantur vniformiter, & dicatur effectum vniuersalissimum in prædicando, quale est ens, reuocari debere in causam vniuersalissimam in prædicando, vt est Deus; hoc nihil erit dicere; quia Deus non est causa vniuersalissima in prædicando. Si etiam dicatur effectum vniuersalissimum in perfectione, quale est ens, reuocari debere ad causam vniuersalissimam in perfectione, qualis est Deus, nihil etiam erit dicere; quia esse non est effectus vniuersalissimus in perfectione; quia inclusum nunquam est perfectius includentibus, cùm eius ratio sit semper ratio includentis; esse autem includitur in omnibus: ergo non est perfectius ijs in quibus includitur. Si autem sumantur difformiter, & sensus sit effectum vniuersalissimum in prædicando, reuocari debere in causam vniuersalissimam in perfectione, qualis est Deus; poterit quo ad præsens institutum, aliquid concludere ratio D. Thomæ; quia non potest nisi causa perfectissima producere quodcumque factibile; non tamen concludit id quod D. Thomas intendebat per eam concludere, vt acutè demonstrat Scotus in 4. dist. 1. q. 1.

Secunda Conclusio.

Causæ secundæ sunt etiam causæ existentiæ.

Deus solus non est causa efficiens esse cuiuslibet rei creatæ; sed etiam causæ secundæ verè ac propriè efficiunt esse suorum effectuum prout ab ipsis fiunt. Conclusio est aduersus quosdam Thomistas: existimat tamen noster Herrera in 2. disput. 3. q. 3. non esse contra D. Thomam, quem affirmat expressè hanc sententiam amplecti multis in locis; præsertim autem 3. contra Gentes, cap. 66. Sed quidquid sit de mente D. Thomæ, ita probatur à Doctore nostro in 4. dist. 1. q. 1. his verbis. Aliquod compositum generatur à causa aliqua creata; nisi è medio omnem actioné creaturæ tollas: ergo aliqua causa creata dat esse alicui cōposito. Consequentia probatur; quia à quocunque efficiente generatur compositum, ab eodem effectiuè est esse compositi; ergo, si ab aliqua causa creata generatur compositum, ab ea est efficienter esse compositi, quod est esse simpliciter. Antecedens probatur dupliciter: Primò, quia secundùm Philosophum 1. & 5. Phys. & 1. de Generat. & 2. Metaphys. generatio est ad esse; ergo causa efficiens generationis, est causa efficiens esse, ad quod generatio ipsa terminatur. Secundò, quia per actionem eius, à quo compositum gignitur, forma est in materia: sed formam

Optimus discursus Scoti, quo probat causam secundam causare etiam ipsum esse.

esse in materia est compositum habere esse: Ergo generans compositum, dat ipsi esse. Probatur minor; quia, si hoc non sit, aut ergo esse sequitur naturaliter ipsum compositum, quod est terminus generationis; aut præcedit ipsum naturaliter. Si præcedit: ergo priùs est esse compositi, quàm ipsum compositum, quod est omninò in intelligibile: Si verò sequitur, & non per actionem generationis; ergo absque contradictione posset cõpositum ab agente naturali produci, quin Deus daret illi producto esse: Imò simpliciter posset non dare illi esse; cùm non agat ad extrà, nisi merè liberè, & contingenter.

Nec dici potest, quòd esse non est à generante compositum, necessariò tamen concomitatur ipsum; quia non concomitatur ipsum, vt terminus actionis generantis ex D. Thoma, sed vt terminus actionis agentis primi per se, scilicet Dei, & non concomitatur vt præcedens compositum: ergo vt sequens est ipsum. Ergo sine contradictione poterit ipsum esse non sequi compositum.

Quod si dicas, addit adhuc Scotus, quòd oportet distinguere in quolibet producto esse huiusmodi, seu esse tale, & esse simpliciter; & quòd secundùm prius esse, est effectus causæ secundæ & particularis, & secundum posterius, est effectus causæ primæ & vniuersalissimæ, scilicet Dei: Hoc non soluit, inquit, quia esse tale, putà esse equum vel leonem, vel hominem, & esse simpliciter in quolibet producto, non sic distinguuntur, quin ab eadem causa sit esse simpliciter, à qua est esse huiusmodi. Si enim esse simpliciter, & esse tale distinguantur ratione, siue aliquo modo aliter; quod dat alicui composito esse tale, dat illi esse simpliciter: generatio enim est actio physica, quâ attingitur compositum secundùm rationem physicam, & non secundùm varias illas rationes Metaphysicas, conceptibiles, vel conceptas in ipso. Deus itaque producendo aliquod totum compositum Physicum vt causa prima; producit illud totum, & secundùm omnem rationem conceptibilem in ipso: & Itidem prestat causa secunda, cùm hac tamen differentia, quòd prima causa producit illud independenter; causa secunda dependenter à prima: causa prima quantum est ex se, non requirit subiectum nec ex quo nec in quo; causa secunda requirit &c. Neutra tamen est instrumẽtalis, sumendo propriè causam instrumentalem: sed vtraque principalis in ordine suo. De causa prima non est dubium. De secunda patet etiam, quia causa principalis ea dicitur quæ agit propriâ virtute accommodatâ & proportionatâ effectui, ita vt effectus non excedat virtutem causæ, neque in se, neque in modo quo ab agente fit. Sed causa secunda est huiusmodi respectu esse compositi: Ignis enim generantis virtus v. g. est accommodata & proportionata tàm in se, quàm in modo producendi igni genito; quia ignis genitus in se primò non excedit virtu-

Causa secunda non est causa solùm instrumẽtalis, sed ipsius esse.

tem ignis generantis; vterque enim eſt eiuſdem naturæ ac per conſequens eiuſdem virtutis: Non excedit etiam in modo producendi; quia producitur naturaliter & conformiter viribus ignis producentis. Ergo ignis generans eſt cauſa principalis ipſius eſſe ignis geniti. Nihilominus dicitur Deus ſolus cauſa eſſe ſimpliciter, & creatura cauſa huius vel illius eſſe; quia Deus poteſt in quodcumque eſſe productum & producibile: creatura verò determinata eſt ad hoc vel illud eſſe producendum, & non plus vltrà.

Ex his iam conſtat quid dicendum ſit de cauſa efficiente exiſtentiæ: cùm enim cauſa ſecunda, ſit cauſa efficiens eſſe ſui effectus; erit etiam cauſa efficiens exiſtentiæ eius. Nam cauſa ſecunda producit ſuum effectum in actu; ergo exiſtentem; ergo conſequenter producit exiſtentiam eius: quia exiſtentia & exiſtens re non differunt. Confirmatur ex Doctore in 3. diſt. 6. q. 1. §. *Contra concluſionem*; vbi dicit quòd terminus generationis eſt eſſe exiſtentiæ, vel aliquid habens eſſe tale, vt habet Ariſt. 5. Phyſic.

Obijcies Cauſa ſecunda non
Obiect. producit exiſtentiam materiæ primæ in ſententia noſtra, quia
Solut. illa ſupponitur exiſtens generationi ergo non producit exiſtentiam ſuorum effectuum. Reſpondeo admiſſo antecedente, negando conſequentiam quia ex eo tantum inferri poteſt cauſam ſecundam non poſſe efficere totam exiſtentiam ſui effectus, quo ad omnes partes eius, non autem non poſſe efficere exiſtentiam totius: quemadmodum enim cauſa ſecunda dicitur generare totum, licet non generet materiam: quia ad generationem totius, ſufficit vt educat formam de gremio materiæ, & illam vniat cum materia, ex quibus totum reſultat. Ita ad productionem exiſtentiæ totius, ſufficit vt faciat formam exiſtere in materia, ex quo facit totum compoſitum eſſe actu, ſeu exiſtere.

QVÆSTIO XX.

Quibus rebus competat Exiſtentia?

1.



Ista quæſtio mihi videtur valdè difficilis propter naturas cõmunes, naturas indiuiduales ſubſtantiales ſeparatas à ſuis ſubſiſtentijs, partes Phyſicas, partes integrantes, accidentia, modos, proprietates, formalitates; quibus omnibus an competat exiſtentia maximè dubitatur.

Prænotandum igitur 1. pro ſolutione harum difficultatum, talem eſſe exiſtentiam cuiuſque rei, qualis eſt eſſentia eiuſdem: quare ſi eſſentia ſit ſimplex, exiſtentia erit ſimplex; ſi eſſentia ſit compoſita, exiſtentia compoſita; ſi eſſentia totalis vel partialis, exiſtentia erit quoque totalis vel partialis &c. *Neſcio enim iſtam fictionem*, vt loquitur Scotus in 4. diſt. 11. q. 3. §. *ad rationes*. *quòd*

esse sit quid superueniens essentiæ non compositum, si essentia sit composita. Et hoc verum est supposito fundamento distinctionis existentiæ ab essentia, quod sequenti quæstione probabimus.

Prænotandum 2. essentias rerum alias esse proprias; alias minùs proprias: essentiam propriam appello vniuscuisque rei naturam sumptam in propria & maximè vsitata sua significatione quo modo dicimus essentiam hominis naturam hominis. Essentiam minùs propriam voco rationem formalem vniuscuiusq; rei; quomodo dicimus quidquid est, eo modo quo est, habere suam essentiam; quia esse non potest absque sua propria & intrinseca ratione essentiali; sic subsistentia, modi, attributa diuina, & aliæ formalitates Metaphysicæ dicuntur habere suam essentiam.

Prænotandum 3. essentias illas propriè dictas, alias esse totales, vt homo, equus, lapis; & alias partiales: & partiales quidem, alias essentiales vt materia & forma & corpus humanum constitutum ex materia & forma corporeitatis; & alias integrantes, vt pes, & manus, &c.

Prænotandum 4. naturas communes quæ, vt patet ex dictis de distinctione, & præcisione entis à suis inferioribus, & magis patebit ex dicendis, distinguuntur ex natura rei à singularibus, dupliciter posse spectari, vel prout sunt actu in suis inferioribus, vel prout ab illis sunt præcisæ & abstractæ.

Prænotandum 5. Materiam posse conseruari diuinâ virtute sine omni forma Physica, tàm substantiali, quàm accidentali, vt multis probat Doctor Subtilis in 2. dist. 12. qu. 2. & post ipsum omnes eius discipuli ibidem, & tenent nunc insigniores moderni. His positis, sit.

Prima Conclusio.

Essentiæ propriè dictæ, actuali, totali & completæ competit existentia propriè dicta totalis, & completa. Hæc conclusio apud neminem vertitur in dubium, & eius ratio est in promptu; quia essentia quælibet vt sit actu, exigit existentiam; & talem quidem exigit, qualis ipsa est; tùm quia essentia & existentia non distinguuntur; tùm quia tametsi distinguerentur, intelligi non potest essentiam aliquam esse actu per existentiam, quæ non sit eiusdem rationis, scilicet completa, si essentia sit completa: cùm enim sit actu completa, existit completa. Ergo per existentiam completam. *Essentiæ cõpletæ correspondet existẽtia cõpleta.*

Secunda Conclusio.

Essentiæ partiali & incompletæ, vt sunt partes Physicæ, putà materia & forma, & partes integrantes, putà pes, manus, &c. competit etiam existentia partialis & incompleta. *Essentiæ partiali & incompletæ competit existentia partialis & incompleta.*

Prior pars conclusionis, quæ est de partibus physicis, est iam communis in Scholis; & essentiæ quidem partiali formali seu formæ, existentiam quandam partialem concedunt omnes, licet variis

rationibus & fundamentis. Thomistæ enim qui non concedunt existentiam materię, ex eo concedunt illam formę, quia ipsa est actus; actui autem maximè propriè conuenire debet existentia. Suarez etiam Metaphysic. 2. tom. disput. 31. sect. 11. num. 8. circa finem, quamuis agnoscat existentiam conuenire materiæ; idcò tamen vult illam cōpetere formæ, quia forma est actualior quàm materia. Hæc tamen ratio mihi videtur insufficiens; quia formam esse actum, vel actualiorem quàm materiam, nihil ad existentiam eius, saltem ad inferendum potiori iure existentiam debere formæ competere, quàm materiæ: quemadmodum albedinem esse actum subiecti, nihil iuuat ad inferendum albedinem nobiliùs existere, quàm subiectum: Nam cùm forma dicitur actus respectu materiæ, hoc intelligitur de actu physico: Non constat autem omninò actui physico, potiori iure debere existentiam competere, quàm potentiæ physicæ: Imò potius contrarium mihi videtur: cùm enim matéria semper maneat transeuntibus & corruptis formis, sitque ingenerabilis & incorruptibilis; videtur firmiùs, solidiùs, magisque necessariò existere, quàm forma; ideòque licet forma sit actualior materiâ physicè, seu in informando: materia tamen est actualior formâ metaphysicè, seu in existendo; maximè cùm omnis forma substantialis physica, vnicâ exceptâ animâ rationali, non existat nisi dependēter à materia. Ratio itaque huius rei hæc mihi videtur: quia forma est

Quomodo existētia cōpetat formæ.

entitas quædam partialis actualis: Ergo illi competit existentia partialis; quia quidquid est actu, existit; & quidquid est actu pars & incompletum; partialiter & incompletè existit.

Quod prætereà existentia conueniat materię etiam independenter à forma, tenent nostri omnes, Doctor Subtilis in 2. dist. 12. qu. 2. & ibidem Gabriel, Bassolis, & de Rubione q. 1. Item, ex recentioribus Fonseca 1. Metaphysic. cap. 7. qu. 5. sect. 3. & Suarez 1. tom. Metaphysic. disp. 13. sect. 4. contra D. Thomam, Durandum, Caietanum, Iauellum, Ferrariensem, & alios Thomistas. Et quamuis hoc habeat peculiarem locum in physicis; tamen etiam hîc aliqualiter probatur. Et primò quidem materiæ competere existentiam, seu materiam esse verum ens reale actu existens in rerum natura constat, primò, quia est per se vnum principium rei naturalis 1. & 2. Physic. Prætereà, quia est per se causa 2. Physic. & 5. Metaphysic. Tertiò, quia est pars substantialis compositi naturalis. Quartò, quia est per se fundamentum & subiectum omnium formarū substantialium 1. Physic. Hæc enim omnia conuenire non possent materiæ, nisi ipsa realiter & actu existeret, quia quod actu principiat, causat, constituit, & subijcitur actuali actioni agentis, actualiter existere necesse est. Quòd etiam existentia conueniat materiæ, independenter à forma, ita ferè probat noster Rada in 2. Controuers. 12. art. 2. ex Bassolis, & aliis. Materia est terminus creatonis, & priùs na-

Existētia cōpetit etiam materiæ.

turâ eam terminat, quàm formam recipiat: Ergo vt sic, verè & actualiter existit: quia creatio terminatur ad entitatem actualiter existentem. Dices forsitan materiam non creari, sed concreari. Sit ita. Sed non per hoc excluditur ab ea, vera actualitas: quia sicut creatio est necessariò ad rem existentem tanquam ad terminum; ita & concreatio.

Secundò probatur istud: Materia secundùm se est obiectum actionis agentis: Ergo secundùm se antecedit actionem agentis: Ergo etiam antecedit formam, quæ non est nisi per actionem agentis: Ergo secundùm se vt prior forma, est actus vel in actu. Patet hæc vltima consequentia; quia subiectum actionis agentis naturalis necessariò est ens actu habens esse extra suam causam, aliàs agens ageret in nihil, vel circa nihil, quod non debet admitti.

Prætereà: Materia habet propriam entitatem & essentiam in rerum natura distinctam realiter & essentialiter ab entitate, & essentia cuiusque formæ specificæ, cuius potest esse subiectum: Ergo habet propriam actualitatem & existentiam aliam à quacumque actualitate & existentia cuiuscumque formæ. Patet consequentia: quia existentia sequitur essentiam, tanquam terminus eius intrinsecus: Ergo vbi est alia & alia essentia à parte rei, ibi est alia & alia existentia. Nec est quòd dicatur actualitatem illam & existentiam materiæ prouenire à forma: quia existentia est terminus seu modus intrinsecus essentiæ: quidquid autem habet materia à forma, est illi extrinsecum: Ergo existentia materiæ non potest esse à forma.

Porrò existentiæ illæ partiales materię & formæ sequuntur conditionem rerum, quarum sunt existentiæ, in eo nimirum, quia quemadmodum ex materia, & forma constituitur totum aliquod: Ita ex existentia materiæ & existentia formæ consurgit vna totalis existentia: & quemadmodum materia est in potētia ad formam per quam actuatur & perficitur: Ita quamuis existentia materiæ sit actus eiusdem materiæ; tamen respectu existentiæ formæ est in potentia; & ad constituendam existentiam totalem, concurrunt tanquam actus & potentia. Ita ferè Scotus noster in 4. dist. 11. q. 3. §. *Ad rationes*, in initio.

Argumenta quæ solent in contrarium obijci, procedunt omnia ex æquiuocatione nominis potentiæ & actus. Cùm enim dicitur materiam esse puram potentiam, id quidem verum est de potentia subiectiua in ordine ad actum Physicum: Non autem de potentia obiectiua, quæ tamen sola dicit negationem actus entitatiui & existentiæ: Potentia enim subiectiua quà potentia subiectiua, tantùm abest quòd dicat negationem existentiæ, quin potius necessariò dicit existentiam. Quandoquidem aliquid esse in potentia subiectiua, est aliquid esse receptiuum alicuius actualiter existentis: nihil autem potest esse receptiuum alicuius actualiter existentis, nisi etiam ipsum actualiter existat: Ergo

Potentia subiectiua necessariò dicit existētiam.

Ergo nihil potest esse in potentia subiectiua, quin actualiter existat.

Obie-ctio. Obijciunt adhuc: Ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum per se: ex materia autem & forma fieri vnum per se; ergo materiam non esse ens in actu. Sed respondetur ex

Solu-tio. duobus entibus in actu vltimo & eiusdem rationis, non posse fieri vnum per se; sicut v. g. ex duabus animabus, vel ex pariete & albedine; quia duæ animæ sunt duo actus eiusdem rationis, & quia paries est ens completum vltimatè. Ex duobus entibus autem in actu non vltimo, vel diuersæ rationis posse fieri vnum per se, sicut in proposito; actus enim materię est alterius rationis ab actu cum quo vnum per se constituit; quia ille est Metaphysicus & entitatiuus; iste verò Physicus & formalis. Addidi ex duobus entibus in actu nō vltimo. Contingit enim aliquando ex duobus entibus in actu eiusdem rationis, fieri vnum per se, quando nimirum vnus illorum est non vltimus vt. v. g. ex forma corporeitatis, vel ex corpore habente formam corporeitatis, & ex alia forma physica, putà anima rationali, vnum per se coalescit.

Existimo itaque hanc conclusionis partem esse adeò veram & firmam, vt contrarium nulla probabilitate defendi possit.

Alia pars conclusionis quę est de partibus integrantibus est Doctoris Subtilis in 3. dist. 6. q. 1. quam

Quænā existē-tia com petat parti-bus integrantibus. existimo apud neminem negatam iri. Suadeturque sic:

Pars quælibet integrans, vt pars, existit actualiter in toto integrali; Ergo existentiā ei correspondente: Ergo existentiā partiali. Tamen ad huius rei maiorē elucidationem dici potest partem quamlibet existentem in toto, existere per existentiam totius & per existentiam propriam, diuerso tamen modo: Nam existit primò per existentiam totius mediatè, & inadęquatè, seu excedenter (vt loquitur Suarez) & existit pręterea immediatè & adæquatè per existentiam propriam & partialem, quæ in existentia totius includitur. Ita Scotus noster loco nunc citato his verbis: *Existentia pedis non est alia ab illa, quâ existo, sed tantum est aliqua existentia partialis in illa quâ existo.*

Tertia Conclusio.

Acci-dentibus cō-petit propria existē-tia. Accidentibus competit etiam propria existentia illis proportionata, quæ non est existentia subiecti, in quo inhęrent. Hęc conclusio est expressa Doctoris Subtilis in 4. dist. 12. q. 1. & expressior Ioannis de Bassolis ibidem, contra quosdam, quos ipsi referunt, qui docebant accidentia, quandiu inhærent subiecto, non aliam habere existentiam, quàm existentiam subiecti; atque adeò cùm separantur à subiecto, vt in Sacramento Eucharistiæ, accipere in ipsa sua separatione aliquod esse de nouo à Deo. Probat itaque Doctor conclusionem sic. Vnumquodque quod est extra causam suam, & intellectum, sicut habet entitatem propriam, ita & proprium esse, seu propriam existentiam: Sed accidens habet propriam entitatem distinctam ab entitate subiecti: Ergo & existentiam distinctam ab existentia subiecti.

Minor propositio est certa,& ita probari potest: Quod per se, seclusso omni alio, terminat veram aliquam actionem, illud habet veram & propriam entitatem; sed accidens, producto iam subiecto, per se terminare potest veram aliquam actionem: Ergo habet veram & propriam entitatem. Maior autem pro nunc supponitur, & sequenti quæstione probabitur.

Præterea: Cùm separantur accidentia à suo subiecto, in Eucharistiæ Sacramento, manent in sua actuali entitate: Ergo & in sua existentia: existentia autem illa non est existentia subiecti; quippè in quo non inhęrent ampliùs; Ergo est propria eorum existentia.

Dicunt præcitati authores Deum creare nouum quoddam esse, per quod accidentia ipsa extra subiectum conseruantur. Contrà. Accidentia illa non habent actualem entitatem de nouo; quia antequam separarentur, & cùm separantur, & cùm separata sunt, sunt eadem actualiter entia: Ergo cùm separantur non est opus nouo quodam esse per quod extra subiectum conseruentur: Ergo neque vt existant: quia illa accidentia existere, & esse actu, idem planè est.

Denique sic arguit Doctor. Si accidens quando separatur, habet nouum esse, oportet ibi ponere aliquam transmutationem à carentia illius esse, ad istud esse; sed hoc est impossibile. Non enim potest poni qualis sit ista mutatio. Siquidem primò non est generatio, cùm accidens non producatur per generationem; nec etiam augmentatio, nec alteratio; quia non acquiritur quantitas, nec qualitas per istam mutationem; quia tunc vel qualitas esset subiectum augmentationis, vel alterationis cuius esse acquiritur, vel esset quantitas & qualitas, & sic de isto posset argui in infinitum.

Item, esse illud nouum, quia non est formaliter esse diuinum, aut est substantia, vel accidens. Si substantia, vel in genere substantiæ; erit independens; & per consequens non erit formaliter esse alicuius accidentis, quia nullum accidens potest esse formaliter independens, vel per se esse. Si sit accidens, vel in genere accidentis, erit æquè dependens cum forma cuius est, & per consequens, per illud esse formaliter, non erit illud cuius est, ens independens, quod ipsi tamen dicunt, cùm velint accidentia illa virtute talis noui esse, independenter existere. Adde quòd si semel admittatur esse illud esse accidens, vel de genere accidentis, putà esse existentiam quandam accidentariam; iam admittetur existentia accidentalis inferioris ordinis ab omni existentia substantiali: Ergo talis existentia poterit etiam naturaliter esse possibilis, & essentiæ accidentis connaturalis.

Obiectio. Objici potest: Accidentis esse est inesse, & accidens non est ens, nisi quia entis: Ergo accidẽtis existere, est existere subiecti. Respondeo

Solutio. negando consequentiam; quippè quę ex antecedente nõ rectè colligitur. Dicitur enim accidentis esse inesse, quia omne accidens naturâ suâ inhæret vel actu, vel aptitu-

dine. Dicitur etiam accidens ens, quia entis, vbi particula, quia, nõ dicit rationem formalem ipsius accidentis, ita quòd sit vnum esse, vel vna entitas formaliter accidentis & subiecti, alioquin ex ipsis non fieret vnum per accidens; sed potius videtur dicere rationem alicuius causalitatis extrinsecæ, quam habet subiectum respectu accidentis, quod nimirum fulcit & sustentat.

Existẽtia accidentis non est eius inhæsentia. Porrò aduerte diligenter existentiam accidentis non esse inhęrentiam eius, nec actualem, nec aptitudinalem; sed esse modum ab vtraque illa inhęrentia distinctum; ab actuali quidem realiter, quia manente entitate actuali accidentis, atque adeò saluâ eius existentiâ, potest accidens non inhærere actualiter. Ab aptitudinali autem formaliter: quia inhęrentia aptitudinalis dicit formaliter respectum ad subiectum: Existentia autem nec dicit, nec includit talem respectum, sicut nec ipsa essentia accidentis. (Suppono enim nunc iuxta mentem Doctoris, neutram inhęrentiam esse de essentia accidentis) sed dicit tantùm modum quo formaliter & intrinsecè accidens constituitur ens actu, vt sic.

Quarta Conclusio,

Relationib', tum increatis, tum creatis competit propria existentia. Relationibus tum increatis, tum creatis propria competit existentia. Prior pars conclusionis est expressa Doctoris, q. 4. quodlibeticâ, art. 3. §. *ad argumentum principale*: vbi dicit quod licet in diuinis sit vnicum esse essentiæ seu simplex; est tamen ibi aliud & aliud esse incõmunicabile, siue hypostaticũ, sicut & alia & alia persona. Ex quibus sic formatur ratio: Multiplex est esse hypostaticum, seu personale formaliter distinctum ab esse absoluto, seu simplici essentiæ; sed illud non est potentiale: ergo actuale. Non potest autem intelligi esse actuale nisi per existentiam. Ergo multiplex est existentia relatiua correspondens illi multiplici esse relatiuo seu hypostatico.

Addi potest: Pater generans præsupponitur, vel saltem intelligitur existens cùm generat. Illud etiam quod generatur, vt terminans actionem eius intelligi debet existens, quia generatio terminari non potest ad non existens; & idem dici debet de termino spirato. Ergo tres illæ personæ sunt tres existentes. Non sunt autem tres existentes per vnicam existentiam propriam essentiæ diuinæ; quia per illam nec principiare, nec terminare possunt generationem aut spirationem, cùm essentia nec generet, nec generetur, nec spiret, nec spiretur. Ergo sunt tres existentes per tres existentias. Talis autem multiplicatio existentiarum in personis, sicut & quælibet alia pluralitas in diuinis, non oritur nisi virtute relationum. Ergo tres existentiæ, virtute relationum conueniunt tribus personis diuinis. Ergo multò magis conuenient illis relationibus, cùm etiam existendi sint capaces: Quemadmodum quia virtute relationum conuenit personis diuinis esse tres, conuenit etiam

relationibus esse tres, quia capaces sunt quæ numerentur. Hanc rem fusiùs examinaui in materia de Trinitate, quæ etiam aliquando, Deo fauente, in lucem prodibit.

Relationibus creatis propria conuenit existentia distincta ab existentia fundamenti.

Posterior pars conclusionis est aduersus nonnullos, qui existimant relationem creatam non existere nisi per existentiam fundamenti. Sed supponendo in sententia nostra relationem esse entitatem realiter distinctam à fundamento, vt etiam aliàs probabo, necessum est dicamus habere quoque propriam existentiam distinctam ab existentia fundamenti: & breuiter sic probari potest. Relatio est entitas actualis formaliter referens: fundamentum autem non est talis entitas, quia fundamentum non refert. Ergo relatio est alia entitas actualis ab entitate fundamenti: Ergo habet existentiam aliam ab existentia fundamenti: quia aliquid esse entitatem actualem, & existens, idem omninò sunt.

Quinta Conclusio.

Modis, proprietatibus, formalitatibus seu entitatibus formaliter distinctis, naturis cõmunibus & naturis singularibus destitutis sua propria subsistentia vel inhærentia, conuenit existentia.

Modis, proprietatibus, formalitatibus seu entitatibus à seinuicem formaliter actu distinctis, ac proinde naturis communibus, multò magis naturis singularibus etiam destitutis propriâ subsistentiâ, suo modo & in suo genere, & ordine aliqualis competit existentia. Tota hæc conclusio & si aliquatenus dubia, mihi probatur tamen hac communi ratione. Hæc omnia prædicta habent suas suo modo entitates actu, quæ non sunt entitates rerum quas modificant, aut aliter afficiunt, quod maximè verum est de modis & proprietatibus. Ergo habent etiam suas suo modo existentias. Exemplum de subsistentia quæ est modus substantialis distinctus reipsa à natura cuius est subsistentia, tanquam aliquid actuale, & extra causas suas positum ab alio ente etiam actuali: vnde concluditur necesse esse, vt includat proprium esse eodem modo distinctum ab alio ente.

Item, Ille modus potest destrui conseruatâ naturâ cum sua existentia, & tunc amittit aliquod esse, & similiter potest fieri in natura iam existente: omne autem fieri terminatur ad aliquod esse existentiæ. Ergo necesse est vt talis modus sicut actu est in rerum natura, ita habeat proprium esse.

Idem dici potest de proprietatibus, quæ licet producantur eâdem actione quâ producuntur naturæ quarum sunt proprietates: Nihilominus, quia tali actioni primò & per se productiuæ naturarum accedit fluxus aliquis ab ipsis naturis in proprietates, videtur quòd cùm fluxus ille terminetur ad aliquid actuale consequens naturam, terminatur quoque ad aliquid suo modo existens.

Quod etiam naturæ singulari tam substantiali quàm accidentali destitutæ vltimatis modis vel subsistentiæ vel inhærentiæ, competat, existentia res est clara, quidquid reclament aliqui Thomistæ: & probauimus superiùs de accidentibus non ampliùs inhærentibus in Eucharistiæ Sacramento, quibus tamen per sepa-

rationem à suo subiecto, propria non tollitur existentia: probatur similiter de natura singulari substantiali exemplo naturę assumptæ à Verbo Diuino, quam destitutam propriâ subsistētiâ, & tamen existentem assumpsit. Atque huius rei, & veritatis propositionis ratio hæc est; quia natura illa vt præsupposita assumptioni, est aliquid actuale: Verbum enim Diuinium non assumpsit naturam latentem adhuc in suis causis, sed naturam extra suas causas positam: Ergo existentem. Hanc materiam fusiùs examinaui in materia de Incarnatione, aliquando etiam, Deo fauente, typis mandanda, & de ea nonnihil dicam sequenti quæstione.

Grauior difficultas est de naturis cōmunibus & de formalitatibus, putà de bonitate & iustitia distinctis in sententia natura formaliter actu in Deo. Et quidem quod spectat ad naturas cōmunes existimat Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 31. sect. 11. num. 3. ne quidem per intellectum posse tribui existentiam naturis communibus distinctam ab existentia singularium. Quia inquit, natura communis præcisâ indiuiduatione, non est proximè capax existentiæ, imò secundùm eum statum repugnat ei actualis existentia. Ergo concipiendo existentiam vt actum essentiæ, non potest secundùm rationem concipi vt habens habitudinem immediatam ad naturam communem vt communem, sed solùm ad rem indiuiduam.

Nihilominus suppositâ distinctione formali graduum superiorum ab inferioribus, existimo naturis communibus suam suo modo competere existentiam quâ existant non extrà, sed in singularibus; non per se, sed per aliud, & per existentiam quidem singularium fundamentaliter, per propriam autem formaliter. Gradus enim viuentis v. g. est actu in Petro: ergo existit in Petro, & cùm sit gradus distinctus formaliter à Petro, vel tanquam inclusum ab includente, vel aliter; certè cùm esse & entitas illius gradus sint idem, & entitas illius gradus non sit formaliter entitas Petri, esse quoque seu existentia illius gradus, non erit formaliter esse seu existentia Petri, maximè cùm existentia illius gradus sit quasi quędam inexistentia, existentia autem Petri non sic. Sententia illa est prætereà Scoti in 2. dist. 3. q. 3. vbi dicit naturam communem habere existentiam in indiuiduis.

Itaque ad rationem allatam, dico naturis quidem communibus à singularibus separatis, non posse competere existentiam, quia nec à parte rei, nec à parte intellectus rectè concipientis, possunt illæ naturæ existere separatæ à singularibus: Iisdem tamen naturis à singularibus tantùm formaliter distinctis, posse suam suo modo competere existentiā: quia naturæ illæ etiam vt formaliter distinctæ à singularibus non sunt extrà, sed in singularibus, & existentes actu in singularibus, distinguuntur formaliter ab ipsis. Vnde ratio Suarez impugnat quidem illos qui vellent naturas communes existere

vel per se, vel per intellectum separatas à singularibus; non autem illos qui dicunt illas habere quandam existentiam sibi propriam, per quam existunt in singularibus.

Porrò de existentia illa graduum superiorum, & graduum indiuiduantium, eodem modo philosophandum est atque de ipsismet gradibus superioribus & indiuiduantibus. Ita quòd quemadmodum gradus superiores & inferiores non sunt res diuersæ, sed vna realiter habens tantùm distinctas formaliter rationes, ex quibus componitur aliquid Metaphysicè: ita existentia naturarum seu graduum communium, & existentia graduum inferiorum non sunt distinctæ realiter existentiæ, sed vna & eadem re, habens distinctas formaliter rationes, ex quibus illamet consurgit tanquam totum quoddam Metaphysicum.

Formalibus rationibus diuinis propriè competunt existẽtiæ.

Atque hinc rectè sequitur formalitatibus seu entitatibus à se inuicem formaliter actu distinctis suas suo modo competere existentias. Ad quod asserendum, vltra rationem satis probabilem, me impellit authoritas eximij Doctoris nostræ Scholæ, Doctoris Subtilis insignis discipuli Ioannis de Bassolis, qui duobus in locis hanc expressissimis verbis doctrinam tractat, scilicet in 1. dist. 8. q. 1. art. 2. §. *Ad primum Aliorum*: vbi hæc habet: *Sed dico vltra, quod quodlibet attributum si ponatur quidditatiuè distinctum ab essentia, & qualibet relatio habet proprium esse actualis existentiæ, quod est sibi quidditatiuè idem, & distinguitur ab esse actuali ipsius essentiæ, sicut & attributum ab essentia.* Et in 3. dist. 6. q. vnicâ, art. 2. §. *Dico igitur aliter*: vbi ita loquitur: *In Christo sunt plura esse ex parte diuini suppositi, loquendo de esse actualis existentiæ, quia sunt ibi tot esse, quot in ipso sunt distincta formaliter ex natura rei. Nam sicut dixi in 1. dist. 8. esse est idem quidditatiuè & formaliter cuilibet quod est in Deo ex natura rei. Vnde non solum essentia diuina quidditatiuè est esse, sed etiam intellectus diuinus quidditatiuè est esse, & voluntas etiam & filiatio diuina: & ista esse distinguuntur ad modum quo omnia ista distinguuntur. Nec oportet quod sint in diuino supposito plures essentiæ, propter hoc, quia in diuino supposito non est nisi vna perfectio simpliciter prima in ordine omnium diuinorum, cui primò conuenit existere, & illud vocatur essentia.*

QVÆSTIO XXI.

Quomodo essentia & existentia distinguantur?



FRanciscus Suarez tomo. 2. Metaphysic. disput. 31. sect. 6. tres numerat de quæstione proposita sententias, eorum videlicet qui inter essentiam & existentiam statuunt distinctionem realem; eorum qui statuunt distinctionem modalem, quos omnes reprehendit; & eorum qui solam ponunt distinctionem rationis cum fundamento tamen in

re, quam postremam sententiam approbat & probare contendit. Gabriel Vasquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 1. disput. 72. cap. 1. ipsum, suppresso tamen nomine, reprehendit, docetque omnium tum Phylosophorum, tum Theologorum opiniones hac de re, ad duas dumtaxat classes debere referri, scilicet vel eorum qui volunt essentiam & existentiam distingui realiter, vel eorum qui docent distingui tantùm ratione. Noster frater Ioannes de Bassolis in 3. distinct. 6. q. vnicâ, art. 1. longè plures de eadem re refert sententias. Sed quidquid sit de varijs illis opinionibus, quas suppositâ distinctione formali quasi mediâ inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, constat esse tres ad minùs: mentem Doctoris nostri & rei veritatem diligenter inquiramus.

Prænotandum itaque 1. quòd cùm existentia respectu essentiæ dicatur à nonnullis, esse, sintque esse & essentia idem ac existentia & essentia; non intelligi hîc per hanc dictionem, *esse*, concretum essentiæ: nam apud omnes, esse, vt est concretum essentiæ, distinguitur solâ ratione ab essentia, vt insinuat Doctor Subtilis in 3. distinct. 6. qu. 1. *Certum est*, inquit, *de esse essentiæ, quòd tantùm differt ab essentia in modo concipiendi:* sed intelligi rationem illam essentiæ, per quam dicitur esse actu. Cùm enim essentia sit ipsa natura & quidditas, cui conuenit definitio, de qua demonstrantur passiones, & cui accidit produci extra causam, vel non produci; existentia est ipsa ratio, quâ huiusmodi essentia constituitur formaliter actu, & extra causas, si modò sit essentia creata capax causarum.

Prænotandum 2. essentiam & existentiam posse quatuor modis ad inuicem comparari. Primò quatenus vtraque habet esse reale & subiectiuum. Secundò prout vna habet esse reale, putà existentia, & altera, nempè essentia, esse obiectiuum; quælibet enim natura creata ante esse subiectiuum quod habet in tempore per realem existentiam, habet esse obiectiuum ab æterno, & ante realem existentiam. Tertiò, quatenus existentia est realis, & essentia est simpliciter essentia, nec existens, nec non existens: quo pacto est id quod definitione explicatur: definitio enim abstrahit ab existentia, & non existentia rerum. Quartò denique prout vtraque habet esse obiectiuum, & possibile ab æterno. Nam, vt ait Lichetus in 2. dist. 3. qu. 1. §. *Ad quæstionem: Sicut homo v. g. habet esse obiectiuum; sic existentia hominis in esse obiectiuo præcisè conuenit homini, vt gradus intrinsecus illius: Et sicut essentia hominis ab æterno habet esse possibile; ita existentia in esse possibili conuenit essentiæ hominis, vt gradus intrinsecus eius.*

Prænotandum 3. distinctionem realem maiorem, illam scilicet quam nos dicimus esse aliam à distinctione formali, habere gradus. Alia enim sic intercedit inter rem & rem, vt inter ipsas dicat separationem, vel separabilitatem, qualis est ea quæ intercedit inter animam & corpus, & vniuersim inter ea quorum

vnum poteſt exiſtere abſque alio; & hæc verè & propriè dicitur diſtinctio realis. Alia eſt quæ ſimpliciter intercedit inter rem & rem quantumuis vna ſeparari nequeat ab altera. Quod tamen dico ex communi ſententia: Nam fortè ſequenti libro demonſtrabimus ea ſola diſtingui realiter, quæ vel ſunt actu ſeparata, vel ſunt ſeparabilia, vel ſe habent ad modum ſeparabilium.

Prænotandum 4. ſupponendum eſse pro nunc dari aliquam diſtinctionem formalem, vt infrà probabimus, quam ſuppono eſſe inter illa quæ habent alias, & alias rationes ex ſe, ſeu ex natura rei, & ante actum intellectus, de qua etiam fusè ſequenti lib. diſputabimus: His poſitis, ſit.

Prima Concluſio.

Quomodo ſe habeant eſſentia poſſibilis & exiſtentia realis.

ESſentia in eſſe obiectiuo ſeu poſſibili, & exiſtentia realis non diſtinguuntur realiter poſitiuè, ſed realiter negatiuè, id eſt, ſunt non idem realiter. Prima pars concluſionis probatur: Diſtinctio realis poſitiua eſt inter extrema realia; eſſentia in eſse obiectiuo, & exiſtentia realis non ſunt huiuſmodi: Ergo vt ſic, non diſtinguuntur ab inuicem realiter poſitiuè. Secunda pars probatur: Nihil & aliquid non ſunt idem realiter: ſed eſſentia poſſibilis & in eſſe obiectiuo eſt nihil de facto; exiſtentia autem realis eſt aliquid: Ergo eſsentia poſſibilis, & exiſtentia realis non ſunt idem realiter. Similis diſtinctio intercedit inter vnum & idem prout nondum eſt, & actu eſt; quia vt eſt, non eſt idem realiter ſibi ipſi nondum exiſtenti.

Secunda Concluſio.

Eſſentia realis & exiſtentia realis non diſtinguuntur realiter ſeparabiliter.

ESſentia realis & exiſtentia realis non diſtinguuntur realiter ſeparabiliter. Concluſio eſt expreſſa Doctoris noſtri, multis in locis, ſed præſertim in 2. diſt. 1. qu. 2. §. *Quantum ad iſtum articulũ.* Vbi habet quòd quia de nihilo, id eſt, nõ de aliquo ſecundùm eſſe exiſtentiæ, poteſt Deus creare: per conſequens de nihilo, id eſt, non de aliquo ſecundùm eſſe eſſentię, poteſt etiam creare: *quia,* inquit, *vt probatum eſt diſt. 36. primi, numquam eſſe eſſentiæ ſeparatur realiter ab eſſe exiſtentiæ.* Eſt etiam Ioannis de Baſſolis in 3. diſt. 6. q. vnicâ, art. 1. §. *Vltimò probo:* qui licet teneat exiſtentiam & eſſentiam realem diſtingui aliquo modo realiter; non vult tamen diſtingui realiter ſeparabiliter, ſeu, vt loquitur, eſſentialiter. Sic enim argumentatur:

Illa quæ nec ſunt ſeparabilia in eſſe, nec in ſeparabilibus, non diſtinguuntur eſſentialiter. Sed eſſentia, & eſſe eiuſdem creaturæ, non ſunt ſeparabilia in eſſe, quia implicat contradictionem vnum poni in re, & in effectu ſine alio. Quòd enim eſſentia ponatur in re & in effectu, & non ponatur eſſe, contradictio eſt. Similiter, quòd ipſum eſſe ponatur, & non ſit alicuius eſſe. Non ſunt etiam in ſeparabilibus; quia in eadem creatura ponuntur, quæ non eſt ſeparabilis in eſse à ſeipſa. Ergo non diſtinguuntur eſsentialiter.

Probatur

Probatur autem hoc vtrumq;, nempe nec esentiam sine existentia, nec existentiam sine esentia absque contradictione conseruari pośse, vt sic pateat veritas conclusionis.

Primum probatur: Esentia realis non est nihil. Ergo est aliquid, & quidem in rerum natura. Ergo eo vel solùm quia hoc habet, est inseparabilis ab existentia. Probatur consequentia. Esentiam esse realem, esse aliquid in rerum natura, & non esse nihil, non est aliud quàm esentiam existere. Ergo implicat esentiam aliquam esse realem, esse aliquid, non esse nihil, & non existere. Ridiculum ergo est, vt loquitur Suarez, & planè inintelligibile quod Quidam dicunt esentiam conseruatam in rerum natura sine existentia, esse quidem ens, & extra nihil, non tamen esse formaliter in genere existentium.

Probatur secundum: Existentiam conseruari sine esentia, est pereunte & destructâ esentiâ, existentiam permanere. Hoc autem implicat. Probatur: Esentiam perire & destrui, est esentiam perdere illud esse actuale quod habebat in rerum natura: sed esentiam amittere illud esse actuale quod habebat in rerum natura, est esentiam amittere suam existentiam. Ergo implicat esentiam perire & destrui, permanente existentiâ. Confirmatur: Generatio esentiæ tendit necesariò ad esentiam existentem. Ergo corruptio eiusdem esentiæ, tendit necesariò ad esentiam non existentem.

Atque hinc sequitur esentiam non posse ita separari ab existentia, vt vtraque seorsim ab alia conseruetur dissolutâ vnione illarum, sicut anima conseruatur separata à corpore. Ratio est, quia inter actualem existentiam & essentiam non est vnio, sed identitas quæ dissolui non potest.

Solùm in hanc conclusionem potest obijci naturam aliquam posse existere per alienā existentiam, quemadmodum Thomistæ docent naturam humanam assumptam à Verbo existere per existentiam Verbi: atque adeò posse essentiam aliquam conseruari absque propria saltem existentia. Verùm instantiam illam nullam & falsam esse sequenti quæstione demonstrabimus.

Tertia Conclusio.

Essentia realis & existentia realis non distinguuntur realiter vllo modo. Conclusio ista est iam communis in Scholis, & est expressa Scoti nostri in multis locis doctrinæ suæ, præsertim in 1. dist. 36. q. vnicâ, & in 2. dist. 1. q. 2. & dist. 16. q. vnicâ. §. *Rationes istæ*, in fine. Vbi respondendo ad quoddam argumentum, dicit falsum esse quod eodem modo se habeat operari ad potentiam, quomodo se habet esse ad essentiam; *Quia*, inquit, *esse est idem realiter cum essentia, non progrediens ab essentia; actus autem vel operari est progrediens à potentia, nec est idem sibi realiter.* Item in 3. dist. 6. q. 1. vbi ex eo tantùm probat in Christo esse duplex esse existentiæ; quia in ipso, duæ sunt naturæ & essentiæ; esse

Nullâ distinctione reali distinguuntur essentia realis & existentia realis.

autē existentiæ non est re distinctum ab esse essentiæ. Item in 4. dist. 13. q. 1. vbi ait falsum esse, quòd esse sit aliud ab essentia

Probatur autem hac potissimùm ratione: Quidquid est, seipso realiter & nullo alio à se distincto est quidquid est; aliàs seipso esset nihil, si alio à se distincto esset id quod est. At hoc esset falsum, si existentia re distingueretur ab essentia. Ergo existentia & essentia re non differunt. Minor probatur. Per existentiam habet quidquid est, quòd sit extra nihil: ergo quòd sit aliquid: ergo quod sit actu id quod est. Ergo ex eo quòd omne quod est, seipso sit id quod est, seu aliquid, & non nihil. Sequitur existentiam & essentiam re non distingui.

Præterea, Distinctio realis debet esse inter extrema realia realiter existentia. Sed essentia, vt distinguitur contra existentiam, non est existens aut realis. Ergo inter essentiam & existentiam, non potest intercedere distinctio realis.

Præterea, Si existentia distinguitur realiter ab essentia, essentia non potest esse ens actu per existentiam. Probatur ex aduersarijs: Distinguitur existentia ab essentia tanquam actus essentiæ, ex quo cum essentia constituitur totum aliquod existens. At nullus actus distinctus realiter à potentia subiectiua, cum qua constituit aliquid, dat tali potentiæ vt sit actu; vel constituit intrinsecè & formaliter entitatem eius, cùm ab ea condistinguatur vt entitas simplex ab entitate simplici. Ergo si existentia distinguatur hoc pacto ab essentia; non habebit essentia per existentiam, quòd sit intrinsecè & formaliter ens actu.

Quantumuis sit certa & communis hæc sententia: Nihilominus tamen D. Thomas multis in locis, sed præsertim 2. contra Gentes, cap. 52. & lib. de ente & essentia, cap. 5. sustinet quòd in omni creatura, quidditas siue essentia & esse eius actualis existentiæ distinguuntur realiter. Et hanc quoque esse mentem D. Thomæ testantur Ripas & Cajetanus in Commentarijs libri de ente & essentia. Eandem sententiam multis item probare nititur Paulus Soncinnas 4. Metaphysic. q. 12. cuius, & omnium aliorum argumenta ita ferè paucis complectitur noster Ioannes de Bassolis in 3. dist. 6. q. vnicâ, art. 1.

Objicitur 1. Participans differt realiter à participato; quia nihil participat seipsum. Sed essentia participat & recipit esse, quia est ens participans ipsum, vt patet. Ergo essentia & esse seu existentia, distinguuntur realiter. Obiectio 1.

Respondetur concessâ maiore; negando minorem: Non enim essentia dicitur ens participans respectu sui esse, à quo participet aliquid; sed dicitur participans respectu suæ causæ efficientis; à qua suum esse participat aliquid. Vnde tam essentia quàm esse entis saltem creati & dependentis est participans; & causa efficiens, putà Deus, est participata: ex quo sequitur tantùm inter Deum & creaturam, esse distinctionem realem; non autem inter esse & essentiam. Quomodo Solutio.

autem dicatur Deus à creatura participari, non est huius loci discutere.

Obie-ctio 2. Obijcitur 2. Illud quod est per se in potentia ad aliquid, & quantum est ex se, indifferens ad ipsum, vel oppositum eius, differt realiter ab ipso. Hoc patet, quia nihil est indifferens ad seipsum, vel oppositum suum. Sed essentia, saltem creaturæ, de qua præsertim hîc loquimur, est per se in potentia respectu sui esse, & in potentia contradictionis respectu esse, vel non esse; & potest intelligi sub opposito ipsius esse, putà sub non esse. Accidit enim sibi esse, vel non esse; nec alterum istorum sibi determinat; Si enim determinaret sibi esse, non posset non esse, & sic esset necesse esse; si etiam determinaret non esse, esset impossibilis esse. Ergo essentia creaturæ, & suum esse distinguuntur realiter.

Solutio. Respondeo concessâ maiore de eo quod est positiuum, & in potentia subiectiua respectu alicuius, & oppositi eius, quo modo paries est in potentia ad albedinem & oppositum eius; negando minorem. Non enim priùs essentia est aliquid, & posteà in potentia ad suum esse. Sed eo ipso, quia est essentia realis, eo est necessariò sub esse, & non est indifferens ad oppositum eius, ita quòd possit ipsa salua & integra permanens, recipere oppositum eius: si enim destruatur esse eius, ipsam quoque destrui necesse est. Non ergo essentia est veluti quid tertium indifferens ad esse & non esse; sed ipsa habens esse, ex eo potest non esse, quia est dependens & creata, & cùm desinit esse, tàm quo ad essentiam, quàm quo ad existentiam desinit esse. Essentia quidem in potentia obiectiua est in tali potentia contradictionis, sed de illa non loquimur. Diximus enim priori conclusione huiusmodi essentiam, & existentiam realem distingui realiter negatiuè. Ex his patet quid dicendum sit ad probationes minoris.

(Ostenditur essentiam nõ esse in potentia contradictionis, respectu esse & non esse.)

Obie-ctio 3. Obijcitur 3. Esse creaturæ debet esse receptum in alio, scilicet in essentia. Ergo distinguitur realiter ab essentia. Oportet enim recipiens esse realiter distinctum à recepto, cùm nihil propriè sit in seipso, & in seipso recipiatur. Antecedens probatur, quia aliàs esse creaturæ esset infinitum, quemadmodum albedo v. g. esset infinita nisi esset recepta, vel nisi reciperetur in subiecto, à quo limitatur.

Solutio. Respondetur esse creaturæ dici esse receptum, non in aliquo præsupposito, sed ab aliquo, nimirum à Deo: ex quo sequitur non esse infinitum, quia ab eo limitatur, à quo dependet in fieri & in conseruari. Adde quòd vltra hoc, dici potest illud esse, seipso, & ex vi entitatis suæ, esse limitatum & finitum, neque indigere aliquo limitante, vel contrahente in re distincto à seipso, sed intrinsecè naturâ suâ esse tantæ, vel tantæ perfectionis per suam formalem entitatem. Sic entitas albedinis non tantùm est limitata per subiectum, in quo recipitur, sed per seipsam formaliter.

(Essentia creata ex natura sua est finita & limitata.)

Obie-ctio 4. Obijcitur 4. Terminus generationis differt realiter ab eo quod non est terminus: sed existentia est terminus generationis

ex 5. Physic. cap. 1. sicut non esse est terminus corruptionis; Essentia verò non est terminus generationis. Ergo existentia differt realiter ab essentia. Respondeo, concessâ maiore, negando partem illam minoris, quâ dicitur essentiam non esse terminum generationis. Non enim dicitur existentia terminus generationis, quòd existentia sola producatur, sed quia est veluti forma sub qua generatur essentia: generatur enim essentia existens, vt existens.

Solutio. Nõ sola existentia generatur, sed essentia existés.

Obiectio. Obijcitur 5. Nulla res potest intelligi sub opposito eius, cui est idem realiter; non enim potest intelligi quòd homo sit non animal: sed essentia potest intelligi sub opposito existentiæ. Intelligo enim essentiam rosæ, v. g. non existere. Ergo essentia distinguitur ab existentia. Respondeo admissâ maiore, negando minorem si intelligatur de essentia reali, de qua solùm debet intelligi. Cùm enim concipitur aliqua essentia sub modo opposito existentiæ, tunc non concipitur essentia realis, sed possibilis solùm, & obiectiua. Quòd si vrgeas etiam essentiam realem intelligi aliquando posse sine existentia, quod fieri non posset, si essentia & existentia essent vna, & eadem entitas. Respondeo essentiam realem intelligi posse sine existentia præcisiuè, non autem diuisiuè, quod etiam fieri potest in ijs quę solâ ratione distinguuntur.

Solutio.

Obiectio 6. Obijcitur 6. Si essentia & esse non differunt realiter; hęc propositio, Essentia est, erit æquè vera ab æterno, ac ista: Essentia est essentia. Sed hoc falsum est. Essentiæ enim rerum non sunt ab æterno. Ego essentia & existentia distinguuntur realiter. Respõdeo negando sequelam maioris. Est enim alia ratio huius propositionis: essentia est, & istius: essentia est essentia: Nam prior dicit existentiam actualem subiecti. Posterior autem nectit solùm prædicatum cum subiecto; hæc autem connexio potest esse æterna, quia, vt diximus, illa non exigit actualem existentiam eius, cum quo aliud connectit.

Solutio.

Quarta Conclusio.

Essentia realis & existentia realis non distinguuntur solùm per intellectum. Conclusio est Ioannis de Bassolis in 3. dist. 6. qu. vnicâ, art. 1. estque aduersus Gabrielem Vasquez in 3. p. disput. 72. cap. 2. necnon contra alios quosdam quos refert eò loci idem Vasquez, quorum tamen aliqui, præsertim Gabriel Biel, non expresè dicunt distingui tantùm per intellectum.

Probatur autem primò sic ista conclusio. Si essentia & existentia distinguantur solùm per intellectum; vnum erit de per se conceptu quidditatiuo alterius. At existentia non est de per se conceptu quidditatiuo essentiæ etiam realis: Ergo essentia & existentia non distinguuntur solùm per intellectum. Maior probatur: quia quæ solâ ratione differunt, definitionibus non differunt; quæ enim definitionibus differunt, rationibus formalibus seu formaliter differunt. Minor probatur. Nullius essentiæ etiam

realis; definitionem ingreditur existentia; quælibet enim essentia cùm definitur, abstrahit & ab existentia, & à non existentia.

Prętereà. Non est idem omninò à parte rei existentiam dici de aliqua essentia, & essentiam dici de essentia, vt patet multis rationibus. Ergo ex natura rei, & ante intellectum differunt essentia & existentia.

Addit Ioannes de Bassolis: Illa non solùm distinguuntur secundùm rationem, quæ sunt aliquid positiuum extra intellectum; & secundùm vnum illorum res ponitur, & habet esse per se & directè in prędicamento Metaphysico, & non secundùm aliud: Sed ita se habent essentia & existentia; quia licet inseparabilia sint, tamen secundùm essentiam res est in prædicamento per se, non autem secundùm esse; quia accidit rei esse, pro quanto est in prędicamento; non quòd actu sit in prædicamento, quando non est; sed quia per existere non est in prædicamento: Ergo essentia & existentia non solùm distinguuntur secundùm rationem.

Argumenta contra istam conclusionem nihil probant. Nam demonstrant solùm vel essentiam & existentiam non posse separari, vel non distingui tanquam duas res, aut duo extrema realia, realiter existentia, quod nos vltrò fatemur: Non tamen ostendunt illa distingui tantùm per intellectum, cùm detur media quædam distinctio per quam distinguantur. Pro qua assignanda sit hæc.

Vltima Conclusio.

Quocumque modo sumatur essentia, siue vt in potentia obiectiua; siue vt pręcisa ab existentia & à non existentia; siue vt concernens existentiam; semper saltem distinguuntur essentia & existentia formaliter, loquendo de essentia & existentia creata. Prior pars conclusionis patet ex priori conclusione, vbi probatum est essentiam in potentia obiectiua, & existentiam realem distingui realiter negatiuè: Vndè à fortiori sequitur distingui formaliter, quia distinctio maior semper infert minorem. Quomodo essentia & existentia distinguantur.

Secunda pars patet similiter ex præcedente conclusione, quia essentia, vt sic, nec existens, nec non existens habet suam formalem rationem completam absque existentia: Ergo vt sic, distinguitur formaliter ab ipsa.

Tertia pars, in qua maior videtur esse difficultas, est communis apud nos, & sic probari potest. Illa distinguuntur formaliter quæ habent distinctas rationes formales obiectiuas, & quæ distinctis definitionibus definiuntur, vel distinctis descriptionibus describuntur. Sed essentia etiam existens, & existentia sunt huiusmodi: Alia est enim ratio essentiæ, etiam existentis, & alia ratio existentiæ; Ergo formaliter distinguuntur. Confirmari potest ex Aristotele 2. Post. vbi distinguit quæstionem, *quid est*, à quęstione, *si est*, quia prima spectat ad essentiam, posterior ad existentiam. Item ex

Boëtio de Hebdomadibus, vbi dicit quòd in omni eo quod eſt citra Primum, differt quod eſt, à quo eſt; ſed quod eſt, eſt eſſentia; & quo eſt, eſt exiſtentia. Item ex Commentatore 5. Metaphyſic. vbi dicit quòd quando, *eſt*, prædicatur vt ſecundò adiacens, tunc eſt problema de accidente. Hoc autem fit quando prædicatur exiſtentia. Ergo exiſtentia eſt accidens eſſentiæ, hoc eſt, non eſt de ratione formali eſſentiæ. Et hæc quidem ratio procedit, tam de eſſentia & exiſtentia reali, quàm de eſſentia & exiſtentia obiectiua, vel poſſibili. Nam ſicut ſe habet exiſtentia realis ad eſſentiam realem; ſic ſe habet exiſtentia obiectiua, vel poſſibilis, ad eſſentiam obiectiuam, vel poſſibilem.

Non ſic itaque diſtinguuntur formaliter eſſentia & exiſtentia; quaſi ipſa entitas, vt eſt exprimibilis per definitionem ſit eſſentia, & eadem entitas, vt dicit reſpectum ad ſuas cauſas productiuas, dicatur exiſtentia, quemadmodum diſſerto docuit de Baſſolis. Nam etiam ipſa eſſentia creata, vt creata; dicit reſpectum ad cauſam à qua dependet, quatenus eſt creata. Adde quòd ex ſententia Scoti noſtri in 1. diſt. 36. qu. 1. ſicut datur eſſentia poſſibilis; ſic etiam datur exiſtentia poſſibilis. Si tamen teneretur exiſtentiam ex vi vocis ſignificare ipſummet exercitium exiſtendi, & non ſolùm exiſtentiam in actu ſignato; vt quidam volunt, ſatis appoſitè diceretur eſſentiam illam, quę eſt exiſtens, eſſe id quod per definitionem explicatur, & exiſtentiam eſſe id per quod indicatur ipſam eſſe extra ſuas cauſas; atque proinde per exiſtentiam ſignificari reſpectum ad cauſas, extra quas ipſa ponit eſſentiam.

Veriùs tamen crediderim eſſentiam & exiſtentiam ita diſtingui, vt eſſentia ſit id quod eſt, & exiſtentia id quo eſt. Ita vt eſſentia ſit id quod intelligitur poſitum extra cauſas; & exiſtentia id quo intrinſecè & formaliter eſſentia dicitur conſtitui extra cauſas. Quare & à noſtris dicitur modus eſſentiæ, non quidem modus adueniens eſſentiæ iam conſtitutæ; ſed modus conſtitutiuus eſſentiæ, non quatenus eſſentia eſt, ſed quatenus actu eſt.

Et ab hac quidem ſententia non multùm diſcrepat Suarez tom. 2. Metaphyſic. diſp. 31. ſect. 6. Illa enim diſtinctio rationis ratiocinatę, quæ ab illo vocatur diſtinctio rationis cum fundamento in re, reipſâ parum differt à noſtra diſtinctione ex natura rei, ſeu formali. Vnde idem Suarez ibidem num. 9. non ſatis cepit mentem noſtram de diſtinctione formali præſertim modali; aliàs non dixiſſet ſententiam eorum qui diſtinguunt exiſtentiam formaliter modaliter ab eſſentia, eaſdem pati difficultates, quas patitur ſententia eorum qui illa diſtingui volunt realiter. Ex eo autem malè cepit mentem noſtram; quia exiſtimauit non aliam eſſe diſtinctionem modalem, quàm eam quâ v. g. quantitas à ſubſtantia, ſubſiſtentia à natura ſubſtantiali; & inhærentia actualis ab accidente

distinguuntur. Hanc autem & similes distinctiones nos non dicimus esse formales modò, verum etiam reales; quia vnum illorum potest esse sine alio. Nobis itaque distinctio formalis ex natura rei, est inter duo conceptibilia in vna & eadem re, quorum vnum ex natura rei, & ante intellectum est conceptibile sine altero, vt sunt in proposito, essentia & existentia, quorum vnum à parte rei potest concipi absque alio. Obijcitur enim nostro intellectui essentia semper capax diffinitionis, & repositionis in prædicamentis siue existat, siue non existat: vt enim nobis occurrit, vt plurimùm abstrahit, si non negatiuè, saltem præcisiuè ab existentia. Quòd si obijciatur nobis existens; satis nobis exhibet existentiam illam nihil ei conferre, quatenus essentia est, vel quatenus est exprimibilis per definitionem, & reponibilis in prædicamentis. Existentia similiter nobis obijcitur, tanquam ratio afficiens essentiam, & illam constituens formaliter actu in rerum natura. Et quia priùs illas rationes intellectus reperit in re, quàm illas fingat in illa; ideò dicuntur distingui formaliter ex natura rei: & quia ratio existentiæ non est ratio quidditicans, sed tantùm modificans essentiam; quia nimirum essentia est in sua quidditate completa ante existentiam, & ab ea tantùm mutuatur modificationem suæ actualitatis, vt dictum est; ideò distinctio illa essentiæ ab existentia dicitur formalis modalis. Hoc posito fundamento identitatis essentiæ cum existentia, patet id quod habet Scotus in 2. dist. 3. q. 3. tales esse existentias, quales sunt essentiæ actuales; itaut si essentiæ actuales specie distinguantur, existentiæ quoque specie distinguantur. Nec tamen propterea sequitur ita esse distinguenda genera & species in existẽtijs, sicut distinguũtur in essentijs. Nõ enim oportet distinguere differentias existentiarum à differentijs essentiarum, neque prædicamẽtales coordinationes, quia hæc solùm distinguũtur propriè in eo quod est, seu quod habet rationem entis completi in vnoquoque prędicamento. Existentia autem non est, nec concipitur à nobis vt id quod est, sed vt quidam simplex modus, quo essentia constituitur in ratione actualis entis.

Nota tamen hanc distinctionẽ ex natura rei quâ distinguũtur essentia & existentia esse minimam inter omnes distinctiones ex natura rei.

QVÆSTIO XXII.

An res possit existere per alienam existentiam?



HÆc quęstio pendet ex præcedenti; quæ si satis à nobis examinata est, facilis erit eius resolutio. Mouemus autem illam expressè propter quandam difficultatem Theologicam de Christi humanitate, quam Henricus quodlibeto 3. qu. 2. Dionysius Carthusianus in 2. dist. 6. q. 5. Ferrariensis 4. contra Gentes c. 35. & 41. Cajetanus, & omnes recentiores Thomistæ, imò &

ipsemet D. Thomas 3. p. q. 17. art. 2. dicunt esse priuatam propriâ existentiâ, sicut & propriâ subsistentiâ; ac proinde ipsam existere existentiâ Verbi, sicut & subsistere Verbi subsistentiâ. Pro hac sententia sunt aliquae authoritates & rationes inferiùs soluendae. Quòd si haec sententia vera est; manifestum est essentiam, & existentiam distingui realiter separabiliter à se inuicem, cùm vna possit esse absque alia. Caeteri Theologi, Scotus, D. Bonauentura, Gabriel, De Bassolis, De Rubione, Paludanus, & ex Thomistis Durandus in 3. dist. 6. & ex recentioribus Suarez in 3. p. disput. 36. & tom. 2. Metaphysic. disp. 31. sect. 12. & Gabriel Vasquez in 3. p. disput. 71. contrarium sustinent, docentque, quòd quia nulla essentia seu natura potest esse absque propria existentia, etiam humanitas Christi non caret propriâ existentiâ, quantumuis existat in Verbo. Hanc rem licet à Metaphysico proposito aliquantulùm alienam, quia viris Theologis scribo, iuuat abundè discutere.

Prima Conclusio.

Declaratur nullam rem existere posse per alienā existētiam.

NVlla res potest existere per alienam existentiam. Haec conclusio patet ex dictis, & ampliùs ita probatur: Existentia est id quo vnaquaeque res habet formaliter, vt sit actualis entitas in rerum natura, & extra nihil, seu extra causas suas: Cùm enim vnaquaeque res creata primùm actu nihil sit, sed solùm in potentia obiectiua, cum primùm intelligitur exire ex illa potentia in actum, & desinere esse nihil; intelligitur actu existens: & huiusmodi existentia est illa actualitas quâ intrinsecè & formaliter constituitur extra nihil, & extra suas causas. Nam si ex hoc quòd res intelligitur actu esse in rerum natura, extra suas causas; non intelligitur actu existens; quaero quid illi addat superaduenięns existentia? Certè non potest illi tribuere vt actu sit; quia hoc apertè supponitur ex vi prioris conceptus. Tribuet ergo quòd hoc vel illo modo sit: at hoc iam non pertinet ad rationem existēdi absolutè; sed ad determinationē & modificationē ipsius existentiae. Igitur existentia nihil aliud est quàm id quo vnaquaeq; res est formaliter realis & actualis entitas. Sed nulla res habet quòd sit actualis entitas per actualē entitatem extrinsecam: Nā si per aliud quidpiam extrinsecum, habet quòd sit actualis entitas; per se, intrinsecè, & formaliter quid erit? certè nihil. Ergo nulla res est actualis entitas per existentiam extrinsecam.

Obiectio. Obijcies. Potest aliqua res subsistere per subsistentiam extrinsecam, vt de facto fides docet humanitatem Christi subsistere per subsistentiam Verbi diuini: Ergo potest existere per existentiam alienam. Respondeo

Solutio. negando paritatem: quia subsistentia est modus distinctus realiter ab actuali essentia; non enim constituit illam in ratione entis in actu, nec primò ac formaliter eam distinguit ab ente in potentia; & ideò quamuis ab illa separetur, potest intelligi quòd maneat

maneat essentia actualis eadem, licet sub alio modo essendi. At secùs est de existentia, quia vt dictum est, est primum formale constitutiuum actualis entitatis, & in re non distinguitur ab illa.

Secunda Conclusio.

HVmanitas Christi D. non existit per existentiam Verbi diuini, sed per propriam & intrinsecam; Itaut sint in Christo duæ existentiæ completæ, sicut & duæ naturæ seu essentiæ. Hæc conclusio probatur rationibus Scoti, & aliorum anthorum nostræ Scholæ, in hunc modum.

Humanitatem Christi Domini nō existere per existentiā Verbi diuini, multis probatur rationibus.

Terminus per se generationis habet esse acquisitum per generationem; sed Christus fuit terminus generationis temporalis ex Matre; quia secundùm D. Damascenum lib. 3. c. 7. *Christus fuit verè genitus temporaliter ex matre.* Ergo per illam generationem verè acquisiuit aliquod esse: Non esse obiectiuum & in potentia; Ergo subiectiuum & actuale. Ergo esse existentiæ. Confirmatur ex 5. Physic. text. Comment. 7. vbi dicitur quòd terminus generationis est esse existentiæ, vel aliquod habens esse tale. Illud autem esse non est increatum; quia esse increatum non fuit effectum per generationem temporalem. Ergo aliud: Et ita proprium & creatum existentiæ, per quod illa humanitas existebat.

Dices forsitan quòd esse increatum non absolutè, sed sub humanitate terminabat generationem temporalem. Contrà, quia esse increatum, vt erat humanitatis, non dicebat nisi respectum rationis ad ipsum. At respectus rationis non est, nec esse potest ratio termini realis, nec generationis cuiuscumque.

Præthereà, quia generatio illa erat noua & realis: Ergo Filius Dei eam terminabat secundùm esse reale existentiæ nouum: actionis enim nouæ realis, non potest esse terminus antiquus nisi sub ratione noua reali terminet. Cùm igitur esse existentiæ, vel habens esse existentiæ sit terminus generationis, necessariò debet esse existentia noua, seu nouum esse existentiæ.

Secundò ex Arist. 2. de anima cap. 4. text. 37. viuere viuentibus est esse: sed in Christo fuit alia vita ab increata; alioqui non fuisset verè mortuus. Est enim mors priuatio vitæ; vitâ autem increatâ priuari non potuit. Ergo fuit in eo aliud viuere ab increato; & per consequens, aliud esse etiam ab increato.

Respondent aliqui recentiores Aristotelem eo loci non vsurpasse vitam pro existentia, neque viuere pro ipso esse substantiali; sed pro operatione vitæ. Contrà: Ex antecedentibus & consequentibus constat Aristotelem per, viuere, intellexisse esse substantiale. Nam cùm textu 36. dixisset animam esse causam effectricem motus; esse etiam causam cuius gratiâ, hoc est finalem, & esse formam & substantiam corporum animatorum; postmodum textu 37. subdit: *Causam namque cunctis vt sint, formam ipsam atque substantiam esse patet: at viuere viuentibus est esse.* Loquitur ergo Aristoteles de viuere quod

est esse substantiale animantis, & cuius ipsa anima est forma substantialis; non autem de viuere sumpto pro operatione, cuius suprà dixerat animam esse causam effectricem. Hoc ipsum confirmant etiam verba subsequentia.

Tertiò: Humanitas, vt entitas actualis, ordine naturæ supponitur assumptioni: Ergo non constituitur in esse actualis entitatis per ipsam assumptionem: & per cõsequens nec per existentiam increatam, quæ cùm sit terminus assumptionis non potest illi supponi.

Consequentia est euidens. Antecedens probatur multipliciter. Primò, quia fundamentum relationis naturaliter præcedit ipsam relationem, & secundùm esse actualis existentiæ ręcedit rationem relationis actualis: Sed vnio humanitatis ad Verbum fuit relatio actualis: Ergo eius fundamentum pręcessit naturaliter eam secundùm esse actualis existentiæ: Sed illud fundamentum erat ipsa humanitas: Igitur ipsa secundùm esse actualis existentiæ, fuit prior naturaliter vnione: Ergo habuit esse existentiæ priùs naturâ quàm vniretur: Sed illud necessariò erat creatum; quia ante vnionem, esse increatum non habuit, nec illud per vnionem amisit; ergo habet adhuc illud post vnionem.

Pręterea: Modus rei, præsertim extraneus, supponit ordine naturæ rem cuius est modus: At vnio, vel assumptio est modus humanitatis extra naturam eius: Ergo ordine naturæ supponit illam in ratione entis actualis: & per consequens non habet per hanc vnionem, rationem actualis entis: atque adeò nec existentiam ipsam. Et confirmatur, quia esse ordine naturæ priùs est, quàm vniri.

Præterea, Vel priùs saltem naturâ, quàm vniretur humanitas Verbo, habuit esse actualis existentiæ, vel non: Si primum, cùm illud per vnionem non amiserit, quia nulla ratio assignari potest, ob quam esset corrumpendum, cùm non sit incompossibile cum esse personali Verbi aut vnione hypostatica; habebit sanè illud post vnionem: Si secundum: Ergo non potest præintelligi humanitas in actu ipsi assumptioni; quia res in actu non potest absque contradictione sine actu intelligi; & consequenter assumpta fuit, vt in potentia obiectiua existens: atque adeò, vt nihil, quod est figmentum.

Præterea, vel assumpta est humanitas, vt habens esse extra nihil, & extra suas causas, vel vt in ipsis existens: Si primum, ergo cum actuali existentia, quia intelligi haud potest res extra nihil, & extra suas causas sine actualitate: si secundum, ergo Verbum potiùs assumpsit causas humanitatis, quàm humanitatem, quia humanitas vt in suis causis, non distinguitur ab eis.

Quartò: Creatio animæ Christi, & vnio eius ad Verbum sunt distinctæ, atque diuersæ actiones, quarum prima supponitur secundæ, sicut creatio eiusdem animæ diuersa est ab vnione eius ad corpus, illique supponitur: sed per creationem reci-

pit anima aliquod esse actuale; terminus verò creationis est esse existentiæ: Ergo recipit existentiam creatam. Probatur consequentia: quia per illam creationem fit aliquod esse in ipsa anima, quod non est esse essentiæ vt condistinguitur ab esse existentiæ; quia vt sic, illud non est de nouo, sed æternum, cùm reuera tantùm sit esse in potentia: ergo est esse existentiæ creatum, cùm per creationem fiat; quod quidem manet in ipsa anima Verbo vnita: non enim potest perdere per assumptionem illud esse quod per creationem habuit.

Quintò, Illam naturam quam Verbum personauit, scilicet humanitatem assumptam, tota Trinitas produxit in ratione causæ efficientis, eamque conseruauit; sed causalitas causæ efficientis & conseruantis non terminatur nisi ad aliquod existere; & non ad increatum; quia nihil efficit se ipsum: ergo ad esse creatum: & per consequens humanitas habet existentiam propriam & creatam.

Sextò, Si ista natura dimitteretur à Verbo, non oporteret sibi acquiri nouum esse per generationem, nec per creationem, & tamen ipsa dimissa ex hoc quòd dimissa non esset annihilata, nec esset ens in potentia, vt anima Antichristi ante creationem: ergo haberet aliquod esse in actu; non haberet autem nouum, quia tunc nulla esset mutatio positiua: ergo haberet idem quod modò habet; ergo illud esse quod modò habet humanitas Christi, est esse existentiæ creatum. Itaque natura humana assumpta, ex quo non est tantùm in intellectu, neque in causa, sed extra causam suam, necessariò habet suam propriam existentiam actualem, sicut proprium suum esse quidditatiuum; sed non habet propriam subsistentiam, quia subsistentia vltra existentiam, addit fortè modum per se existendi cum exclusione innittentiæ ad aliud sicut ad suppositum, quem modum non habet natura assumpta à Verbo, cui innititur, & in quo subsistit.

Objicit primò quidam Thomista: Si humanitas Christi existit propriâ existentiâ, & sibi connaturali; sequitur quòd Beata Virgo non est formaliter appellanda Mater & Genitrix Dei: Sed consequens est contra id quod diffinitur in Concilio Ephesino primo, Canone primo, & Canone decimo tertio; ergo sententia asserens antecedens, nullatenùs est admittenda. Obiectio 1.

Probatur sequela: Tota Christi humanitas secundùm animam, & secundùm corpus præexistit assumptioni; ita quòd anima priùs naturâ fuit creata, & tota humanitas priùs naturâ concepta, quàm assumeretur à Verbo, vt cócedimus nos; ergo priùs naturâ, quàm Deus esset homo, & homo Deus, peractum fuit & absolutum totum officium, & Dei creantis animam, & Virginis totam humanitatem concipientis & generantis; quia totum officium maternum à Beata Virgine in Christi generatione exhibitum, non attingit assumptionem humanitatis cum Verbo; quia hoc non ad Virginem ge-

nerantem; sed ad Deum mirabilia operantem attinuit, sed totum eius officium consistit in productione humanitatis. Ergo beata Virgo erit simpliciter appellanda mater humanitatis, & non Dei. Respondet Suarez quòd hæc difficultas, qualiscumque illa sit, multò magis verget si in Christi humanitate non est esse existentiæ creatum, sed tantùm esse essentiæ. Nam inde sequitur totam actionem seu causalitatem matris terminatam fuisse ad esse essentiæ humanitatis, & vltrà non fuisse progressam. Ergo multò magis sequitur concepisse solam humanitatem in esse essentiæ, & non humanitatem existentem, nedum ipsum Christum aut Deum. Antecedens patet, quia vt supponit, Beata Virgo non concurrit immediatè ad vnionem illius humanitatis cum Verbo; ergo non concurrit ad actionem, quâ illa humanitas facta est existens, quia illa fuit vnitio iuxta hanc sententiam. Ergo tota causalitas Virginis versata est circa esse essentiæ humanitatis, & in eo stetit. Ergo ex sententia opposita magis sequitur Virginem non genuisse Christum vel Deum; quia magis distat à Christo humanitas secundùm solum esse essentiæ, quàm humanitas iam existens; & nemo negare potest quin ordine naturæ saltem in aliquo genere causæ, scilicet materialis, priùs habuerit illa humanitas saltem esse essentiæ, quàm fuerit assumpta, seu vnita Verbo.

Solutio 1.

Solutio 2. Quomodo Beatissima Virgo fuerit Mater Dei.

His tamen omissis. Respõdeo ad argumentũ, in quantum militat aduersus doctrinamScoti asserentis matrem actiuè ad prolis generationem concurrere, sat fuisse vt ipsa ad generationem humanitatis cucurrerit, & ad generationem hominis eius actio tenderit, & verè ad esse hominis terminata fuerit. Nam licet ipsa non genuerit esse personale Verbi secundùm se; genuit tamen humanitatem sub eo: Siquidem in eo instanti, quo propria subsistentia debebatur ipsi humanitati, eidem accessit esse personale Verbi Diuini, ita vt genuerit Verbum Diuinum vt subsistens in humanitate, vel humanitatem vt terminatam à Verbo Diuino; quò fit vt verè ac propriè dicatur genuisse Deum & hominem, sitque verè mater Dei, & hominis.

Obiectio 2.

Obijcit 2. Ex opposita sententia, aliquot sequuntur inconuenientia quæ non videntur benè consentire cum doctrina sana, & modo loquendi Conciliorum: Ergo non est tenenda. Probatur antecedens. Ex illa enim sententia sequitur primò in Christo esse duplex esse, creatum scilicet & increatum, & consequenter quòd Christus non sit vnum simpliciter, sed duo. Quia ex duobus entibus in actu, non fit vnum ens per se. Sequitur secundò humanitatem non existere in Verbo, sed in seipsa, & consequenter Deum non esse hominem, quia non esset homo nisi per existentiam humanitatis in eo. Quòd verò illud primum sequatur, sic probatur. Humanitas non existit existentiâ Verbi. Ergo non existit in Verbo. Nam quid aliud est existere in alio, quàm per existentiam eius exi-

stere? Illud idem etiam videntur docuisse Patres, D. Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. vbi ait humanitatem seu carnem in Verbo habuisse existentiam. Id quod etiam docet cap. 3. 11. & 12. Item Sophronius in epistola quæ in sexta Synodo, actione vndecimâ, recitata fuit, & actione decimâ tertiâ, atque in Concilio Chalcedonensi approbata, qui sic habet: *In Verbo Dei, non in seipsa habet*, nempè natura humana, *vnâ existentiam cum Verbo*. Respondeo negando sequi ex nostra sententia aliquod inconueniens; & ad primum quod infertur & affertur, dico quòd in Christo duplex est esse existentiæ, sicut & duplex natura actualis in eo est, videlicet esse existentiæ naturæ increatæ, & esse existentiæ proprium naturæ creatæ; nec ob id sequitur quòd Christus sit vnum per accidens; vel duo masculinè: siquidem non est in ipso nisi vnicum suppositum; ad hoc autem vt illud inconueniens sequeretur, oporteret in eo esse duo supposita. Ad secundum inconueniens respondeo falsum esse humanitatem non existere in Verbo, si non existat existentiâ Verbi; quemadmodum falsum est accidens non existere in subiecto, licet non existat existentiâ subiecti: Quia existere in aliquo, non est existere per existentiam eius, sed est habere existentiam suam sustentatam ab eo: Vnde potius ex eo quòd humanitas Christi existat in Verbo, sequitur ipsam habere propriam existentiam, & addere tantùm habitudinem dependentiæ ad suppositum Verbi, à quo sustentatur, sicut & ipsa humanitas: Atque ita soluitur D. Damascenus. Sed difficiliùs est respondere ad Sophronium, qui dicit humanitatem habere vnam existentiam cum Verbo Dei. Sed imprimis negant aliqui in ipso fonte haberi particulam illam, *Cum verbo*. Dicunt alij eò loci Sophronium non agere de vna aut duplici existentia humanitatis; quorsum enim de ea re, de qua nulla illuc vsque extiterat controuersia, Sophronius ageret? sed solùm definire voluisse carnem, animam, & humanitatem simul tempore fuisse productam à Deo, & Verbo vnitam; atque id significasse cùm dixit humanitatem Christi in Verbo Dei, non in seipsa habere vnam existentiam; ac si diceret non habuisse existentiam à Verbo diuisam, hoc est ab eo separatam. Addere possumus, in exemplaribus Græcis, pro existentia haberi ὕπαρξις, quod nomen denotat substantiam, & vt notat Budæus in Commentarijs linguæ Græcæ, ferè idem est quod ὑπόστασις. Cùm igitur Sophronius dixit Christi humanitatem habere vnam in Verbo existentiam; dicere voluit vnam in illo, & cum illo habere subsistentiam. Ita Gabriel Vasquez loco citato.

Solutio Duplex Esse in Christo Domino.

Quomodo humanitas Christi Domini existat in Verbo, tametsi non existat existentiâ Verbi.

Explicatur locus difficilis Sophronij.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm ex essentiâ & existentia fiat compositio in rebus creatis?

Ad cōpositionem requiruntur plura, quorum vnum se habeat vt actus, & aliud vt potentia.



Rænotādum 1. tótuplicem assignari posse cōpositionē, quotuplex est aliquorum, quorum vnum se habet vt actus, & aliud vt potentia, distinctio. Ita quod sicut alia est distinctio realis, alia formalis, & hæc quidem adhuc multiplex, & alia rationis; sic alia est compositio realis, alia formalis, & alia rationis. Dixi quorum vnum se habet vt actus, & aliud vt potentia: quia si hoc desit, quantumuis aliqua distinguantur, & in aliquo vno reperiantur, non propterea tamen compositionem efficient.

Prænotandum 2. vel potius repetendum ex dictis, essentiam posse duobus modis ad existentiam comparari, scilicet quatenus est adhuc in potentia obiectiua, & quatenus iam est actu. Henricus citatus multis in locis apud Doctorem Subtilem in 1. disp. 36. q. vnicâ, vult quòd, quia essentia creata habet aliquod esse reale antequam existat, & secundum illud esse, est in potentia receptiua respectu existentiæ; ex essentia & existentia coalescat realis aliqua compositio; ex essentia quidem vt potentia; ex existentia verò vt actu. Et quia hanc sententiam improbat Scotus noster eò loci, ideò aliqui ex nostra Schola sustinent ex essentia & existentia nullam planè consurgere compositionem, ne quidem rationis.

Prænotandum 3. in omni re modificata vel modata duo, distingui posse aliquo pacto ex natura rei, scilicet rem ipsam modificatam, & modificationem eius, seu id quo modificatur. Et quamuis hæc non sint duo entia à parte rei, sed vna & eadem res, alio tantùm vel alio modo se habens: nihilominus ipsa res quæ modificatur, & id quo modificatur, sunt duo conceptus obiectiui, quorum vnus habet rationem quasi potentiæ, & alius rationem actus. v. g. ens finitum est vna res hoc tantùm modo, putà finito se habens, nihilominus ipsa res & modus finitatis eius obijciuntur probis vt duo conceptibilia, quorum vnum habet rationem potentię, & aliud rationem actus, ex quibus consurgit aliqualis compositio ex natura rei, saltem modalis.

In re modificata distinguitur ante intellectum id quod modificatur, & id quo modificatur.

Nec est quòd dicas primò ens finitum vt abstrahit à decem Prædicamentis, debere esse quidditatem simplicem; & ideò nullo modo compositam. Fateor enim debere esse quidditatem simplicem, non tamen entitatem omni ex parte simplicem; aliud est enim quidditas simplex, & aliud entitas simplex. Quidditas simplex negat pluralitatem conceptum quidditatiuorum, quæ in ente, vt abstrahit à decem Prædicamentis, reperiri non potest. Entitas autem simplex omni

ex parte, debet negare omne aliud, etiam modum, vt docet Scotus in 1. diſt. 8. qu. 3. *Ad primum*. Vbi dicit quòd quando intelligitur aliqua realitas cum ſuo modo intrinſeco, ille conceptus non eſt ita ſimpliciter ſimplex, quin poſſit concipi illa realitas cum modo illo.

Conciliatio doctrinæ Scoti.

Nec eſt quòd dicas iterum hanc doctrinam videri repugnare Scoto, qui dicit rem & modum eius intrinſecum, non eſſe aliam, & aliam rem, ſed vnam modò magis, modò minùs expreſſam, vel alio, & alio modo ſe habentem: & iterum in 1. diſtinct. 3. qu. 2. conceptum entis infiniti eſſe ſimpliciorem omni alio conceptu, qui de Deo haberi poſſet, quia eſt conceptus realitatis & modi eius. Non eſt, inquam, quòd hæc obijcias; quia ex his tantùm colligitur compoſitionem ex re & modo, non eſſe tantam, & tàm propriam, ac eſt compoſitio ex realitate & realitate, putà ex genere & differentia: non autem ex re & modo nullam prorſus fieri compoſitionem. Imò ex his quæ docet in 1. diſt. 3. qu. 2. habes tantùm conceptum entis infiniti eſſe ſimpliciorem conceptu entis boni, vel entis ſapientis; ſicque fieri comparationem inter hos conceptus, non quaſi vnus ſit ſimpliciter ſimplex, & alter non; ſed quia vnus eſt ſimplicior alio: ex quo ſequitur, quòd ſi in Deo dari poſſet compoſitio, vnus eſſet tantùm minùs compoſitus, quàm alius.

Vno verbo, ſi modus intrinſecus non ſit aliquid fictum ab intellectu, vt res habet, ſed ſit aliquid repertum in re ipſâ afficiens & quaſi actuans ipſam ſuo modo à parte rei; vix intelligi poteſt quin ipſa res, vt modata, ſit minùs ſimplex, quàm ſit non modata; atque adeò ſi ſit capax compoſitionis, aliqualiter compoſita ex ſeipſâ tota aliter, & aliter ſe habente, & ex modo per quem aliter, & aliter ſe habet. His poſitis, ſit.

Prima Concluſio.

Quomodo ex eſſentia & exiſtentia non fiat compoſitio.

EX eſſentia in potentia obiectiua, & exiſtentia non fit compoſitio, ſaltem quaſi eſſentia, hoc modo ſpectata, ſit aliquid reale receptiuum exiſtentię tanquam proprij actus. Concluſio eſt Scoti noſtri in 1. diſt. 36. qu. vnicâ, §. *Contra iſta*, in fine, vbi contra Henricum, atque conſequenter Thomiſtas, pręſertim Caietanum, qui ſententiam Henrici ſequuntur, ita habet. *Quòd etiam addit* ſupple Henricus, *compoſitionem eſſe in creaturis, per iſtam potentialitatē ad actum; non videtur rationabile, quia nihil videtur eſſe ibi quod cum alio componatur. Si enim tota albedo praexiſtat in potentia, vt terminus potentia, & poſteà ipſamet ſit in actu, non eſt propter hoc aliqua compoſitio rei & rei. Igitur ſi praexiſtat res ſecundùm eſſe eſſentia, & ipſa producatur ſecundùm eſſe exiſtentia, non propterea res erit compoſita.*

Doctrina notanda omninò.

Gabriel Vaſquez in 3. p. diſput. 72. cap. 2. hanc totam rem his verbis explicat optimè: Cùm eſſentiæ tribuimus potentiam ad exiſtendum, non tribuimus eam eo modo, quo enti in actu conuenire ſolet aliqua potentia ad

alium actum, sicuti homini nescienti aliquid, conuenit potentia sciendi illud; & materiæ primæ actu existenti conuenit potentia ad formam; sed tota ipsa essentia eâ ratione dicitur esse in potentia; quia cùm non sit, non implicat contradictionem, vt esse possit, quod quidem non satis est, vt dicamus ex esse, & essentia aliquid constitui aut componi; hæc enim potentia essentiæ ad existendum, non est coniuncta cum aliquo quod sit actu, ex quo quatenus est in potentia, & ex ipsa existentia adueniente aliquod tertium constituatur; quare neque ex natura rei (hoc est realiter in sententia eius) essentia distingui potest ab existentia. Est enim essentia, cùm est in potentia, idem omninò quod postea actu erit, nisi quòd prius potest esse, & non est: postea verò totum illud quod poterat esse, actu est, ac proinde non sunt duo, ex quibus fiat compositio.

Hoc ipsum multis antè annis doctissimè expressit noster Alensis 7. Metaphys. text. 21. quæstiunculâ vltimâ, his verbis: *Imaginabimur ergo sic, scilicet quòd tota natura res primò fuit tota sub natura potentiali, & tota posteà fuit in actu, non quòd nos imaginemur, quòd tota res præcesserit & fuerit sub natura potentiali, quæ postea suscipiat actum; sed quòd tota res, quæ præcessit, & fuit sub natura potentiali, modò tota est sub actu: istam autem rem, vt præcedit, vocant aliqui, & benè, esse non prohibitum; hoc est, esse possibile, cui non repugnat esse in actu; hoc autem ens non prohibitum, & esse in actu non sunt duo entia, sed vnum & idem, sub alio, & alio modo: qui tamē alius & alius modus non est alia, & alia res: & potest saluari, quòd ista res fiat; quia ad istud fieri non plus requiritur, nisi quòd eadem realitas tota primò sit sub natura possibilis (quod vocamus ens non prohibitum) & tota posteà fiat in actu.*

Egregiè hic philosophatur noster magnus Alexāder.

Quidam autem istam rationem, vt præcedit, vocant essentiam; vt autem ipsa eadem est terminus actionis diuinæ, vocant esse. Imaginabimur enim sic, quòd illa realitas existens sub natura possibilis, adhuc non est ens in actu, sed quædam similitudo diuini intellectus; & ex hoc essentia potest dici: illa autem essentia eadem, quæ priùs fuit similitudo, posteà est terminus actionis diuinæ, & ex hoc vocatur esse. Non ergo imaginabimur, quòd istud fieri habeat esse ex hoc, quòd esse recipiat esse, tanquam quoddam diuersum re; sed ex hoc quòd illa eadem realitas, quæ primò cecidit sub conceptu faciendi, fit terminus eiusdem actionis faciendi & obiectum. Ex hoc toto discursu patet quantum aberrent ij, qui volunt ex essentia tanquam ex potentia quadam receptiua; & ex existentia tanquam ex actu eius, fieri compositionem aliquam veram & realem, & resultare totum quoddam compositum, nimirum ipsummet existens.

Obiicies tamen ex eo sequi Scotum non sibiipsi constare. Nam in 1. dist. 8. qu. 2. docet expresè contra D. Thomam, non omnem creaturam esse compositam ex positiuo & positiuo; quia dantur aliqui gradus entium ita simplices, vt ex aliis nullo modo componantur; tamen

Obiectio.

men omnem creaturam eſſe compoſitam ex aliquo poſitiuo, & ex aliquo priuatiuo, nimirum ex perfectione quam habet, & ex perfectione quã caret, & quam poteſt habere, quatenus eſt ens; ex quo ſequitur omnem creaturam eſſe compoſitam ex actu, & potentia obiectiua; quia, inquit, habet iam actum entitatiuum per quem eſt ens, & aliquid; & eſt in potentia obiectiua reſpectu illius perfectionis poſſibilis, cuius eſt capax, quatenùs eſt ens,

Solutio in qua conciliatur Scoti doctrina. Reſpondeo nihilominus Scotum non ſibi contradicere: quia cùm negat ex eſſentia in potentia obiectiua, & exiſtentia fieri compoſitionem; hoc negat, quaſi vtrumque ſit poſitiuum, & vnum in potentia receptiua reſpectu alterius, vt volebat Henricus, & docent Thomiſtę. Et cùm poſtmodum docet omnem creaturam eſſe compoſitam ex actu entitatiuo & potentia obiectiua, non vult hoc vtrumque eſſe poſitiuum; imò docet expreſsè vnum eſſe poſitiuum, & aliud priuatiuum. Et hanc ſpeciem qualiſcumque compoſitionis introducit ſolùm, vt oſtendat quomodo Deus, cum ſua ſumma ſimplicitate, eſt infinitus, quia nulla caret perfectione poſſibili. Creatura autem omnis quantumcumque ſimplex, ſemper eſt finita, quia caret multis perfectionibus poſſibilibus, ſi non quatenùs eſt talis, vel talis creatura, ſaltem quatenùs eſt ens, quia nulla perfectio repugnat enti, vt ſic.

Secunda Concluſio.

Quomodo ex eſſentia & exiſtẽtia fiat aliqualis compoſitio. Ex eſſentia actuali & eius exiſtentia fit aliqua compoſitio ſaltem modalis, quæ eſt minima inter omnes compoſitiones ex natura rei: & hanc compoſitionem vocant alij rationis cum fundamento in re. Tota hæc concluſio patet ex dictis prænotato tertio, & breuiter adhuc ita ſuadetur: In eſſentia actuali ſeu exiſtente duo nobis obijciuntur, nimirum ipſa eſſentia quę eſt exiſtens, & ipſa exiſtentia quâ formaliter conſtituitur exiſtens. Hęc autem duo ſufficiunt ad compoſitionem illam ſaltem minimam & modalem; quia vnum illorum nobis obijcitur tanquam affectum, & aliud tanquam afficiens, licet à parte rei ſint vna entitas. Et ex eo confirmatur; quia qui dicit eſſentiam exiſtentem, plus dicit, quàm qui dicit eſſentiam ſimpliciter; vnde conceptus eſſentiæ, vt exiſtentis, eſt minùs ſimplex, quàm conceptus eſſentiæ; vt ſic; proindéque aliquo ſaltem pacto compoſitus, in quantum patitur poſſe componi: Ergo ex eſſentia actuali, & eius exiſtentia conſurgit aliqua compoſitio.

Obiectio. Obijcies: Ad compoſitionem requiritur, vt extrema componentia ſeſe mutuò excludant: at eſſentia & exiſtentia ſeſe mutuò non poſſunt excludere: etenim ſi ſeſe excluderent, non eſſent ampliùs entia; eſſentia ſiquidem ſine exiſtentia nihil eſt: Ergo ex illis non poteſt fieri compoſitio. Reſpondeo ad ma- Solutio.

iorem sese debere excludere eodem modo quo componunt: Componunt autem essentia & existentia formaliter modaliter tantùm: Ergo debent se excludere formaliter modaliter tantùm. Hæc autem exclusio, seu potiùs præcisio formalis modalis existentiæ ab essentia, non sufficit, vt essentia remaneat nihil; quia existentia non negatur de essentia. Hoc est, existentia abstrahit ab essentia præcisiuè & simpliciter, non negatiuè, & diuisiuè, seu, vt diximus, concipitur sine essentia, non negatur de essentia.

Per intellectũ existentia abstrahitur simpliciter ab essentia, non diuisiuè, seu negatiuè.

QVÆSTIO XXIIII.

Vtra sit perfectior essentia an existentia?



Æc quæstio agitatur potissimùm ab ijs qui distinguunt essentiam realiter ab existentia. Tamen etiam potest habere apud nos, nonnihil difficultatis.

Prænotandum itaque primò nos non hîc comparare essentiam in potentia obiectiua cum existentia, quia essentiam hoc pacto non esse perfectiorem existentiâ: ex eo patet, quia essentia potẽtialis nihil est: existentia autem est aliquid reale; sed comparare essentiã actualem cum existentia præcisâ tamen ratione existẽtiæ, quæ vt sic, nec vt existens, nec vt non existens, concipitur, sed nudè & simpliciter, seu quatenùs essentia est.

Prænotandum 2. Vnum esse perfectius alio, cùm ex perfectione illius sequitur perfectio alterius, & non è contrà; v. g. quia esse hominis est perfectius esse leonis; ideò sequitur vitam hominis esse perfectiorem vitâ leonis, & non è contrà: Et ita quia homo simpliciter perfectior est leone; ideò sequitur hominem viuentem esse perfectiorem leone viuente. His positis, sit hæc.

Vnica Conclusio.

Essentia quatenus essentia, & secundùm sua prædicata quidditatiua spectata, est perfectior existentiâ. Colligitur ex Scoto nostro in 2. dist. 2. qu. 3. vbi colligit differentias existentiarum ex differentijs essentiarum. Est item Fonsecæ 4. Metaphysic. cap. 2. qu. 7. Et sic breuiter probatur. Ideò homo existens est perfectior Leone existente, quia homo secundùm essentiam suam est perfectior Leone etiam secundùm essentiam suam. At si existentia esset perfectior essentiâ; sequeretur potiùs hominem existentem esse perfectiorem Leone existente; quia existentia hominis est perfectior existentia Leonis. Ergo existentia est minùs perfecta, quàm essentia; seu essentia est perfectior existentiâ. Probatur maior: Homo simpliciter & vt sic, est perfectior Leone; quia quidditas hominis est perfectior quidditate Leonis: Ergo homo existens est perfectior Leone existente, quia homo secundùm suam essentiam, est perfectior

Essentia est perfectior existẽtiâ.

Leone secundùm suam essentiam.

Confirmatur: Ratione essentiæ constituútur varij gradus entium, & non ratione existentiæ. Quia existentia id solùm præstat vt res sit actu: In essendo autem actu vt sic, non dantur gradus. Ergo perfectio vnius rei præ alia, non petitur ab existentia, sed ab essentia.

Prætereà: Res est semper nobilior suo modo: existentia autem est modus essentiæ. Ergo essentia est perfectior existentia.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm existentia sit de quidditate Dei, & tamen existentia in se sit vniuoca ad existentiam diuinam, & ad existentiam creatam?



Vppositâ vniuocatione entis ad Deum & creaturas, videtur non esse dubitandum de vniuocatione existentiæ in se, ad existentiam increatam, & existentiam creatam. Nihilominus quia & existētia creata est tantùm modus essentiæ creatæ, & existentia increata est prædicatum essentiale & quidditatiuum essentiæ diuinæ, vt communior fert sententia; Ideò dubitatur meritò an hoc, nonobstante, existentia in se sit vniuoca ad existentiam increatam, & existentiam creatam? Qui non admittunt vniuocationem, non habent hîc difficultatem: Eorum autem qui tenent vniuocationem, alij dicunt quòd quemadmodū existentia creata est modus essentiæ creatæ, sic & existentia increata est modus essentiæ increatę. Ita Bargius, Trombeta, & ex nostris recentioribus Posnaniensis in 1. Scoti dist. 2. q. 1. dubitatione 2. Alij omnes tenent existentiam diuinam esse prædicatum quidditatiuum & essentiale diuinitatis; & cum hoc conuenire vniuocè cum existentia creata. Quo pacto autem duo hæc cohæreant, tum conclusionis probatione, tum prioris argumenti solutione patebit. *Variæ sententiæ discipulorum Doctoris Subtilis referuntur.*

Vnica Conclusio.

Existentia increata est de conceptu quidditatiuo essentiæ diuinæ, & non tantùm modus eius. Ioannes de Bassolis in 1. dist. 8. q. 1. art. 2. testatur hanc conclusionem esse solemnium Doctorum, etiam Scoti (cuius mentem satis tenebat) in 1. dist. 2. q. 1. vbi docet quòd existere siue existentia immediatissimè conuenit essentiæ diuinæ, & quòd propositio in qua prædicatur esse, de Deo, non est per se secundi modi, sed est immediatissima, ad quam resoluuntur omnes aliæ propositiones enuntiantes aliquid de Deo. Id etiam docet adhuc quæstione 1. quodlibeticâ, art. 1. vbi habetur in litera cancellata, soluendo quoddam argumentum, quòd in diuinis existentia est de conceptu essentiæ, & prædicatur in pri- *Existentia increata est de quidditate Dei.*

mo modo dicendi per se; sic quòd propositio illa, per se est prima, & immediata ad quam omnes aliæ resoluuntur, Hanc item esse mentem Doctoris nostri testatur doctissimus eius interpres Lychetus ibidem, & eam sequuntur Mauricius, Vallo, Herrera & alij: Et ita probatur à Bassolis.

Primò. Illud quod ex se formaliter est summè necesse esse, includit esse, vel est esse ex suo conceptu quidditatiuo. Patet, quia aliàs non esset formaliter ex se necesse esse. Necesse esse autem includit esse vt patet: sed essentia diuina est ex se formaliter summè necesse esse: quia necesse esse est cui secundùm primam & absolutissimam rationem suam, conuenit esse, secundùm Auicennam 5. Metaphysic. Ergo esse actualis existentiæ est de conceptu quodditatiuo essentiæ diuinæ.

Secundò. Illud in quo non differt quæstio, *si est*, & *quid est*, habet esse ex suo conceptu quidditatiuo. Sed hoc est in Deo. Ergo,&c. Maior est euidens. Minor est Linconiensis in initio secundi Posteriorum; & colligi potest ex Patribus Augustino 5. de Trinitate cap. 2. vbi dicit essentiam Dei dictam esse ab, *esse*, & sumit, *esse*, pro, *existere*, vt constat ex litera. Et 12. de Ciuit. ca. 2. vbi dicit Deum esse summam essentiam, quia summè est. Et Ambrosio, lib. 1. de fide contra Arianos, cap. 4. vbi concludit Hoc ipsum quod est, esse substantiam Dei. Item ex omnibus alijs qui cum Scriptura docent nihil esse magis proprium Deo, & nullum nomen magis aptum, quàm ipsum esse, seu existere; Quamquam fortè, vt verum fatear, nec Scriptura, nec Patres istas Metaphysicas quæstiones de ratione prædicatorum quidditatiuorum, & modorum dirimant; sed solùm intendant Deum semper esse, æternum esse, & immutabilem, qui ab alio vt sit, non dependet, sicut creaturæ dependent.

Tertiò: (& hanc rationem elegantiorem reddidit Suarez 5. p. tom. 1. disput. 11. sect. 2.) Immutabilitas seu inuariabilitas, vt loquitur Bassolius, est attributum essentiale conueniens Deo ratione suæ naturæ infinitæ; sed esse immutabilem, includit essentialiter esse seu existere. Nã inuariabiliter existere supponit existere. Ergo si necessitas existendi, seu permanentia immutabilis in existendo sit de quidditate Dei, multò magis ipsum existere erit de quidditate Dei.

Obiectio 1. Quæ est fundamentalis ratio eorum qui tenent existentiam increatã nõ esse de conceptu quidditatiuo essentiæ diuinæ.

Obijcitur 1. Quæcumque in Deo aut in quocumque alio, se formaliter includunt, illa etiam in suis conceptibus simplicissimis & abstractissimis, se formaliter & quidditatiuè includunt. Sed existentia & essentia in suis conceptibus simplissicimis & abstractissimis, non se includunt quidditatiuè. Ergo etiam nec vt sunt in Deo, se includunt quidditatiuè Maior probatur. Manente eâdem ratione formali, manet eadem identitas vel diuersitas formalis: Sed in conceptu abstractissimo, manet eadem ratio formalis essentiæ & existentiæ, quæ fuit in aliquo vno particulari. Ergo etiam manet

eadem identitas vel diuersitas formalis; igitur si se quidditatiuè includunt in aliquo particulari, v. g. in Deo, includunt se etiam quidditatiuè in conceptibus abstractissimis. Minor etiam propositio probatur. Quia si essentia in suo conceptu abstractissimo includeret existentiam; Ergo quælibet essentia formaliter includeret existentiam; Quia quod est per se tale, vbicumq; ponatur, semper erit tale: Igitur & in creaturis, essentia includeret quidditatiuè existentiam.

Solutio. Essētia & existentia in suis conceptibus simplicissimis nec se includunt, nec nō includunt; sed abstrahūt & ab inclusione, & à non inclusione.

Respondeo negando maiorem, & probationem eius; quia essentia & existentia secundùm suos simplissicimos & abstractissimos conceptus neutrum habent, scilicet quòd sint quidditatiuè idem, vel non sint quidditatiuè idem. Quod enim existentia sit quidditatiuè eadem cum essentia, ex eo non habet quia existentia est, sed quia existentia diuina. Quòd item existentia aliqua non sit quidditatiuè eadem cum essentia aliqua, sed sit tantùm modus eius, non est quia simpliciter existentia est, sed quia existentia creata: existentia autem in se abstrahit & à creata & ab increata. Itaque etiā existentia abstrahit à ratione essendi vel non essendi quidditatiuè eandem cum essentia. Atq; hinc constat quo pacto existentia in se sit vniuoca existentiæ increatę & existentiæ creatæ, quantumuis illa sit prędicatum essentiale, & hæc tātùm modus. Quia ratio existentię vt sic, in eo formaliter consistit vt per eam res sit actu, & non nihil. In hac autem ratione conuenit tum existentia per quā res necessariò & essentialiter est actu, cuius rationis est existentia diuina; tum existentia per quam res non necessariò, sed tantùm contingenter est actu, cuius conditionis est existentia creata. Ergo cum vnitate rationis existentiæ, stat vnam existentiam posse esse de quidditate illius essentię cuius est existentia, & aliam non; sed tantùm modum eius. Exemplum clarum est de sapientia, quę secundùm nos, est vniuoca sapientiæ increatę, & sapientię creatę, & tamen illa est essentialis Deo, hęc verò nobis tantùm contingens.

Obiectio 2. Obijcitur 2. Esse actu vel potentiâ sunt passiones entis; sed nulla passio præsertim subiecti communioris est de essentia inferioris, vt patet exemplo passionum quantitatis, quarum nulla est de essentia lineæ, vel superficiei. Ergo esse actu seu existere, nulli contento sub ente erit essentiale & quidditatiuum. Deus autem continetur sub ente. Ergo esse actu non erit essentiale Deo.

Solutio. Respondetur esse actu vel potentiâ in proposito, non esse passiones, sed partes entis: diuiditur enim ens in ens actu, & in ens potentiâ tanquam in partes subiectiuas. Per ens actu autem intelligitur ens existens: & cùm entis existentis aliud necessariò, aliud contingenter existat; fit vt esse actu, possit esse essentiale alicui enti, putà Deo.

Obiectio 3. Obijcitur 3. Existentia non est gradus essendi, sed modus essendi: omne autem prędicatum essentiale & quidditatiuum debet esse gradus essendi, putà vel genericus vel specificus, vel trans-


cendentalis, vel simplex & totalis, vt in ijs quæ sunt actus puri. Ergo existentia nulli essentiæ est prædicatum essentiale.

Solutio. Respondetur existentiam non esse gradum sed modum essendi in ijs quorum essentiæ & naturæ præcisâ existentiâ possunt intelligi omnibus suis gradibus & numeris completæ, vt sunt essentiæ creatæ, quæ secundùm suas quidditates abstrahunt ab existentia: Non autem in eo cuius essentia non concipitur completa suis omnibus gradibus absque existentia, qualis est essentia diuina, vt probatum est.

Solet hîc disputari de subsistentia & inhærentia; sed commodior erit eorum tractatio in tertio libro, vbi de partibus entis, videlicet de substantia & accidente disputabimus, quia subsistentia & inhærentia non ad ens vt sic, sed ad ens substantiale & accidentale pertinent.

Et hæc de primo Libro Rerum Metaphysicarum.





F. MARTINI MEVRISSE ROYENSIS, ORDINIS MINORVM, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI Parisiensis, Rerum Metaphysicarum

LIBER SECVNDVS, QVI EST DE PRINCIPIIS, ET Proprietatibus Entis.

PRÆFATIVNCVLA.



METAPHYSICA non solùm Ens ipsum, prout Ens est, sed etiam ea quæ per se ei insunt, speculatur, inquit Aristot. 4. Metaphysic. cap. 1. Itaut quemadmodum aliæ scientiæ non solùm propria sua subiecta, sed & ipsorum principia, causas, & elementa considerant; sic Metaphysica non solùm Ens ipsum, sed etiam Entis principia, causas, elementa, & proprietates, si quas habet, contemplatur. Eapropter examinatis ijs quæ ad entis naturam pertinent, libro superiore; proximum est, vt ad eorum quæ Ens ipsum consequuntur, vel ad ipsum pertinent, explicationem accedamus. Erit autem iste liber tùm propter rerum tractandarum varietatem, iucundissimus; tùm propter earumdem difficultatem subtilissimus. In omnibus verò omnem operam adhibebimus, quatenùs mentem Doctoris Subtilis assequamur, & illius singularem doctrinam quibus possimus rationibus, confirmemus. Quod vt faciliùs præste-

mus, hunc Librum in aliquot Capita diuidemus, & ad quodlibet Caput propriæ quæstiones excitabuntur. Quamuis autem in Physicis soleat agi de Principiis in vniuersum: quia tamen eorum consideratio, quam maximè necessaria est Theologis, quibus hoc opus tanquam apparatum quemdam prœmitto; quia etiam propter eius communissimam & abstractissimam rationem, ad Metaphysicum spectare videtur: Quia etiam fortassis de rebus Physicis scribere locus nobis non erit; ideò hoc primum Caput in duas partes secabitur; in quarum priore de Principio in vniuersum, & in posteriore de principiis Entis disputabitur.



CAPVT PRIMVM, QVOD EST DE PRINCIPIO in vniuersum, ac de Principijs Entis.

CAPITIS PRIMI, PARS PRIMA, quæ est de Principio in communi.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Principium?

Variæ acceptiones principij ex Philosopho 5. Metaphysic. cap. 1.



PRÆNOTANDVM Aristotelem 5. Metaphysic. ca. 1. assignare quinque acceptiones Principij. Prima est, vt principium dicatur illud, vnde aliquid primò incipit moueri, v. g. illud dicitur principium viæ, vnde incipit motus, & ex opposito illud dicitur terminus, vbi motus desinit. Secunda, vt principium dicatur illud, vnde aliquid faciliùs inchoatur, sicut in scientiis non semper, inquit, inchoandum est à primo rei principio secundùm naturam, sed ab eo vnde quis possit faciliùs addiscere. Hinc obseruauit Commentator, prius, in scientiis, dici duobus modis, videlicet secundùm naturam, & quo ad nos. Modus autem noster addiscendi frequentiùs incipit à priori, quo ad nos. Tertia, vt principium dicatur illud quod in re qualibet primùm generatur, aut fit, & existit, vt sedile in naui, fundamentum in ædificio, & cor vel

vel cerebrum in animali. Quarta, vt illud dicatur principium à quo, vt ab extrinseco aliquid fit, aut mouetur, aut contingit, quomodo v. g. Pater & Mater dicuntur principium pueri, & in ciuitatibus potestates & principatus dicuntur principia motuũ qui in illis accidunt; quia ad eorum nutum, voluntatem & imperium cæteri mouentur: sic etiam conuitium dicitur belli principium, & artes principia artificiatorum. Quinta denique, vt principium dicatur id omne, vnde aliquid primùm cognoscitur, vt principia respectu demonstrationum, & effectus respectu causarum, in quarum cognitionem inducunt. Hoc posito, sit

Prima Conclusio.

Descriptio principij ex Aristotele.

PRincipium definitur ab Aristotele loco citato, *Primum id, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Declaratur applicando definitionem istam omnibus acceptionibus principiorum enumeratorum. Primò, dicitur esse, *primum*, vt significetur principium non esse ab alio, sed esse id, vnde est aliud. Etenim addit Alexander Alens. in Commentario huius loci, siue sit id, vnde aliquid est, vel vnde aliquid fit, vel vnde aliquid mouetur, vel vnde aliquid cognoscitur; semper primitatem habet respectu eius, quod est ab eo. Primitatem inquam, vel simplicem, vel secundùm quid; simplicem, qualem habet solus Deus respectu omnium quæ sunt ab ipso; vel secundùm quid, & in certo genere, qualem habet punctum respectu lineæ, vel instans respectu temporis. Nec enim requiritur, vt id omne quod est principium, sit simpliciter & absolutè primum, aliàs solus Deus esset principium. Hinc sequitur omne principium esse aliquo modo prius iis omnibus quorum dicitur principium: quia id omne quod supponitur ab alio, est prius eo: sed omne principium supponitur à principiato, aliàs nulla esset ratio propter quam vnum esset principiatum, & aliud principium Ergo omne principium est aliquo modo prius iis quorum dicitur principium.

Quare principiũ dicatur primũ, explicatur.

Secũda particula descriptionis, vnde, explicatur.

Secunda particula est, *vnde*, quæ complectitur omnem rationem constitutionis, initiationis, emanationis, deriuationis & processionis ab alio; significatque, *Post quod, à quo, ex quo, per quod, & propter quod* est aliud.

Tertia particula, aliquid, declaratur.

Tertia particula est, *Aliquid*, quæ etiam latissimè est intelligenda, vt tam entia quàm non entia complectatur: Sicut enim non ens principium esse potest, ita & principium habere. Inane enim spatium, v. g. quod extra cœlos est, principium quoddam habet à quo inchoetur, siquidem ibi incipit, vbi cœlum desinit.

Quarta particula, aut est, exponitur.

Quarta particula, *Aut est*, additur ad significandum quædam esse principia essendi rerum, quæ scilicet vel res ipsas constituunt, vt sunt materia & forma respectu rerum naturalium, vel saltem si non constituant, producunt, vt pater diuinus respectu Filij.

Quinta Particula, *aut fit*, po- Quinta

particula, aut fit, explicatur. nitur, vt significetur quædam esse principia effectionis rerum, & non, esse, illarum, vt priuatio.

Vltima particula, aut cognoscitur, elucidatur. Vltima (*aut cognoscitur*) denotat quædam esse principia cognitionis rerum duntaxat, quæ nec ad esse, nec ad conseruationem earum aliquid conferunt: sic se habent creaturæ respectu Dei.

Obiectio 1. Obijcies 1. Contra id quod dictum est in prima particula, omne principium esse aliquo modo prius eo cuius dicitur principium. Pater Diuinus est principium Filij, nec est tamen prior Filio. Ergo non omne principium est prius eo cuius est principium.

Solutio. Respondeo concessâ maiore, distinguendo minorem, scilicet Patrem non esse priorem Filio Quomodo Pater diuinus sit, & non sit prior filio. duratione, perfectione, aut naturâ; esse tamen priorem origine. Ista autem prioritas, nec maiorem perfectionem in Patre, nec imperfectionem in Filio dicit; sed cum omnimoda simultate æternitatis, perfectionis, & naturæ, significat duntaxat vnum esse ab alio.

Obiectio 2. Obijcies 2. Principium & id quod est à principio sunt correlatiua: Sed vnum correlatiuorum Solutio 1. Principium est prius principiato, materialiter nō formaliter. non est prius altero. Ergo principium non est prius eo cuius est principium. Respondetur primò communiter ad hoc argumentum, principium & id cuius est Principium, si relatiuè & formaliter sumantur, esse quidem simul, nec vnum esse prius altero; at si sumantur materaliter, scilicet pro rebus denominatis, quæ dicuntur principia, sic principium est prius eo, cuius est principium. Hoc est, ipsæ denominationes principij & principiati sunt simul naturâ, non res quæ ab illis denominantur.

Respondetur 2. ex Scoto nostro in Solutio 2. 1. distinct. 28. qu. 3. §. *ad quæstionem istam*, simultatem relatiuorum in eo solùm consistere, quòd posito vno necessariò ponatur Principium est prius principiato prioritate perfectionis. aliud, & ablato vno, aliud auferatur, ita vt nullo pacto possint existere sine se inuicem: Cum hac tamen simultate, posse vnius ad aliud prioritatem quandam intercedere, illam scilicet quâ vnum eo est prius altero, quia est eo perfectius. *Ita quòd*, inquit, *cum simultate correlatiuorum secundùm naturam, possit stare prioritas secundùm perfectionem in vno respectu alterius.* Quod etiam confirmatur ex Auicenna 6. Metaphysic. cap. 2. vbi vult quòd causa, vt sic, sit naturâ prior eo cuius est causa, etiam quatenus ipsum est causatum. Et hoc pacto principium etiam formaliter & relatiuè sumptum potest esse prius eo cuius est principium.

Obijcies 3. Passim apud Theologos, Pater Diuinus dicitur principium totius Deitatis, fons & Obiectio 3. origo totius Diuinitatis. Ita enim loquuntur D. Augustinus 4. de Trinit. cap. 2. D. Dionysius cap. Solutio. 3. de Diuinis nominibus. D. Athanasius oratione contra Gregales Sabellij, & hoc docent Quomodo Pater diuinus dicatur principium totius Trinitatis & diuinitatis. etiam communiter Theologi in 1. distinct. 29. Sed tota diuinitas non est, aut fit, aut cognoscitur à Patre, vel ex Patre, vel per Patrem; aliàs Pater esset principium suiipsius, cùm ipse etiam contineatur in Diuinitate. Ergo principium non est id vnde ali-

quid est, aut sit, aut cognoscitur. Respondeo cum D. Bonauentura in expositione literæ distinctionis 29. quòd cùm pater dicitur principium totius Diuinitatis, hoc est intelligendum per distributionem accommodam, vt sit sensus; Pater est principium totius Diuinitatis communicatæ; vel Pater est principium in Diuinitate, seu in Trinitate: quo pacto dicimus primam vnitatem esse principium ternarij; non quòd sit principium suiipsius, sed quia inter tres vnitates, quibus constat ternarius, primum locum obtinet.

Secunda Conclusio

Variæ diuisiones & subdiuisiones principiorum.

PRincipiorum alia sunt cognitionis, alia rei. Principium cognitionis est quod sui cognitione ducit nos in cognitionem alterius rei, estque duplex, scilicet vel incomplexum, vt fumus respectu ignis; vel complexum, vt quælibet propositio antecedens, ex qua consequens eruitur: estque etiam duplex, scilicet, vel speculatiuum, vt, *omne totum est maius sua parte*; vel practicum; vt, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*. Vtrumque iterum vel primum seu immediatum, vel mediatum. Rursus, principiorum cognitionis aliud est causa cur res sit & cognoscatur; vt causa respectu effectus in cuius cognitionem ducit; vel est tantùm causa cur res cognoscatur, & non cur sit, vt effectus respectu causæ quam notificat. Principium rei est id vnde res incipit, vel fit, vel est, vt dictum est. Et est primò duplex, scilicet vel negatiuum, vt priuatio, vel positiuum; quod iterum duplex est, scilicet vel extrinsecum, vt Deus, finis, &c. vel intrinsecum, vt materia & forma respectu compositi naturalis; & istud iterum duplex, scilicet vel causans, vt materia & forma, vel non causans, vt punctum, instans, &c. Causans est adhuc duplex, scilicet vel Physicum, vt materia & forma, vel Metaphysicum, vt genus & differentia. Mitto principiorum alia esse agendi, & eorum aliud quidem proximum, aliud remotum; alia esse patiendi, quorum omnium exempla passim occurrunt in Philosophia.

Principium est vniuocum ad omnia principia.

Dubitabis an principium in se, sit vniuocum ad hæc omnia principia? Cui breuiter respondeo ita esse, modò excipias entia rationis, ad quæ etiam se extendit. Ob id enim negauit Scotus noster in 1. dist. 29. qu. vnicâ, principium in diuinis esse vniuocum ad principium essentiale, & ad principium notionale; quia illud est ens rationis, & istud ens reale; enti enim rei, & enti rationis nihil potest esse commune vniuocum. Hoc autem excepto veram esse nostram responsionem ex eo suadetur, quia Aristot. 5. Metaphysic. cap. 1. dicit quòd omnibus principiis commune est esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur aliquid: Ergo non solùm in nomine conueniunt, sed in hac communi ratione primitatis; quod sufficit ad vniuocationem.

QVÆSTIO II.

Quomodo Principium & causa se habeant adinuicem?

Confe-runtur ad inui-cem princi-pium causa & elemē-tum.



QVANQVAM hæc tria, nimirum principium, causa, & elementum pro vno & eodem satis frequenter vsurpari soleant apud Philosophos; tamen communis opinio est ea distingui tanquam magis, & minus commune, vt omne elementum sit causa, & omnis causa principium, non è conuerso. Quia ex Aristot. 5. Metaphysic. cap. 4. elementum est id ex quo primo inexistente aliquid constituitur; & ideò non quæuis causa est elementum, quia non omnis causa est primò inexistens seu interna rei constitutæ, vt patet de causis efficiente & finali; quare ex causis, materia solum & forma sunt elementa, & adhuc veriùs materia quàm forma, quia illa est primum subiectum & elementum, ex quo forma educitur. Similiter causa minùs latè patet quàm principium; quia illud solum principium nomen causæ meretur, ex quo vel à quo res habet esse per influxum aliquem, itaut rei causatæ conferat aliquid. Declarat istud optimè noster Alensis 5. Metaphysic. text. 1. paginâ mihi 105. *Principium videtur generalius esse quàm causa: Nam principium videtur consistere in quodam ordine vnius ad aliud, siue illud aliud sumat esse ab illo, siue non. Videmus enim quòd punctus est principium respectu lineæ, & fundamentum respectu domus; & tamen nec linea à puncto, nec domus à fundamento sumit esse. Causa autem est in quodam ordine vnius ad aliud, ita quòd illud aliud sumit esse ab illo: quare videtur quod omnis causa principium sit, non è conuerso.* Hæc ille.

Vnica Conclusio.

PRincipium & causa sic se habent, quòd latiùs pateat principium quàm causa: primò, quia, vt dictum est, causa influit in suum effectum; principium autem non influit semper in id cuius est principium, vt patet de puncto respectu lineæ, & de aurora respectu diei: secundò, quia omnis causa est ens positiuum, non autem principium vt patet de priuatione. Tertiò, quia omnis causa est diuersæ naturæ à causato, non autem principium à principiato. Quartò, quia omnis causa est prior naturâ suo causato; principium non sic, vt patet de Patre diuino, qui est principium filij, nec tamen est naturâ prior ipso. Nec moueri quis debet si passim Patres Græci nomina causæ & causati admittant in diuinis respectu Patris & Filij; vt inde concluderetur, falsum esse hoc discrimen quod inter causam & principium statuimus. Dicimus enim quòd omnes illi, vt Basilius, Nyssenus, Nazianzenus, Damascenus, & Theophilactus per


Princi-pium latiùs patet quàm causa.

has voces, ἄιτιον & ἀιτιατὸν, nihil aliud quàm principium & principiatum intelligunt, vt optimè declarauit Bessarion in Concilio Florentino: Cùm enim in oratione quam ibi habuit pro vnione Græcorum cum Latinis, sæpiùs nomine causæ vsus fuisset: tandem cap. vltimo illius orationis sic ait: *Notandum quòd sancti Doctores orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ & causati largo modo, non quidem vt limitationem & dependentiam importat; sed prout emanationem & productionem à principio, eius quod est à principio significat: & ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vsum fuisse.*

Explicatur locus difficilis Aristotelis.

Superest grauis difficultas apud Aristotelem, qui videtur causam confundere cum principio, & asserere quòd vnum nec magis nec minus latè patet quàm aliud. Dicit enim 4. Metaphysic. cap. 2. *Itaque ens & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quòd seinuicem sequuntur quemadmodum principium & causa.* Item 5. Metaphys. cap. 1. postquam enumerauit varias acceptiones principij, subdit: *Toties autem*, idest, tot modis, *causæ quoque dicuntur; omnes namque causæ principia.* Ad primam authoritatem respondetur Aristotelem ibi solùm ostendere quo pacto vna scientia sit vnius generis obiecti: vt inde colligat ad eandem scientiam pertinere tractare de ente, & de vno. Reddit rationem, quia hæc duo naturâ sunt idem, hoc est ex natura rei non differunt. Cùm verò asserit: *quemadmodum principium & causa*, non hoc affert in exemplum mutuæ conuersionis, sed identitatis ex natura rei, ob quam ad vnam scientiam vtriusque tractatio pertinet. Ita post multos alios respondet Vasquez 1. p. disput. 139. cap. 6. Ad secundum satisfacit optimè noster Alensis, dicens quòd postquam Aristoteles eo loci retulit quasdam acceptiones principij, subdit non solùm illis modis sumi principium; sed præterea posse adhuc sumi omnibus illis modis, quibus causa sumitur. Quare sensus illius loci non est totidem modis dici causam, quibus dicitur principium, ex quo rectè inferretur causam & principium æquè latè patere; sed sensus est, vltra acceptiones enumeratas principij, tot modis posse adhuc sumi principium, quot modis causa sumitur. Hunc autem esse huius loci legitimum sensum tribus de causis mihi persuadeo. Primò, quia cap. 1. recensens acceptiones principij, non numerauit eas quibus capitur causa, cùm tamen totidem etiam modis principium dicatur, quibus dicitur causa, quos refert cap. 2. Præterea, quia hoc pacto rectè quadrat ratio illa quam subdit Arist. *Omnes namq; causæ principia*, ac si dicat: Cùm omnis causa sit principium, rectè sequitur totidem modis etiã dici principium, quot dicitur causa: Cùm tamen non sequatur contrà, tot modis dici causam, quot dicitur principium, etiam si omnis causa sit principium, quia principium latiùs patet quàm causa. Tertiò, quia si Aristoteles voluisset tot modis dici causam, quot modis dicitur principium, debuisset in enu-

merandi; modis quibus cauſa capitur, tot acceptiones eius aſſignare, quot principij aſſignarat, quod tamen non præſtat; quia quinque acceptiones principij aſſignauerat, & cauſæ tantùm quatuor aſſignat. Addo textum etiam græcum poſſe pati optimè hunc ſenſum. Habetur enim: ἰσαχῶς δὲ καὶ τὰ αἴτια λέγεται. ideſt, ſi Verbum pro Verbo transferas: æque porro atque cauſæ, dicitur (ſupple) principium. Huic tranſlationi licet nouę, & apud omnes ferè inuſitatæ, fauet Alenſis, & eam omninò approbat Gabriel Vaſquez 1. p. diſput. 139. cap. 6.



CAPITIS PRIMI

PARS ALTERA, QVÆ EST de Principiis Entis.

QVÆSTIO I.

An Ens habeat principia?

Varia principia explicantur.



PRænotandum, vel potiùs repetendum ex dictis, principiorum alia eſſe cognitionis, alia rei; & quidem in ſcientiis, illa vocari principia ſcientiæ, hæc verò principia ſubiecti: v. g. in phyſicis: *OMNE CORPVS NATVRALE EST MOBILE*, eſt principium cognitionis & ſcientiæ; Materia autem, forma & priuatio ſunt principia rei & ſubiecti. Principiorum autem ſcientiæ alia ſunt complexa, ſuntque generalia effata ſeu pronuntiata, quorum firmitati & veritati nititur omnium propoſitionum quæ in tali ſcientia traduntur, veritas; vt ſunt; *QVODLIBET EST VEL NON EST. DE QVOLIBET AFFIRMATIO ET NEGATIO*. Alia dicuntur incomplexa, ſuntque prima cuiuſlibet ſcientiæ elementa, vt in Logica, Vniuerſale, Prædicamentum, Prædicatum, Subiectum, Definitio, &c. Et in Mathematicis, totum, pars, linea, punctum, vnitas, & ſimilia. Principiorum denique complexorum alia ſpectant ad genus demonſtrationis oſtenſiuum, & alia ad genus demonſtrationis deducens ad impoſſibile. Hoc principium *OMNE CORPVS NATVRALE EST MOBILE*, ſpectat ad primum genus demonſtrationis. Iſtud verò: *IMPOSSI-*

NILE EST IDEM SIMUL MOVERI ET NON MOVERI, pertinet ad secundum. Et quidem quod spectat ad primum genus: cùm duobus modis aliquid demonstrari possit, scilicet à priori & à posteriori: demonstrando aliquid à priori, debet fieri resolutio in principia, quibus conclusionis nititur veritas; & quamquam hoc genus demonstrationis sit nobilissimum, & directè ad scientiam requisitum, quippe in quo à causis ad effectus, & ab essentia rei ad passiones demonstrandas proceditur; nihilominus mutuatur suam vltimam firmitatem ab altero: cùm enim in priori genere, serie quadam argumentorum ad prima vsque principia ventum est, quæ à priori ampliùs probari non possunt; si contingat ignarum aut proteruum quempiam ea negare; vbi tunc nullus ostendendi locus suppetit, recurrendum est ad istud genus deducens ad impossibile, iuxta regulas in Logica præscriptas. Hinc dixit Auerroës 2. Metaphysic. c. 1. sine primo omnium principio huius generis, neminem posse securè disputare & philosophari. Hoc posito, sit

Prima Conclusio.

Ens nō habet princi-pia rei. ENs in se, verè & propriè non habet principia rei. Conclusio est Doctoris Subtilis q. 3. prologi. §. *Ad primum argumentum primæ quæstionis*. Et probatur: Nam vel illa essent extrinseca, vt efficiens & finis, vel intrinseca vt sunt materia & forma; vel actus & potentia: Sed neutrum dici potest. Probatur; Quod competit Enti in se, conuenit cuilibet contento sub ipso: Sed non conuenit cuilibet Enti habere huiusmodi principia tum externa tum interna; quia hoc Deo non conuenit, vt patet: ergo neque competit Enti in se.

Obiectio 1. Obijcies 1. Essentia & existentia sunt principia Entis vt sic: Ergo Ens in se habet principia. Solutio. Respondeo illa non esse verè & propriè principia, vt satis norunt Philosophi; tum quia non se habent vt actus & potentia in constitutione Entis, sed potius, vt res & modus, vt dictum est; tùm quia sequeretur illa seorsim sumpta esse quid simplicius Ente: siquidem omne principium partiale intrinsecè constitutiuum est simplicius suo constituto; tùm quia sequeretur Deum etiam habere quædam principia quibus intrinsecè constitueretur, quæ omnia sunt absurda. Fateor aliquâ ratione dici posse principia Entis, quatenus nimirum videtur Ens ex ipsis quasi constitui, & quatenus si propriè costitueretur, non ex alijs principijs, quàm ex essentia & existentia constitueretur; quò fit vt communiter dicantur principia Entis. Quare essentia & existentia dicantur principia Entis.

Obiectio 2. Obijcies 2. Instantia allata de Deo nulla est; quia tradunt cōmuniter Theologi ipsum constitui ex essentia & relatione. Quid enim obstaret quò minùs essentia & relatio essent principia constitutiua eius? Solutio. Respondeo obstare illud, nimirum quia essentia & relatio non se habent vt actus & potentia: essentia Essētia & relatio propriè non sunt princi-

pia cō-stituti-ua Dei. siquidem non est in potentia ad relationem; sed est potius prima, fundamentalis, & radicalis entitas, emittens ex se relationem, & quasi dans illi esse. Præterea omne principium constitutiuum est prius & simplicius suo principiato. Deo autem nihil prius aut simplicius est.

Secunda Conclusio.

Ens habet principia cognitionis tam incomplexa quàm complexa.

Ens in se habet principia cognitionis & scientiæ, tam incomplexa quàm complexa, & seruientia saltem generi demonstrationis deducenti ad impossibile. Conclusio est Doctoris Subtilis loco citato. Et quidem de principijs incomplexis cognitionis patet: Sicut enim totum, pars, punctum, linea, vnitas, numerus & cætera, sunt principia incomplexa & prima veluti elementa, ex quibus fiunt propositiones Mathematicæ: ita etiam Ens, entitas, essentia, existentia, vnum, idem, distinctum, necessarium, contingens & similia, sunt principia incomplexa & prima veluti elementa, ex quibus fiunt propositiones in Metaphysica.

Principia cō-plexa inseruientia generi demō-strationis deducenti ad impossibile.

De principijs etiam complexis seruientibus saltem generi demonstrationis deducenti ad impossibile; probatur authoritate Aristotelis, 4. Metaphysic. capit. 3. qui postquam docuit Metaphysici esse quærere primas causas & prima principia; docet illud esse primum & firmissimum, scilicet; *IMPOSSIBILE EST IDEM SIMVL ESSE ET NON ESSE.* Principium autem istud inseruire generi demonstrationis deducenti ad impossibile patet ex regulis Logicæ. Ergo dantur principia Entis, tùm incomplexa, tùm complexa saltem seruientia generi demonstrationis deducenti ad impossibile.

Iam quæri potest, quid causæ sit, cur non dentur etiam principia complexa seruientia generi demonstrationis ostensiuo? Anthonius Andreas 4. Metaph. qu. 1. art. 3. sub finem, existimat dari posse: docet enim proprietates Entis demonstrari posse de ipso, non quidem per definitionem exprimentem quod quid est ipsius Entis, sed dicentem propter quid: quod fit propter ordinem passionum eiusdem Entis, quarum posterior probari potest per priorem, sicut vnum attributum in Diuinis probatur de Deo per aliud. Idem sentire videtur Lichetus qu. 3. Prologi, vbi docet ex ipsa ratione Entis sumi posse principia ad demōstrandas passiones de ipso; & fauere videtur etiam Doctor Subtilis eâdem qu. 3. Prologi, vbi habet: *Non oportet principia scibilis esse principia in se ipsius subiecti; quia Entis in quantum Ens, quod ponitur subiectum Metaphysicæ, nulla sunt principia Metaphysicæ, quia tunc essent cuiuslibet Entis; sed oportet cuiuslibet Entis esse principia per quæ demonstrentur eius passiones de eo, ex quibus principijs tanquam ex medijs demonstrationis formantur principia complexa, sicut propositiones per se nota. Hoc modo cuiuslibet subiecti possunt esse principia quantumcumque imprincipiati respectu suarum passionum.* Nihilominùs negari non potest, quin illud genus

Nõ ſunt principia cõplexa Entis inſeruientia generi demonſtrationis deducenti ad impoſſibile, niſi valdè imperfectè.

genus demonſtrationis ſit valdè imperfectum reſpectu paſſionum Entis demonſtrandarum de ipſo; nam vt habet Doctor Subtilis in in 1. diſt. 39. cùm Entis conceptus ſit ſimpliciter ſimplex, definiri non poterit; ideóque demonſtrari non poterit prima paſſio Entis per definitionem eius. Nec item per definitionem ipſius paſſionis; quia ipſa non eſt magis definibilis quàm Ens ipſum. Si autem paſſio aliqua ſit non prima, difficile erit adhuc demonſtrare ipſam de Ente; tùm quia difficile eſt cognoſcere ordinem earum adinuicem, vt ſic cognoſcatur per quamnam, tanquam per legitimum medium, poſſit illa non prima demonſtrari: tùm quia poſito quòd ille ordo cognoſceretur, eſſet adhuc valdè imperfecta demonſtratio; quia pręmiſſæ non eſſent multùm euidentiores concluſione. Dato enim v. g. quòd vnitas eſſet prima paſſio Entis, & bonitas ſecunda: arguendo ſic: Omne vnum eſt bonum: Ens eſt vnum: Ergo Ens eſt bonum. Patet quòd præmiſſæ non ſunt euidentiores concluſione; quod tamen eſſe debet in omni demonſtratione. Illud idem repetit in 2. diſt. 12. qu. 1. §. *Dico igitur quod materia.* Circa medium, vbi habet: *In Ente in communi, vnitas vel eſt idem quod ens, vel eſt paßio immediatè conſequens ens; & ideò non poteſt demonſtrari de Ente: Quia ſi demonſtraretur; aut hoc eſſet ex definitione ſubiecti, ſcilicet Entis, vel ex definitione vnius: Sed iſta ſunt tranſcendentia, & non habent definitionem; & ideò vnitas in communi, vel paßio immediata Entis quæ eſt, eſſe vnum, non poteſt demonſtrari de Ente: vel ſi eſſe vnum ſit paßio mediata; illud tamen per quod ineſt Enti, non eſt nobis notum.*

Ex his ſequitur de mente Doctoris Subtilis, nulla dari principia complexa inſeruientia generi demonſtrationis oſtenſiuo, ſaltem perfectè & propriè. Eapropter, ad ea quæ ſuperiùs allata ſunt ex ipſo, & ex Licheto, dicendum eſt, vel illa intelligi debere de principiis complexis inſeruientibus generi demonſtrationis deducti ad impoſſibile; vel etiam de principiis inſeruientibus generi demonſtrationis oſtenſiuo minùs perfecto; nam etiam poteſt aliqualiter deſcribi ipſum Ens, dicendo videlicet illud eſſe quod non eſt nihil; ſed quod exiſtit vel quod poteſt exiſtere: & ex hac deſcriptione poſſunt formari præmiſſæ concludentes, Ens eſſe vnum vel verum, vel bonum. Item poteſt haberi aliqualis cognitio ordinis earumdem proprietatum, & ex cognitione prioris, concludi poſteriorem; ſed hæ omnes demonſtrationes erunt valdè imperfectæ, quia præmiſſæ non erunt multum euidentiores concluſione.

Videamus iam quodnam ſit principium complexum omnium primum & firmiſſimum.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit principium complexum omnium primum & firmissimum?

Afferũtur varia principia complexa.



PRænot. 1. multa esse principia complexa, seu effata & pronunciata, quibus demonstrationum certitudo, & scientiarum veritas & firmitas nititur, vt sunt: *Impossibile est idem simul esse & non esse. Quodlibet est, vel non est. Quicquid est, quandiu est, necesse est esse. Quicquid habet esse, est verum, bonum, &c. Totũ est maius sua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt, erunt æqualia:* Et si quæ sint alia. Dubitatur iam quodnam sit horum omnium primum & firmissimum effatum, ex cuius euidentia, certitudine, firmitate, & in omnibus primitate cætera pendeant?

Metaphysicus debet cõsiderare prima principia.

Prænotandum 2. Eò rationabiliùs hanc à nobis excitari quæstionem: quia, vt docet Aristot. 4. Metaphysic. cap. 3. Solius Metaphysici est disputare de primis principiis: Tùm quia æquè latè patent ac Ens ipsum quod ille considerat, tùm quia scientia certissima debet considerare principia certissima: Metaphysica autem est certissima: Prima principia sunt etiam certissima: Ergo Metaphysica debet considerare prima principia; Tùm quia fiunt ex terminis communibus: termini autem communes sunt considerationis Metaphysicę. *Vnde*, inquit, *nemo eorum qui particulariter considerant, conatur aliquid de eis, siue quatenus vera, siue non, dicere.* Id est, nullus Philosophus particularis, putà Geometra, Mathematicus, vel Physicus nititur disserere de ipsis principiis; sed omnes quotquot sunt particulares scientiæ, illa præsupponunt, & applicant prout opus est propriis subiectis & materiis: v. g. Geometra applicat istud principium, *Quodlibet est, vel non est. Vel de quolibet affirmatio & negatio* propriæ materię, dicendo: *DIAMETER EST SYMETER, VEL ASYMETER.* Idem facit Logicus, dicendo omnem propositionem esse affimatiuam, vel negatiuam. Neque hæc particularia effata existimãtur certa, nisi quatenùs innituntur illi priori generalissimo & firmissimo: *IMPOSSIBILE EST IDEM ESSE SIMVL ET NON ESSE.*

Alię particulares scientię præsupponunt illa.

Prænotandum 3. Ex eodem Aristotele ibidem, tres requiri conditiones ad rationem primi & firmissimi principij. Prima est, vt circa ipsum non contingat errare, vel decipi. Quia non contingit error circa ea quæ sunt notissima: Primum principium autem debet esse notissimum. Ergo ad rationem principij primi & firmissimi requiritur, vt circa ipsum non contingat mentiri; hoc est errare, vel decipi: Secunda conditio est, vt non sit conditionale, idest, notum ex suppositione, vel conditione aliqua. Quia illud principium cuius notitiam necessarium est habeat intelligens quodlibet entium, non debet esse

Tres conditiones ad rationẽ primi & firmissimi principij.

notum ex suppositione; siquidem Philosophi disputant aliquando ex ijs, quæ sunt illis nota solùm ex suppositione, nec semper oportet ea quibus positis disputant, esse nota simpliciter. At non ita debet esse de primo principio: Nam ea quæ sunt tantùm nota ex suppositione, probari possunt per ea quæ sunt simpliciter nota. Primum principium autem probari non potest per aliud: Quo fit vt non ex conditione, sed simpliciter notum esse debeat. Hinc sequitur tertia conditio, vt scilicet primum principium acquiri non possit per demonstrationem, quia notitia eius non debet inniti notitiæ alterius: aut enim inniteretur notitiæ posteriorum, & hoc non: quia notitia prioris non innititur notitiæ posteriorum. Vel inniteretur notitiæ alterius prioris, & hoc adhuc non; quia omnium primo nihil est prius. Ex his patet quânam ratione dicantur prima principia naturaliter nota, eâ nimirum, quia per nullam artem syllogisticam probantur; sed statim cognitis terminis apprehendūtur naturalibus viribus intellectus, qui tamen quo ad hoc vtitur sensu, vel experientiâ, vel inductione. Notitia itaque actualis principiorum est iudicium seu actus iudicatiuus intellectus, quo iudicat hoc esse vel non esse illud, præuiâ simplici apprehensione terminorum, sibi notâ beneficio sensuum, adhibitis quandoque etiam experientiâ vel inductione.

Quomodo principia prima sint per se nota.

Præ notandum 4. quod cùm omne principium complexum sit semper aliqua propositio; potest duobus modis considerari, scilicet vel quatenus est principium, vel quatenus est propositio simpliciter. Et quidem diuersimodè philosophandum est de eius primitate quatenus principium est, & quatenus propositio est. Nam quâ principium, eius primitas petenda est ex conditionibus allatis; quâ propositio verò, aliunde eius primitas petenda est, nimirum ex eo quòd non sit modalis, sed simplex, non negans, sed affirmans, quòd termini eius sint simplices, & non resolubiles in alios, & ex alijs quibusdam conditionibus expressis in Logica: Quò fit vt eadem propositio possit esse simul prima & non prima; prima quâ propositio, non prima quâ principium, & vice versâ.

Discrimen inter principium primum & propositionem primam

Prænotandum vltimò in tota serie demonstrationum ostensiuarum, dari principium aliquod primum quod ampliùs probari non possit: quia in demonstrationibus non itur in infinitum. Istud tamen principium non debet vocari simpliciter primum, quia licet sit indemonstrabile ostensiuè; probari tamen vlteriùs potest in genere demonstrationis deducentis ad incommodum, vt diximus superiori quæstione. Quærimus itaque quodnam sit principium omnium primum & firmissimum, tùm in genere demonstrationis ostensiuo, tùm in genere demonstrationis deducentis ad impossibile, tùm in ratione principij, tùm in ratione propositionis simpliciter?

Prima Conclusio.

Quid sit propositio primò prima. Item secundò, tertiò, quartò & quintò prima.

Istud principium in ratione propositionis, videlicet, *Ens est ens* est omnium primum. Conclusio est nostri Anthonij Andreæ 4. Metaphysic. q. 5. & eius fundamentum est, quia omnis propositio affirmans est identidica, idest dicens & notans identitatem prædicati cum subiecto, siue sit identitas accidentalis, siue sit essentialis: propositiones autem identidicæ seruant ordinem inter se, itaut alia sit primò prima, alia secũdò prima, alia tertiò, quartò, & quintò prima. Primò prima est ea in qua idem omninò de seipso prædicatur, vt homo est homo. Secũdò prima, in qua pars formalis, vt differẽtia, prædicatur de toto, vt Homo est rationalis, &c. At in hac, *Ens est ens*, idẽ omninò prædicatur de seipso. Ergo ex eo habetur quòd sit primò prima. Vlteriùs, constat ex terminis simplicissimis & primis, & qui non sunt vllo modo in alios resolubiles: quia omnis resolutio omnium planè terminorum & conceptuum, fit vltimò in terminum & conceptum entis. Ergo non solùm est primò prima vt hæc; homo, est homo; animal est animal; sed vlteriùs est omnium primò prima. In ratione itaque propositionis, hoc principium; *Impossibile est idem simul esse & non esse*, non potest esse primum; tùm quia est propositio modalis, quâ simplex prior est, tùm quia in ea idem non prædicatur de seipso; tùm quia non constat terminis simplicissimis. Multi non capientes mentem huius authoris, eum grauiter reprehendunt, cùm tamen nihil aliud quàm id quod diximus intellexerit. Agendo enim quæstione 4. eiusdem libri de hac propositione: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, sumpta in ratione principij; docet esse omnium primum & firmissimum principium, in quod cætera omnia resolui debent.

Secunda Conclusio.

Istud principium: *Quidquid non est nihil, & actu existit, est Ens*; est omnium primum & firmissimum intra totam latitudinem demonstrationum generis ostensiuij Probatur: quia sicut in conceptibus, vltima resolutio fit in conceptum entis; ita in principijs, vltima resolutio fit in principium immediatè sumptum ex ipso Ente. Sed principium allatum est huiusmodi: cùm sit propositio in qua ratio Entis immediatè enuntiatur de Ente. Ergo principium illud est omnium primum & firmissimum intra totam latitudinem demonstrationum generis ostensiui.

Quod sit principium omniũ primum in genere demonstrandi ostensiuè.

Præterea, Illud principium est omnium primum & firmissimum in genere ostensiuo, cui innititur veritas demonstrationis omniũ primæ. Sed principium allatum est huiusmodi. Probatur: Demonstratio omniũ prima, ea est in qua prima proprietas Entis demonstratur de ipso; quia cùm nihil sit prius ente, nulla potest esse demonstratio prior eâ in qua quod illi primùm conuenit, de eo demonstratur. Sed huic principio innititur veritas demon-

strationis in qua prima proprietas Entis de ipso demonstratur. Sicut enim ad probandum risibilitatem de homine v. g. sumi debet pro principio ipsa ratio hominis. Ita ad probandum primã proprietatem de Ente, sumi debet pro principio ipsamet ratio Entis, quemadmodũ & vniuersim loquendo; ad demonstrandum aliquam proprietatem de aliquo subiecto, sumi debet pro principio ipsamet ratio subiecti. Ergo huic principio; *Quidquid non est nihil & actu existit, est Ens,* vt potè in quo ratio entis enuntiatur de eo, innititur veritas demonstrationis omnium primæ. Hæc tamen omnia sunt intelligenda de genere demonstrationis ostensiuo minùs perfecto, conformiter ijs quæ superiori quæstione docuimus.

Quia tamen proteruis & ignaris etiam satisfaciendum est; si contingat eos negare hoc principium & quodlibet aliud pertinens ad genus ostensium; recurrendum est ad quoddam aliud simpliciter primum & firmissimum, quod eos ducat ad incommodum. Dubitatur autem quodnam sit illud?

Tertia Conclusio.

Quod sit principium omniũ primũ in genere demonstrationum ducentium

PRincipium omninò primum & firmissimum, de quo dici potest, vt de columnis Herculis: *Non plus vltrà*, est istud; *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Ita censent cum Aristotele 4. Metaphysic. ca. 3. 4. & 5. Alensis & Scotus in suis commentarijs ad hæc Capita, & iterum Scotus 4. Metaphysic. q. 3. & Antonius Andreas. q. 4. & probatur applicando ei conditiones allatas præno tato 3. Primò enim principium illud est notissimum: Impossibile est enim aliquem existimare illud non esse verum, vt quidam dicunt Hera clitum existimasse, qui licet hoc verbis dixerit, mente tamen concipere non potuit; quia concipiendo aliquid idem simul esse & non esse, putà Sortem esse bonum & non esse bonum, est habere simul duas opiniones contrarias, quod esse impossibile ostendit Arist. 2. Peri Hermenias, sub finem. Præterea non est notum ex suppositione; quia in ipsum resoluuntur omnes demonstrationes, & ex ipso pendet omnium non tantùm conclusionum, sed etiam principiorum veritas. Tertiò demonstrari non potest, aliàs hoc fieret vel ostensiuè, vel ducendo ad incommodum. Non potest autem probari primò ostẽsiuè; quia omnis demonstratio ostensiua fit ex notioribus; nihil autem est notius primo principio. Non etiam deducendo ad incommodum; quia in nullum maius incommodum quis deduci potest, quàm vt fateatur vnũ & idem simul esse & non esse. Ergo principium illud est notissimum, non notum ex suppositione, & indemonstrabile, & per consequens omnium primum & firmissimum.

ad impossibile.

Varijs autem modis solet efferri; primùm affirmatiuè, per disiunctionẽ, sic; *Necesse est aliquid esse aut non esse*: præterea sine modo, sic: *Quodlibet est, vel non est*; iterum negatiuè: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*. Vel,

Varijs modis exprimitur primum principium.

fieri non potest vt idem simul sit, & non sit; vel sine modo, vt; *Nullum Ens est simul, & non est*; Item logicè, vt; *impossibile est idem simul affirmari & negari de eodem.* Vel sine modo, vt; *de quolibet affirmatio vel negatio*, &c.

Obiectio 1. Obijcies, 1. ergo ex dictis videtur quod deberet istud principium sic exprimi, scilicet; *quodlibet est vel non est*, cùm vt sic, paucioribus ac simplicioribus terminis constet, & tamen sit æquè verum, primum, & firmum atque istud; *Impossibile est idem simul esse & non esse*; Respondeo posse quidem, verùm istud videri magis firmum & primum quàm illud. Ex eo enim, quodlibet est vel non est; quia impossibile est idem simul esse & non esse. Nec enim mouere debet quod principium hoc pluribus & minùs simplicibus terminis constet; quantumuis enim hoc obstet primitati eius quatenus propositio est; non obstat tamen, imò iuuat quatenus principium. Eâdem viâ respondetur ad aliud quod solet obiici, nimirum principium istud esse propositionem negatiuam, quæ semper supponit affirmatiuam, tanquam priorem; quamuis enim affirmatiua propositio sit prior negatiua, in genere propositionum; non est tamen semper in genere principiorum. Addunt Scotus noster & Antonius Andreas, locis citatis, principium illud esse realiter & formaliter affirmatiuum; quàuis secundùm vocem sit negatiuum, sicut & ista propositio: *Non impossibile est hominem currere*, quæ æquiualet huic: *Possibile est hominem currere*, Nam hæc propositio; *Impossibile est idem simul esse non esse*, æquiualet isti: *Necesse est idem non simul esse & non esse*, quæ est affirmatiua de modo.

Solutio. Primitas principij desumenda ex paucitate terminorum.

Obiectio 2. Obiicit 2. subtiliter Doctor Subtilis: In Syllogismo ex oppositis, conclusio debet esse notior præmissis in falsitate: Sed in præmissis accipiuntur opposita contradictoriè; in conclusione autem negatur idem de seipso; Ergo negatio eiusdem de seipso est notior opposito illius primi principij, in quo dicuntur duo contradictoria non posse esse simul vera. V. g. in hoc Syllogismo: homo est animal: homo non est animal. Ergo animal nō est animal: conclusio est notior præmissis, in quibus habetur oppositum primi principij; & per consequens aliquid est notius in veritate, primo principio, scilicet oppositum illius falsi notioris. Respondet primò quantùm ad formam: ex huiusmodi falsis Syllogismis nihil ritè probari, sicut nec ex Syllogismis hypotheticis & circularibus. Respondeo secundò quantùm ad materiam, quòd hoc principium: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, est notius quàm negatio eiusdem de se ipso, quæ concluditur in Syllogismo ex oppositis. Vnde licet forsan aliquis negaret quòd idem sit ipsum; tamen nunquam concederet quòd idem sit ipsum & non ipsum; quapropter notius est in falsitate, quòd idem sit ipsum & non ipsum, quàm quòd idem nō sit ipsū. Solutio 1. Solutio 2.

Obiectio 3. Obijci potest 3. Principium allatum innititur huic propositioni: *Impossibile est duo contradictoria esse simul vera*: Ergo non

est omnium primum & firmissimum. Solutio Respondetur negando antecedens: ex eo enim duo contradictoria non possunt esse simul vera; quia impossibile est idem simul esse, & non esse.

Obseruabis autem quòd cùm dicitur impossibile esse idem simul esse & non esse, id esse intelligendum respectu vnius & eiusdem, & eodem modo considerati, & habità ratione conditionum, quæ desiderantur ad veram contradictionem, prout determinatur in difficultatibus Logicis.

Quis modus superfit probãdi primũ principium, si contingat Porrò ad hæc omnia addit Aristoteles principium illud esse ita notum, vt à nemine negari possit nisi ore tenus, non autem mente; & ita primum, vt omninò demonstrari non possit. Quòd si contingat quempiam illud negare; superest adhuc vnus modus, quo possit probari, scilicet elenchicè, non demonstratiuè, arguendo videlicet contra negantẽ illud ex cõcessis: vel enim aliquid dicet & respondebit, vel nihil: si nihil, cum eo disputandum non est: quemadmodum neque cum planta, aut cum bruto. Si aliquid responderit, per syllogismum elenchicum facile erit ipsum conuincere de veritate istius principij; quia nihil vnquam poterit concedere, ex quo non habeatur clarè veritas eius. ipsum à proterno negari. Vel, vt refert Scotus noster in 1. distinct. 39. ex Auicenna, 1. Metaphysic. erit verberandus, vel exponendus igni, quousque concedat quòd non est idem comburi, & non comburi, vel vapulare, & non vapulare.



CAPVT SECVNDVM,

QVOD EST DE PROPRIETATIBUS Entis in commum.

QVÆSTIO PRIMA.

An Ens habeat aliquas veras & proprias passiones?



Cum Metaphysica sit scientia, & eò vel maximè, quia in ea fiunt demõstrationes; demonstrationes autem præsertim potissimæ sint argumentationes in quibus proprietates demonstrantur de suis subiectis: Dubitari non potest, quin Ens habeat aliquas aliquo modo passiones; sed solùm dubitari potest an illæ passiones sint veræ & propriæ?

Variæ sententiæ referuntur circa passiones Entis.

Negat Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 3. sect. 1. Ens habere veras, & omninò reales passiones positiuas ex natura rei ab ipso distinctas. Pro qua sententia citat D. Thom. de veritate qu. 1. art. 1. & alibi, Soncinnatem 4. Metaphysic. qu. 1. Iauellum ibidem qu. 2. & Fonsec. ibidem cap. 2. qu. 3. Quanquam tum ibi, tum quæstione 5. sect. 2. asserat Ens habere veras ac proprias passiones quæ de ipso quatenus est Ens, demonstrari possunt; negetque solùm huiusmodi passiones esse positiuas. Sententia Doct. Subt. & nostræ Scholæ est, Ens habere veras & proprias passiones positiuas, ex natura rei distinctas ab ipso. Itaque pro decisione huius rei,

Prænotandum ad rationem veræ & propriæ passionis alicuius subiecti realis, requiri & sufficere, vt sit aliquid necessariò consequens tale subiectum, cum quo reciprocetur, & à quo ratione seu definitione distinguatur, vt dicitur in Logica cap. de Proprio. Hoc posito, sit

Vnica Conclusio.

Ens habet veras & propriás passiones distinctas ab ipso ex natura rei.

ENs habet veras & proprias passiones positiuas, distinctas ab ipso ex natura rei. Existimo imprimis hanc conclusionem esse Doct. Subt. in 2. dist. 16. qu. vnicâ, §. *Sed quia via hac*, vbi habet: *Alia sunt contenta in aliquo vnitiuè, quasi posteriora, quia quasi passiones continentis, nec sunt res aliæ ab ipso continente. Isto modo Ens continet multas passiones, quæ non sunt res aliæ ab ipso Ente, vt probat Aristot. in principio 4. Metaphysic. Distinguuntur tamen ab inuicem formaliter, & quidditatiuè, & etiam ab Ente: formalitate dico reali, & quidditatiua; aliter Metaphysica concludens tales passiones de Ente, & illas considerans, non esset scientia realis. Sicut ergo Ens continet vnitiuè rationem vnius, veri & boni, sic anima, &c.*

Vltra hanc authoritatem, nostra conclusio non tã probabitur à nobis positiuè, quàm soluendo rationes & inconuenientia, quæ circa illam solent obijci. Hoc enim posito, nullus est qui nostram doctrinam non amplectatur potiùs quàm contrariam, cùm magis faueat dignitati, certitudini, & modo procedendi scientifico huius summæ Philosophiæ, quàm opposita sententia. Sic itaque probatur:

Ratio potissima ob quam negantur Enti veræ proprietates, est quia nullum subiectum debet esse de intrinseca ratione seu de Essentia & definitione suæ proprietatis, ex Aristot. 7. Metaphys. cap. 5. textu 18. & primo Post. cap. 18. textu 35. Nulla autem potest assignari proprietas Entis, de cuius intrinseca ratione non sit Ens ipsum, aliàs esset nihil, vt patet: At ista ratio nulla est. Probatur. Ens non est de intrinseca & quidditatiua ratione suarum proprietatum; quia, vt diximus primo libro, nulla proprietas Entis est Ens quidditatiuè, sed tantùm qualitatiuè: quare non dicunt gradum ipsum Entis, sed tantùm rationes aliquas quæ circa ipsum sunt, quas nostri vocant vltimas extremitates Entis, & Alexander Alensis 1. p. qu. 13. membris 1. & 2. primas determinationes

nationes Entis. Vnde quemadmodum homo prædicatur quidditatiuè quidem de Petro & Ioanne, non autem de risibili; sic Ens prædicatur quidem de Deo & creatura; non autem de suis proprietatibus. Nec valet, si dicas non esse parem rationem Entis, & aliorum prędicatorum, ex eo quia propter sui communitatem, debet se extendere ad omnia, quæ non sunt nihil. Fateor enim omnia quæ non sunt nihil, contineri sub Ente, non tamen omnia contineri vt subiecta quidditatiua, seu de quibus dicatur quidditatiuè: Ergo ratio illa, quâ nimirum dicitur Ens includi quidditatiuè in suis proprietatibus, non vrget quò minùs dicamus proprietates eius esse veras, & legitimas proprietates. Confirmatur ista doctrina ex Aristot. 4. Metaphysic. cap. 2. Qui postquam docuit Ens & vnum quod ponitur inter proprietates Entis, dicere vnam naturam realiter, subdit distingui ratione seu definitione. Addit Alexander loco citato memb. 2. ad secundum, differre intentionem vnius & intentionem Entis; ità quòd ratio vnius non importetur nomine Entis: Ad quod non est quod respondeant Moderni ad summum hoc indicare distinctionem rationis inter istas intentiones; nam dicit Alexander, quod etiam à parte rei, nisi illud prohiberet ratio intelligendi, quâ non potest intelligi nisi verum: Intellectus intelligeret Ens non cointellecto vero, quemadmodum etiam intelligit Ens non cointellecto bono. Ex quo sequitur falsum esse quod dicunt Ens inquantum Ens, ex eo præcisè quòd tale est, absque alio modo reali ei superaddito, & ex natura rei distincto, habere quicquid positiuè necessarium est, vt sit vnum, verum, & bonum.

Mihi videtur apertè quoque falsum quod dicunt, per hæc attributa seu proprietates Entis, quamuis de formali nihil aliud dicant quàm negationes, vel habitudines quasdam, explicari tamen realem positiuam perfectionem Entis, non secundùm aliquid reale superadditum ipsi Enti; sed secundùm ipsammet formalem seu essentialem rationem Entis. Vel enim hoc posito, sequitur formalem & essentialem rationem Entis non esse amplius simpliciter simplicem, sed constitutam ex multis rationibus, quarum alia sit absoluta, alia respectiua, alia positiua, & alia negatiua; cuius contrarium colligitur ex Aristot. 9. Metaph. cap. 10. Vel falsum est rationes istas vnius, veri & boni, non addere ipsi Enti aliquid reale ab eo formaliter, seu conceptibiliter distinctum. Si enim rationes vnius, veri, & boni sint de ratione formali & essentiali Entis, iam illa non erit simpliciter simplex, vt patet. Si autem sint tantùm de realitate eius, & addantur ipsi ad explicandam eius naturam, vel quoad perfectionem, vel quoad integritatem, aut quid simile: inde non sequitur illas non addere rationi formali Entis aliquid reale formaliter, vel conceptibiliter saltem ab eo distinctum; proprietates enim aliarum rerum, putà hominis, vel equi conducunt etiam ad expli-

candas naturas earum rerum, quarum sunt proprietates, saltem quo ad earum perfectionem: nec minùs tamen propterea addunt ipsis naturis aliquid reale, distinctum saltem conceptibiliter ab eis. Quare vt hoc propositum concludamus, cùm illa quæ dicuntur proprietates Entis, necessariò consequantur ipsum, & cum eo reciprocentur, vt ex dicendis patebit; cúmque ab eo formaliter, seu conceptibiliter distinguantur: Nihil vetat quò minùs dicamus illas esse proprias, veras & legitimas proprietates Entis.

His omnibus addi potest authoritas Aristot. 4. Metaphysic. cap. 2. Vbi habet quòd quemadmodum numeri prout numerus est, propriæ passiones sunt, vt imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excessus, defectus; & hæc tùm absolutis, tùm mutuò relatis insunt numeris. Similiter solido, & immobili, & mobili, & leui, & graui aliqua propria sunt: Ita & Enti prout Ens est, aliqua propria sunt: & hæc sunt de quibus veritatem considerare Philosophi est. Certè vltrà authoritatem omnium antiquorum, Alensis & Scoti in hunc locum, asserentium Entis, prout Ens est, esse veras passiones: Comparatio illa quâ vtitur Aristoteles, comparando numerum cum Ente; vt quemadmodum illius, sic huius asserat proprias esse passiones, satis indicat non adeò verum & certum esse quod dicunt Moderni Ens non habere passiones, sed solùm intellectum nostrum in eo concipere aliqua ad modum passionum.

Obiectio. Obijcies. Vnum nihil aliud significat quàm Ens: Ergo falsum est illa duo ratione formali distingui.

Solutio. Respondeo Ens & vnum duobus modis posse spectari, scilicet vel in abstracto, vel in concreto. In concreto quidem vnum significat Ens; sed materialiter tantùm, non formaliter. Quemadmodum enim risibile, v. g. in concreto significat pro materiali id quod ridere potest, quod est homo ipse: ita vnum in concreto significat pro materiali, id quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, quod est ens ipsum, vt est vnum: In abstracto autem propriis rationibus differunt, vt dictum est: Nam ens vel ratio Entis significat tantùm gradum essendi: Ratio autem vnitatis significat aliquid afficiens ipsum gradum seu rationem essendi, & determinans illam ad hoc, vt sit non modò simplex ratio essendi, sed ratio essendi taliter, scilicet indiuisibiliter à se, & diuisibiliter à quolibet alio.

QVÆSTIO II.

Quot sint proprietates Entis, & quem ordinem inter se seruent?



PRÆNOTANDVM 1. sex esse transcendentia, nimirum Ens, res, aliquid, vnum, verum, & bonum, quę nostri hoc vocabulo artificioso. REV-

B A V comprehendunt, quorum tria priora sunt synonima, & nullum eorum est proprietas alterius, nec potest vnum prędicari de altero nisi prędicatione identicâ & nugatoriâ. Tria autem posteriora censentur proprietates Entis.

Passionũ Entis aliæ simplices, aliæ disiunctæ.

Pręnotandum 2. Ex Scoto in Commentariis ad secundum cap. libri 4. Metaphysic. passiones Entis alias esse simplices seu incomplexas, & alias complexas seu disiunctas. Simplices sunt quæ simplicibus terminis efferuntur, vt sunt vnum, verum, & bonum; complexæ seu disiunctæ sunt quæ sub disiunctione conueniunt Enti; quemadmodum par vel impar conueniunt numero, & tales sunt vnum vel multa, actu vel potentiâ, idem vel distinctum, necessarium vel contingens, & similes.

Prima Conclusio.

Tres sunt tãtũ proprietates Entis simplices.

TRes tantùm sunt proprietates Entis incõplexæ & simplices, scilicet vnum, verum & bonum, non plures, nec pauciores. Et quidem primò quòd illa tria sint passiones Entis, ita suadetur. Consequuntur Ens necessariò, cùm eo reciprocantur, ab ipso & inter se rationibus formalibus differunt. Quia omne ens in se, & ad se spectatum, est integrum & indiuisum: Ergo vnum. Item: Omne Ens habet aliquid in se, cuius ratione potest dici conforme vel suis principiis, vel intellectui: vnde habet quod verum dicatur. Habet item aliquid quod potest fundare respectum ad voluntatem, vel ad aliud, cui est conueniens; & inde habet quod sit bonum: Ergo omne ens est vnum, verum, & bonum. Similiter omne vnum est ens, & omne verum, & omne bonum. (Nota probationes istas peti ex communi doctrina: inferiùs enim determinabimus expressiùs in quibus consistant rationes harum proprietatum.) Rationes insuper illę vnius, veri & boni ab ente, & inter se differunt, vt iam patuit & ampliùs patebit: Ergo nihil videtur eis deesse, quò minùs sint verę proprietates entis.

Nõ sunt plures, nec pauciores passiones simplices tribus.

Quòd autem non sint pauciores, probatur primò authoritate omnium ferè Philosophorum. Pręsertim Alensis 1. part. qu. 13. membro 2. & Scoti passim, qui numquam pauciores assignarunt. Iterum ratione: Nulla est ex dictis proprietatibus quæ non consequatur ens, & quæ cum eo non conuertatur, & quæ non addat ad ipsum, rationem aliquam obiectiuam & conceptibilem. Ergo si quam illarum abstuleris, non omnes assignaueris.

Quòd item non sint plures, vltra Philosophorum authoritates; ex eo probatur, quia nulla potest assignari quæ ad aliquam trium illarum reuocari non possit. Quidam enim assignant intelligibile & appetibile; sed illa ad verum & ad bonum reuocantur. Alij assignant pulchrum & perfectum; sed vel ista reuocantur ad bonum; vel non sunt reciproca cum Ente; sed vltra rationem boni, aliquid dicunt quod omni Enti competere non potest, vt patet de pulchro.

Porrò noster Alensis loco iam citato, colligit numerum istarum

proprietatum quibusdam rationibus, quæ licet à doctrina Doctoris Subtilis aliquantisper dissentiant; non erit ingratum tamen eas subijcere.

Præclara doctrina nostri Magni Alexādri Alēsis.

Dicendum, inquit, *quod Ens est primum intelligibile. Prima autem entis determinationes sunt vnum & verum & bonum: determinant enim Ens secundùm quod consideratur esse rerum in proprio genere; & etiam secundùm relationem esse earum ad diuinam causam; & secundum relationem rerum ad animam quæ est imago diuinæ essentiæ. Secundum autem quòd esse rerum consideratur in proprio genere, triplicatur Entis determinatio. Aut enim consideratur absolutè & vt diuisum ab alijs, & in se indiuisum, & sic determinatur per vnum. Secundum verò quòd consideratur aliquod Ens comparatum ad aliud secundum distinctionem, determinatur per verum: Verum enim est quo res habet discerni. Secundum verò quod consideratur comparatum ad aliud secundum conuenientiam, siue ordinem; determinatur per bonum: bonum enim est ex quo res habet ordinari. Item secundum quod esse rerum comparatur in relatione ad causam diuinam; simili modo triplicatur determinatio. Causa enim diuina est causa in triplici genere causæ, scilicet efficientis, formalis, vt exemplaris, & finalis, quæquidem causalitas cum sit communis Trinitati, appropriatur vt causa efficiens Patri, exemplaris Filio, finalis Spiritui Sancto. Esse creaturæ vt habet conformitatem ad causam efficientem, est vnum quia prima causa efficiens est vna. Item, vt habet conformitatem ad causam formalem exemplarem est verum; vt sicut causa exemplaris est ars prima veritatis; sic creatura secundum quod sibi possibile est, fit in imitatione artis: & hoc est habere veritatem. Iterum quantum habet conformitatem ad causam finalem est bonum; vt sicut causa finalis est summa bonitas; sic in qualibet creatura fit inclinatio & conformitas ad summam bonitatem; & hæc est creatura bonitas. Vnitas ergo esse creaturæ monstrat vnitatem efficientis: veritas veritatem exemplaris; bonitas bonitatem finis.* (Hac secundâ ratione non colligitur numerus passionum Entis in se, sed tantùm entis creati, vt patet:) *Item per comparationem ad animam, triplicatur eadem determinatio: Nam esse rerum simpliciter comparatur ad animam, videlicet vt res ordinentur in memoria, percipiantur intelligentiâ, diligantur voluntate. Est igitur in Ente quolibet, vnitas per quam ordinetur in memoria & seruetur: Memoria enim ea quæ retient secundum aliquam coordinationem relationis ad vnum, & discretionem, componit. Item in quolibet est veritas per quam percipiatur ab intelligentia. Et tandem bonitas, per quam diligatur & approbetur à voluntate.* Hæc Alensis.

Obiectio. Obijci potest aduersus id quod dictum est vnū esse passionē entis. Aristotel. 4. Metaphysic. c. 2. dicit easdem esse passiones entis & vnius: ex quo colligi potest vnum non esse passionem entis; quia subiecti & passionis non sunt eædem proprietates. Solutio. Respondet Scotus noster in suis commentarijs ad illum locum, quòd licet vnum sit verè passio entis: tamen Philosophus hîc dicit easdem esse passiones entis & vnius; ex Quomodo sint eędem

proprietates Entis & vnius.

co nimirum, quia vnum est prima passio, & immediatiùs adhęrens ipsi enti, quâ mediante insunt omnes aliæ passiones: & ideò habent quodammodò rationem subiecti respectu omnium aliarum, vt sic dicantur æqualiter esse eædem passiones vtriusque.

Quod spectat ad ordinem quem passiones illæ inter se seruant, sit hæc.

Secunda Conclusio.

Facile non est assignare ordinē passionum Entis.

FAcile non est videre ordinem huiusmodi passionum Entis; tamen ab omnibus Philosophis hoc ordine semper enumerantur, vnum, verum, bonum. Prior pars est Doctoris Subtilis, qui vbicumque loquitur de huiusmodi passionibus, præsertim in 1. dist 39. §. *Quantum ad primum dico*. Scribit esse valdè difficile hunc ordinem assignare. Posterior pars quâ dicitur vnum debere primo loco poni, secundo verum, & tertio bonum, est Alensis loco superiùs citato, in fine membri secundi; & Anthonij Andreæ 1. Metaphysic. q. 1. qui hæc habet: *Respondeo saluo meliori indicio, quidquid sit de alijs passionibus, quia nimis prolixum & difficile esset videre hoc de omnibus passionibus Entis: videtur quòd vnum sit simpliciter prima passio Entis; tum quia de ea specialiter probat Aristoteles, quod significat eandem naturam cum ente 4. Metaphysic. cap. 2. & ibidem dicit quòd eadem sunt partes entis & vnius; tum quia 11. Metaphysic. cap. 3. dicit quòd nihil differt omnia entia reducere ad Ens & ad vnum; cùm idem significent conuertibiliter. Post vnum, videtur esse secunda verum, & tertia autem bonum. Nam ratio veritatis videtur esse prior ex natura rei ratione bonitatis, sicut intellectus naturaliter est prior voluntate.*

Tertia Conclusio.

PAssiones Entis complexę seu disiunctę, vt eas vocat Scotus noster loco citato, sunt, esse actu vel potentiâ: esse idem vel diuersum: esse necessarium vel contingens: esse caducum vel æternum: esse finitum vel infinitum, esse mobile vel immobile; esse causam vel effectum: esse vnum vel multiplex: esse verum vel falsum; esse bonum vel malum. Vbi notabis hîc, vnū, verum & bonum non sumi generalissimè & transcendentaliter, quomodo sunt passiones entis reciprocæ, sed sub quadam peculiari ratione vnitatis, veritatis & bonitatis, vt notauit Anthonius Andreas 4. Metaphysic. q. 3. §. *quantùm ad tertium principale*, statim initio. Cæterum non de ijs omnibus, sed de tribus dumtaxat complexis proprietatibus, nempe de necessario & contingenti, eodem & distincto, actu & potentia disputabimus. Reliquæ enim proprietates vel nullam continent difficultatem; vel si quam continent, ex illarum trium explicatione, patebit.

Proprietates Entis disiunctę seu cōplexę.



CAPVT TERTIVM.

QVOD EST DE PROPRIETATIBVS ENTIS SPECIATIM.



Voniam de ſex proprietatib⁹ entis, tribus incõplexis videlicet vno, vero & bono; & tribus cõplexis ſeu disiunctis, nimirum eodem vel diſtincto, neceſſario vel contingenti, & actu vel potentia ſigillatim toto hoc Capite ſumus acturi: iuxta earum numerum, tot erunt eiuſdem Capitis partes.

PRIMA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE VNO.

QVÆSTIO I.

Quid vnum addat ſupra Ens, & in quo conſiſtat eius ratio?



Via Ens eſt Ens &non entia; ideò eſt vnũ. Si enim non eſſet vnum, patet quòd non eſſet Ens, ſed entia. Ideò explicatâ, priori libro, naturâ entis; proximum eſt vt ad naturam vnius indagandam accedamus, eò vel maximè quia ſe mutuò conſequuntur, & quia vnum pertractari non debet,nec poteſt abſque alio, vt ſæpè docet Philoſophus in his Metaphyſicis. Quæritur itaque primò quid vnum addat ſupra Ens? Dicunt aliqui nihil poſitiuum addere nec rationis, nec reale, neque ex natura rei, neque ſolâ ratione ab ente diſtinctum: ſed ſolùm negationem aliquam per modum priuationis. Ita recentiores ferè omnes, Suarez tomo 1. Metaphyſic. diſput. 4. ſect. 1. Fonſeca libro 4. Metaphyſic. cap. 2. quæſt. 5. à ſe- Variæ ſententiæ referuntur.

ctione tertia vsque ad septimam: & pro hac sententia citant magnam turbam Doctorum, quorum multi sine dubio ita sentiunt, præsertim Diuus Thomas, qui vltra id quod habet 4. Metaphysic. lectione 2. vbi eum citat Suarez: iterum 1. parte, q. 30. art. 3. expressè dicit vnum non addere aliquid supra Ens, nisi negationem diuisionis tantùm. An autem legitimè pro hac sententia citetur Aristoteles, videbitur inferiùs. Guillelmus Ocham inter ceteros, in 1. distinctione 24. quæst. 1. acutè, suo more, explicat hanc opinionem. Præmissa enim multiplici diuisione & acceptione vnius dicit. *Quòd hoc nomen vnum vel vnitas, prout est prædicabile de aliqua re simplici, per carentiam quarumcumque partium realiter distinctarum* (quale est illud vnum de quo hîc agimus) *non importat aliquid reale additum illi, nec absolutum nec respectiuum. Quòd non absolutum patet, quia*: inquit, *illud vel esset substantia vel qualitas; quia omne absolutum simpliciter per carentiam quarumcumque partium est substantia vel accidens: sed illud absolutũ non potest esse substantia, manifestum est; nec potest esse qualitas. Tum quia per potentiam diuinam talis substantia posset separari à tali qualitate, ipsa substantia remanente, & per consequens, remanente vnâ sine tali qualitate. Tum quia qualitas est vna sine aliqua tali qualitate absoluta addita: ergo multò magis ipsa substantia, secundùm modum arguendi Commentatoris 4. Metaphysic. Nec illud additum poterit esse respectus realis additus, quia ille non posset esse sine termino: Sed illa substantia potest esse vna sine omni*

Explicat oppositam sententiam Guillelmus Ocham meliùs quàm vllus alius.

alio termino; ergo. Dico ergo, inquit, *quòd res talis est vna sine omni alia re, siue absoluta siue respectiua addita. Veruntamen hæc non est prædicatio per se, primo modo: res est vna; sed tantùm secundo modo, si sit per se; & hoc, quia hoc prædicabile significat illam rem & quamlibet aliam de qua prædicatur, connotando aliquid aliud ab ista; ita quòd in definitione exprimente quid nominis, ponitur Ens, & aliquid negatiuum, vt dicatur quòd est Ens, & non entia. Et si isto modo alij intelligant, quando dicunt quòd vnum non addit vltra id quòd est vnum, nisi negationem vel priuationem diuisionis vel multiplicitatis, concedo cum eis. Si tamen intelligatur illa additio alibi fieri, nisi in definitione exprimente quid nominis, non videtur mihi quòd bene dicunt; quia dico quòd talis res est vna, nullo imaginabili addito sibi. Si dicatur quòd negatio competit sibi: Ergo aliquid additur sibi, saltem negatio. Respondeo quòd aliquid conuenire alicui est dupliciter, vel per realem inexistentiam, vel conuenientiam, vel per prædicationem. Primo modo nihil aliud importatum per vnum conuenit isti rei. Secundo modo tale negatiuum potest competere sibi, non per hoc quod aliquid sibi competat à parte rei, imò per hoc quòd aliquid sibi non competit à parte rei: Sicut aliquis dicitur cæcus, non propter hoc quòd aliqua cæcitas sibi competat à parte rei, sed per hoc quòd sibi non competit visus à parte rei, qui tamen sibi potest competere. Sic Sortes dicitur non albus, non quod aliquid imaginabile à parte rei sibi conueniat, sed quia sibi non conuenit albedo. Et ita vniuersaliter talia prædicata negatiua competunt illis de quibus*

prædicantur, non quod aliquid imaginabile à parte rei illis conueniat, sed quia aliqua sibi non competunt: Et idcirco dicit Philosophus: Ab eo quod res est, vel non est; est oratio vera vel falsa. *Et ita est in proposito quod à dicitur vnum, non quia aliquid sibi à parte rei conueniat, sed quia à est, à & Ens, & non est b. nec c. nec aliud Ens ab a. nec alia essentia.*

Alij docent vnum addere suprà Ens aliquid positiuum. Ita Scotus noster in 2. distinctione 3. qu. 2. §. *Concedo igitur*, & 4. Metaphysic. quæst. 2. & ibidem Anthonius Andreas q. 3. Item magnus Pater Doctorum Alexander Alensis 1. part. quæst. 13. memb. 1. & 2. noster Ricardus Scoti Præceptor in 2. distinct. 24. art. 1. qu. 2. D. Bonauentura eâdem dist. art. 1. qu. 1. quibus subscribit ex recentioribus Gabriel Vasquez 1. p. Tom. 1. disput. 128. cap. 2. Quonam modo verò illud positiuum distinguatur ab Ente, nimirum an formaliter & ex natura rei; an verò sola ratione, vnusquisque eorum determinat conformiter suis principiis de Identitatibus & distinctionibus rerum.

Prima Conclusio.

Vnum addit suprà Ens, aliquid formaliter distinctũ ab ipso.

VNum addit aliquid supra ens distinctum formaliter, non tamen realiter ab ipso. Conclusio patet ex dictis præcedenti quæstione, & eam adhuc probat Anthonius Andreas 4. Metaphysic. qu. 4. Conclusione 2. Tùm quia, inquit, si Ens & vnum dicerent vnam naturam quidditatiuè & formaliter; esset nugatio si quis diceret; Ens est vnum. Tùm quia prędicarentur de se mutuo in abstracto, essetque vera hæc prædicatio: Entitas est vnitas, quæ tamen duo falsa sunt. Quod autem illud quod addit vnum, non sit distinctum realiter ab ente, ostendit Aristot. 4. Metaphysic. cap. 2. Tùm quia non separantur quantùm ad generationem & corruptionem; tùm quia sunt idem realiter in tertio, de quo prædicantur per se, non per accidens. Ergo inter se sunt idem realiter. Patet quantùm recedant à mente Aristotelis, qui colligunt ex his, quæ habet hîc, ens & vnum non distingui formaliter, imò nec ratione. Ita enim loquitur: *Si itaque Ens & vnum idem, ac vna natura sunt, propterea quod seinuicem sequuntur, quemadmodum Principium & causa, non quod vnâ ratione significantur, nihil quidem refert si etiam similiter putabimus, quinimò magis proderit. Idem enim vnus homo, & Ens homo ac homo: & non significat diuersum aliquid secundùm dictionem repetitum, id est homo, & homo, & vnus homo. Patet autem quòd non separatur Ens, nec in generatione, nec in corruptione. Similiter & de vno: Quare manifestum est quod additio in his idem significat, & quòd vnum nihil aliud est præter Ens. Item cuiusque substantia vnum est, non secundùm accidens: Similiter & ipsum Ens quoduis. Quare quot vnius species, totidem & Entis sunt.* His enim verbis docet ens & vnum significare vnam naturam, tùm quia se mutuò sequuntur, tùm quia simul generantur & corrumpuntur; tùm quia idem sunt

ſunt in ſubiecto, in quo reperiuntur; cum hoc tamen docet differre ratione (Patet autem quid ſit ratione differre apud Ariſtotelem) & non eſſe ſynonyma, ex quibus omnibus non maiorem identitatem inter ens & vnum, quàm realem licet inferre, vt patet: quia quæ ſe mutuò conſequuntur, quæ ſimul generantur, & quæ ſunt idem in aliquo ſubiecto, poſſunt habere diuerſas formalitates, ſeu diuerſas rationes conceptibiles. Confirmatur ex Doctore Subtili in ſuis Commentariis ad eum locum Ariſtotelis, vbi habet: *Notandum quòd dupliciter dicunt aliqua eandem naturam; vno modo quia habent identitatem realem, & diſtinctionem rationum realium ex natura rei: Alio modo, quia ſunt idem ſecundùm rem, & ſecundùm rationem realem. Exemplum primi vt cauſa & principium: Nam eadem res eſt cauſa & principium; ſed ſecundùm aliam, & aliam rationem realem Nam principium dicitur ratione primitatis.* Idem enim dico primum & principium 1. Poſt. *Sed dicitur cauſa ratione dandi eſſe; quia cauſa eſt ad cuius eſſe, ſequitur aliud. Et iſtæ rationes non ſunt eædem ex natura rei: & vna eſt prior aliâ, ſicut patet. Exemplum ſecundi, vt tunica & veſtis, & quæcumque ſynonyma. Primo modo ſunt idem Ens & vnum, & non ſecundo modo.*

Obiectio 1. Obijcies 1. Ens ſecundùm ſuam naturam & quidditatem ſpectatum, eſt vnum: Ergo vnitas entis non eſt quid additum ſupra naturam entis. Conſequentia patet. Antecedens probatur: Omnis quidditas eo ipſo quia eſt quidditas, eſt veluti numerus, cui nihil addi, vel detrahi poteſt, quin mutetur. Ergo vt ſic eſt per ſe ſibiipſi conſtans & integra, & in ſe indiuiſa: Ergo vna. Solutio. Reſpondeo ita eſſe. Nihilominùs aliâ ratione eſt quidditas, & aliâ ratione eſt ſecum perfecta, ſibi eadem, & in ſe indiuiſa: Nam quatenùs quidditas ſimpliciter, nec eſt ſibiipſi eadem, nec diuerſa; ſed abſtrahit ab his rationibus. Similiter conceptus entis, vt ſic, dicit tantùm rationem eſſendi abſtrahentem ab eo quòd illa ſit vna, vel non vna: Nam, vt dictum eſt, quatenùs eſt ſimpliciter ratio entis, non eſt ratio entis vt vnius; aliàs non poſſet concipi ens, quin conciperetur vt vnum; quod tamen falſum eſt.

Difficultas. Vrgebis: Ipſum vnum ſeipſo eſt vnum, nullo ſibi addito. Ergo etiam ens ſeipſo erit vnum, nullo ſibi addito. Soluitur. Reſpondeo negando conſequentiam; quia non eſt par ratio entis & vnius: Ens enim eſt id quod eſt vnum: Vnum autem eſt id quo Ens eſt vnum; ideoque quantumuis vnum eſſet ſeipſo vnum, id tamen dici non poſſet de Ente, quod non poteſt eſſe vnum niſi per vnitatem, tanquam quaſi per formam aliquam, quâ denominatur vnum. Addc quòd, ad antecedens dici poteſt ipſum vnum propriè non eſſe vnum, ſeu, vt correctiùs loquar, vnitatem non eſſe vnam. Quandocumque enim aliqua ſunt rationes quibus alia denominantur talia, vel talia; rationes illæ non denominantur tales, ne talis denominationis eſſet aſſignanda vlterior

Vnitas propriè non eſt vna, ſed potiùs id quo aliud eſt vnum.

ratio, & ne sic daretur processus in infinitum: v. g. quia albedo est ratio, quâ aliud est album, ipsa non est alba, quia oporteret eam esse talem per aliam albedinem, & sic in infinitum procederetur.

Obiectio 2. Obijcies 2. Ad hominem: In conclusione dicitur vnum addere aliquid supra Ens. Ergo addit ens supra ens, quia idem sonant ens & aliquid: Hoc autem est absurdum; quia Enti in tota sua amplitudine sumpto nullum Ens restat addendum: Ergo falsum est vnum addere aliquid supra ens.

Solutio. Respondeo negando consequentiam; quia hic, aliquid latiùs patet quàm ens. Sumimus enim ens pro ipsa ratione essendi duntaxat: Sumimus autem aliquid pro eo omni quod quouis modo spectat ad ipsam rationem essendi, cuiusmodi sunt proprietates eius, quæ non sunt tam entia, quàm modificationes seu determinationes entis, vt eas vocat noster Alensis: quæque licet non sint entia formaliter; non sunt tamen nihil, quia sunt entia realiter & identicè. Vel si velis vtrumque, nimirùm ens & aliquid æquè latè patere; dicam vnum addere ens supra ens, id est, ens qualitatiuum ad ens quidditatiuum, quia vnum non est ens quidditatiuè, sed tantùm qualitatiuè, vt dictum est.

Explicatur illud aliquid quod vnum addit supra Ens.

Secunda Conclusio.

Illud quod vnum addit supra

Illud quod vnum addit supra ens, non est formaliter quid negatiuum; sed est quid positiuum. Conclusio est expressa Doctoris Subtilis in 2. distinct. 3. qu. 2. §. *Concedo igitur*. Vbi dicit quòd illa duplex negatio, nimirum priuatio diuisionis in se, & priuatio identitatis ad aliud, in qua multi statuunt rationem vnitatis, habet causam aliquam positiuam, per quam insit rei, cuius est. Et quia præcipuè citatur Aristoteles ab aduersariis contra conclusionem istam; imprimis probandum est eam esse expressam apud ipsum 10. Metaphysic. cap. 3. vbi sic habet: *Opponuntur autem vnum & multa multis modis; quorum vno, vnum & multitudo vt indiuisibile & diuisibile: quod enim aut diuisum aut diuisibile est, multitudo quædam dicitur; quod verò indiuisibile, aut non diuisum, vnum. Cùm autem oppositiones quatuor sint modis, horum alius secundum priuationem dicatur, contraria erunt profectò, & neque vt contradictio, neque vt ea quæ ad aliquid dicuntur.* Quibus verbis referens Philosophus quatuor oppositorum species, & concludens vnitatem & multitudinem opponi contrariè; certè satis insinuat vnitatē esse quid positiuum; quia extrema oppositionis contrariæ positiua sunt. Quod si quis dicat Aristotelem velle vnum & multa opponi priuatiuè: Esto, tamen non negauit, imò asseuerauit opponi etiam contrariè. Denique dici potest his verbis: *Horum alius secundum priuationem dicitur*, non affirmasse Aristotelem vnum, & multa opponi priuatiuè, sed enumerasse vnum genus oppositionis ex quatuor quæ dixit esse, & illud reliquisse tanquam minimè conueniens vnitati & multitudini: Deinde, antequam enumeret re-

Ens, est positiuum.

liqua, affirmauit opponi contrariò, his verbis; *Contraria erunt profectò*. Tandem recenset alia duo genera, & apertè fatetur vnitati & multitudini ea non conuenire. Hæc autem expositio colligitur ex his sequentibus verbis: *Dicitur autem ex contrario ipsum vnum, & significatur ex diuisibili indiuisibile, eo quòd magis multitudo, & indiuisibile sensibile est*. Quasi dicat, ideo vnum significari negatione oppositi cùm dicitur indiuisibile, etiam si opponatur illi contrariè: quia multitudo magis sensibilis & nota est; & quia, vt ait paulò inferiùs, simplicia & prima, qualis est vnitas, meliùs negatione significamus, cùm tamen eorum ratio sit positiua. Quòd si ex sententia eius, vnũ & multa priuatiuè opponerentur, frustrà illi obiectioni occurisset, vt optimè notarunt nostri Alexander & Scotus ad hunc locum. Si enim vnitas formaliter in negatione consistit, aut in priuatione; quid mirum si nomine negatiuo significetur? Sed audiamus ita pręclarè philosophantem Alexandrum:

Optimè hîc Philosophatur Alexander. *Quæreret aliquis*, inquit, *Vtrùm ratio vnius consistat in priuatione, an ratio multitudinis? Circa hanc quæstionem duo sunt declaranda. Primum, quòd esse vniuscuiusque rei in vnitate consistit: Secundum, quòd licet vnum sonet priuationem, tamen secundùm veritatem magis habet rationem prioris quàm multitudo. Primum patet: Nam essentia cuiuslibet rei vel simplex est, vel composita; si simplex est, statim apparet quòd suum esse in vnitate est, quia simplicitas est quadam vnitas: Si composita est, tunc esse eius est ex vnione principiorum: quando enim principia sunt diuisa, res non habet esse: sic ergo & esse rei simplicis, & esse rei compositæ in vnitate est. Hinc patet secundum: Ex hoc enim est esse cuiusque rei, quia est vnum esse: & non esse eius est ex hoc quòd principia eius diuisa sunt, & non vnita: Ideò manifestum est quòd vnum respicit esse rei; & etiam indiuisibile ipsum esse respicit: diuisibile autem respicit non esse rei. Ex quo sequitur quòd indiuisibile dicat positionem secundùm rem: diuisibile autem priuationem. Sed tamen quia vnum est ignotius nobis quàm multitudo, & indiuisibile quàm diuisibile; ideò ipsum nominamus per negationem & priuationem. Sic videmus quòd incorporeum magis dicit rem positiuam, quàm corporeum; sed tamen quia corporalia sunt nobis magis nota quàm incorporalia; ideo nominamus ista per nomen positiuum; illa autem per negationem*.

Eandem ferè tradit doctrinam 1. p. q. 13. memb. 1. ad primum arg. & Seraphicus Doctor in 1. disp. 24. art. 1. q. 1. vbi dicit quòd de vno loqui possumus, vel quantùm ad rationem intelligendi, vel quantùm ad rem intellectam. Si quantùm ad rationem intelligendi; priuatiuè, inquit, dicitur, & ratio eius præassignatur per priuationẽ diuisionis siue multitudinis, & hoc est, quia vnum est primum, & prima non habent intelligi à nobis, & notificari nisi per posteriora. Si autem loquamur quantùm ad rem intellectam; sic vnum habet respectum ad materiam & ad formam. Ratione respectus ad materiam, est in se indiuisum, tamen potentiâ diuisibile: & quia per

tentia materialis se habet per modum priuationis, similiter & vnum. Ratione respectus ad formam quæ dat esse distinctum & limitatum, sic dicit positionem. His verbis apertè docet vnum dici positiuè, non priuatiuè: quanquam fortè non rectè explicet in quo consistat ipsa ratio positiua vnius, sicut nec fortassis noster Alensis. Ille siquidem constituit illam in quodam respectu quem vnum habet ad formam. Iste verò in conformatione effectus ad priuam causam in genere causæ efficientis, qui quidem consequenter non de vnitate in se, sed de vnitate solius entis creati loquitur, vt constat.

Explicatur quid sit positiuum illud quod vnum addit supra Ens.

Enimuerò si quid possit assignari positiuum aliud ab ipsa entitate vt indiuisa, in quo consistat ratio vnius; arbitror esse identitatem rei ad seipsam, secundùm quam est sibi ipsi ita cohærens, ita quasi completa, & proprijs gradibus terminata, vt sit vna natura & non plures.

Confutatur modus dicendi & explicãdi suam sententiam aduersariorũ.

Hoc autem ita esse mihi persuadeo, quia authores oppositæ sententiæ, meo quidem iudicio, non satis explicant in quo consistat ratio formalis vnius, cùm dicunt vnum nihil addere supra Ens nisi negationem. Non enim imprimis constituunt ipsam rationem formalem vnius in sola negatione: Tum quia ex Aristotele 4. Metaphysic. Ens & vnũ eandem naturam significant: Sed si vnum diceret de formali puram negationem, non posset significare eandem naturam cum Ente; quia Ens non dicit negationẽ, sed positiuam naturam. Tum quia vnum non dicitur vniuocè de Ente rationis & reali; & tamen si præcisè consideretur negatio, æquè potest conuenire enti rationis, ac reali: Ergo signum est vnum non dicere de formali solám negationem; aliàs denominatio vnius æquè posset cadere in ens rationis & reale, quia significatio vocis potissimùm attendenda est ex significato formali. Itaque vt compleatur ratio formalis vnius, dicunt ipsi addendam esse entitatem, ita quòd entitas vt indiuisa sit vnitas. Et tamen postmodum explicando qualiter entitas se habeat ad istam negationem, dicunt esse fundamentum eius. Cùm enim authores nostræ sententiæ demonstrant vnitatem non posse consistere in negatione: tum quia fundat relationem realem indentitatis, & similitudinis, ex 5. Metaphysic. cap. 1. nulla autem negatio fundat relationem realem. Tum quia vnum est prima mensura multitudinis, quòd non potest conuenire negationi, cùm nihil sit. Respondent ea omnia conuenire vnitati ratione fundamenti, nimirum entitatis in qua fundatur dicta negatio; & ita fundamentum vnitatis, volunt esse complementum formale eiusdem: quod quàm sit alienum à recta philosophandi ratione, patet.

Cùm itaque nulla negatio insit primò & per se alicui, sed semper ratione alicuius positiui, vt probat Doctor Subtilis in 1. dist. 28. q. 2. ad 1. & patet discurrenti per omnia negationum genera: Cúmque negatio indiuisionis insit enti; videtur non inesse immediatè per rationem ipsam entis; cùm ipsa sit tantùm

ratio essendi absolutè, & non essendi vnum vel plura, quia abstrahit ab his rationibus. Inerit itaque per aliam rationem proximiorem, nimirum per identitatem rei ad seipsam, per aliquam consistentiam & quasi cohæsionem sibi ipsi, seu per terminationem proprijs gradibus constitutam, vel per quid simile quod meliori iudicio relinquo discutiendum. Itaut ipsa identitas rei ad seipsam hoc modo, explicata, sit positiua ratio vnius, quæ tamen quo ad nos, meliùs explicatur per negationem. Quænam verò qualisve sit ista negatio, declaremus.

Vltima Conclusio.

Negatio quā dicit vnum, habet potiùs rationem priuationis, quàm simplicis negationis.

NEgatio quam dicit vnum, non quidem formaliter sed consequenter, est indiuisio in se vel à se, & diuisio à quolibet alio, quæ quidem negatio habet rationem potius priuationis, quā simplicis negationis. Prior pars huius conclusionis declaratur, simulque probatur. Quoties aliqua ratio non nobis innotescit, tunc optimâ methodo procedimus, cùm illam explicamus per negationem aliquam. Ignotam ergo rationē positiuam vnius, debuit circũloqui Philosophus per negationem aliquam. Nulla autē erat aptior negatio, quàm indiuisio in se, & diuisio ab alio; nam per has rationes, statim mens nostra cōcipit aliquid esse vnum, vt patet. Ergo negatio quam dicit vnum, est indiuisio in se, & diuisio ab alio.

Obseruabis nihilominus meliùs explicari nobis rationem vnius per indiuisionem in se, quàm per diuisionem ab alio. Quia ad hoc vt aliquid sit verè & propriè vnum, non requiritur vt multa existant. Deus enim v. g. erat verè vnus antequam aliud ab eo existeret: Ad hoc autem vt aliquid sit diuisum ab alio, opus est vt multa existant; nisi dicatur, per diuisionem ab alio, non intelligi diuisionem actualem, sed tantùm potentialem; quia eo ipso quo aliquid est vnum, est aptum natum non esse aliud, ac proinde diuisum ab alio. Primam itaque negationem, quæ est indiuisio in se vel à se, consequitur hæc secunda negatio, quæ est non identitas vel diuisio ab omni alio, inquit Scotus noster in suis commentarijs ad 2. caput quarti Metaphysicorum.

Negatio duplex, in genere, & extra Genus.

Secunda pars est Aristotelis 4. Metaphysic. cap. 2. vbi Alensis & Scotus obseruant duplicem esse negationem, vnam extra genus, & aliam in genere. Negatio extrà genus ea est quæ negat aliquid absolutè, quæque verificari potest tam de ente, quàm de non ente, vt non videns, non lapis, &c. quæ de chymæra, sicut & de planta verificari possunt. Negatio in genere ea est quâ non negatur aliquid absolutè, sed tantùm intra metas alicuius generis, vt cæcum, impar, &c. quorū primum verificari potest tantùm de animali, quod est aptum ad visum, & aliud de numero, cui conuenit esse par vel impar. Quo posito, concludunt negationem illam quam dicit vnum consequenter, esse negationem in genere, seu in sub-

icto, vel subiecta materia, vt loquitur philosophus; aliàs vnũ posset etiàm dici de non Ente; ideoque negationem illam non esse absolutam & simplicem, sed declinare potius ad naturam priuationis. Consultò autem dicit Doctor Subtilis declinare ad naturam priuationis; non autem esse propriè priuationem: quia priuatio propria dicit negationem in subiecto apto nato: indiuisio autem quam addit vnum supra Ens, dicit negationem diuisionis in ente incapaci illius; quia vnumquodque Ens est inseparabile & indiuisibile à seipso, vt maximè patet exemplo Dei, cuius vnitas negat diuisionem Essentiæ eius, quæ tamẽ nullo modo diuidi potest. Dicitur itaque declinare ad naturam priuationis: quia sicut priuatio dicit negationem in subiecta natura: Ita vnitas dicit negationem non simpliciter & absolutè, sed in ente reali, siue interim illud sit capax diuisionis, siue non. Addunt alij conformiter doctrinæ Doctoris Subtilis multis in locis, diuisionem quam negat vnum, simpliciter esse possibilem, esto non sit possibilis ei enti quod vnum denominatur: Et quia illa diuisio non est impossibilis Enti vt Ens est; ideò dici potest priuatio ratione capacitatis saltem in conceptu communi; eo modo quo talpa cœcus dicitur, quia vt animal, est capax visus, quamuis non vt tale animal.

Ex dictis sequitur (vt optimè notauit Doctor Subt. in suis commentarijs ad 4. Metaphysic. cap. 2.) ipsam negationem vel priuationem quam importat vnum, non esse priuationem multitudinis; quia cùm priuatio sit posterior habitu, sequeretur quòd ipsa multitudo esset prior vno, quod est falsum; cùm vnum sit principium multitudinis, & multitudo definiatur per vnum. Multitudo enim est quædam aggregatio vnitatum. Si autem multitudo esset prior quàm vnum; posset vnum definiri per multitudinem, & ita daretur circulus nusquam admittendus in definitionibus.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Vnitas?



Vamquam de sola transcendentali vnitate esset hoc loco disserendum; quia tamen multiplex acceptio alicuius rei confusionem, & tandem ignorantiam parit: vt meliùs intelligatur quid sit vnitas transcendentalis, & faciliùs ab alijs omnibus vnitatum generibus secernatur: & etiam occasione illius, quidquid difficilius circa alias vnitatum species occurrit, examinetur, sit hæc.

Vnica Conclusio.

Referuntur variæ vnitates.

MVltiplex est vnitas. Patet ex Aristot. 5. Metaphysic. cap. 6. Primò enim alia est per se, & alia per accidens. Vnitatis per accidens quatuor subijcit

Vnius per accidens quatuor sũt modi. species, vel modos. Primus est secundùm quem accidens & subiectum dicuntur vnum, vt Coriscus musicus. Secundus, quo duo accidentia sunt vnum, vt musicus iustus. Tertius, quo vnum accidens comparatur ad subiectum complexum ex subiecto & alio accidente, vt Coriscus, & Coriscus musicus, vel è contrà, vt musicus, & Coriscus musicus. Quartus est, quo complexum comparatur ad complexum; vt Coriscus musicus ad Coriscum musicum.

Quinq; sunt modi vnius per se. Vnius per se denique quinque modos subijcit. Primus est, quo ea quæ sunt continua, vnum dicuntur vt fascis vinculo, & ligna visco colligata. Linea quoque etiam si curua sit, sed continua, vna dicitur. Sicuti partium etiam vnaquæque, vt crus & brachiũ. Ex his autem ipsis, illa magis vnum sunt quæ naturâ, quàm quæ arte continua sunt. Secundus est, quo ea dicuntur vnum quæ licet non sint diuidua, sunt tamen indiuisibilia secundùm speciem & sensum; sic fluuius discontinuus, est vnus, quia species eius est indiuisibilis, tàm secundùm formam intrinsecam, quàm secundùm sensum, hoc est secundùm accidentia sensibilia. Horum subiectum proximum est vnum. Oleum autem & alij liquores non sic censentur vnum, benè tamen ratione subiecti finalis & remoti, putà aëris & aquæ, in quod resoluuntur vltimò. Tertius modus est eorum quæ sunt vnum genere, vel propinquo, vel remoto; propinquo, vt homo & equus; remoto, vt homo & planta. Quartus est eorum quorum ratio est indiuisibilis in alias rationes iuferiores. Sic indiuidua sunt vnum in ratione specifica infima, quæ in alias rationes non potest diuidi. Postremò denique ea dicuntur vnum, quorum ratio est omninò indiuisibilis, non tamen in alias inferiores rationes, sed & in partes rationis; sic conceptus simpliciter simplices dicuntur vnum, putà conceptus differentiæ vltimæ. Et quia vnum est indiuisibile; ideò quod erit omnium maximè indiuisibile, erit omnium maximè vnum; & quia hoc postremum est maximè indiuisibile, vt patet; est quoque maximè vnum, ad quod proindè cætera reuocantur.

Sufficientiam autem horum quinque modorum vnius sic ferè colligit Doctor Subtilis ad hunc locum. De ratione vnius est quòd sit indiuisibile (hoc est de ratione vnius quo ad nos:) contingit autem duobus modis aliquid esse indiuisibile, scilicet vel simpliciter, vel secundùm quid. Si simpliciter, sic est vltimus modus, qui est principalis, ad quem omnes alij reducuntur. Si secundùm quid: aut ista indiuisibilitas attenditur penes quantitatem, aut penes naturam & quidditatem rei. Si priori modo, tunc est primus modus: continuum enim licet sit diuisibile simpliciter, tamen secundùm se acceptum, est quoddam vnum & indiuisibile, vt sic. Si secundo modo; aut ista indiuisibilitas in natura rei attenditur penes subiectum reale Physicum & sensibile, & sic est secundus modus; aut penes subiectum conceptibile; & hoc dupliciter; quia aut

penes subiectum conceptibile commune; & sic est tertius modus: aut penes subiectum conceptibile proprium, & sic est quartus modus.

Subijcit insuper Philosophus ibidem quatuor alios modos vnius. *Item*, inquit, *alia numero, alia specie, alia genere, alia analogicè vnum sunt. Numero quidem, quorum materia vna: Specie verò, quorum ratio vna: genere verò, quorum eadem prædicationis figura: secundùm analogiam verò, quæcumque se habent vt aliud ad aliud.*

Vnum numero, specie, genere, & analogiâ.

Docent Alensis & Scotus in suis Commentariis ad hunc locum, hanc diuisionem esse logicalem; quia eius frequentior est vsus apud Dialecticos, quàm prioris. Dicuntur autem vnum numero, quorum materia vna, id est, differentia siue proprietas indiuidualis, quæ est præcisa causa indiuiduationis ex Scoto. Specie verò sunt vnum, quorum ratio, id est, definitio vna. Definitio enim propriè est speciei, cùm definitio constet ex genere & differentia, ex quibus propriè constat species: Vnde si aliquando genus, putà subalternum definitur; hoc fit quia habet aliqualiter rationem speciei: Genere autem dicuntur vnum, illa quorum est eadem figura prædicationis, id est, quæcumque sunt in eodem prædicamento: Quodlibet enim prædicamentum habet proprium modum prędicandi distinctum ab aliis prædicamentis; sicut omnes qualitates, prędicantur de subiecto per modum formæ informantis. Secundùm analogiam verò ea dicuntur vnum, quæcumque se habent vt aliud ad aliud: quod dupliciter exponitur. Primò secundùm quòd duo habent diuersas habitudines ad vnum; eo modo quo dicimus vrinam, & potionem habere habitudinem ad sanitatem animalis; diuersis modis tamen: quia prior habet tantùm habitudinem signi; Posterior verò habitudinem causæ. Alio modo, secundum quòd comparantur duo diuersa ad alia duo diuersa; vt sicut v. g. se habet serenitas ad aërem, sic se habet tranquillitas ad mare: Et ideò serenitas & tranquillitas sunt vnum proportione, & vtrumque significat quietem quamdam, reddendo singula singulis.

Noster Anthonius Andreas, 5. Metaphysic. quæst. 6. multis nititur ostendere sufficientiam huius diuisionis, & illam esse aliam à priore, licet interim duo membra prioris, nimirum vnum genere & vnum specie, in hac posteriore reperiantur; quia, inquit, fundamenta huius sunt alia à fundamentis prioris: Enimuerò prioris fundamenta sunt realia; huius autem posterioris fundamenta sunt intentionalia. Quare etiam hæc posterior diuisio, dicitur esse Logica. Verùm nec est quòd in his immoremur, nec quòd laboremus in his omnibus demonstrandis: Non enim mirum est quòd in hac vtraque diuisione, eadem enumerauerit membra Philosophus; tùm quia in his Metaphysicis frequenter occurrunt similes repetitiones; tùm quia expeditiorem & frequentiorem apud Dialecticos vnius diuisionem tradere voluit: quam ob causam dicitur quoque

ad Dia-

ad Dialecticam pertinere : nam certè esset valdè difficile ostendere istorum quatuor modorum fundamenta esse intentionalia, vt patet præsertim de priore & posteriore ; quatenus diceremus eâ ratione hanc posteriorem diuisionem ad Dialecticos pertinere, & esse aliam à priore. Hæc tradere volui, ne penitus ignoraremus, quæ de Vno & variis eius modis habet Philosophus.

Aliter itaque constituuntur species vel modi vnius seu vnitatis communiter, vt nimirum alia sit numerica, alia quantitatiua (si quantitatiua non sit potiùs in tali genere vnitas nnmerica, quàm alia à numerica) alia formalis seu naturæ ; alia vniuersalis, & alia transcendentalis.

Vnitas numerica, quantitatiua, formalis, vniuersalis, & trãscendentalis.

Numerica seu singularis & indiuidualis est quâ indiuidua cuiusque naturæ sunt vna & indiuisa in se, & nullomodò diuisibilia in plures naturas singulares : Et hæc sequitur conditionem indiuidualem, vnde & dicitur indiuidualis.

Quantitatiua seu categorica ea est quâ aliquid dicitur vnum in quantitate discreta, vel quæ est principium eiusdem quantitatis : Constat enim quantitas discreta ex huiusmodi vnitatibus quantitatiuis.

Vnitas formalis est vnitas naturæ secundum se consideratæ, & quatenus natura est simpliciter: estque duplex, generica nimirum & specifica.

Vnitas vniuersalis ea est quæ competit naturis præcisis à singularibus per intellectum, & conceptis per modum vnius : Cùm enim natura quælibet generica & specifica sit cõmunis naturâ suâ, & vniuersalis beneficio intellectus abstrahentis, præscindentis & conferentis illam cum singularibus ; vnitas formalis est ei propria quatenùs communis est, & indifferens tùm ad sua inferiora, cùm ad vniuersalitatem & singularitatem : vnitas autem vniuersalis conuenit ei quatenùs est iam facta per intellectum vniuersalis. Qui dicunt naturas esse vniuersales ante intellectum, aliter philosophantur de hac vnitate vniuersali : Dicũnt enim consequenter illam competere etiam naturis vniuersalibus ante intellectum ; & in hoc differre à formali, quòd formalis præscindat à communicabilitate, nec illam requirat ad conceptũ suum formalem ; vniuersalis autem illam requirat : Deinde quòd formalis multiplicetur ad multiplicationem indiuiduorum, vniuersalis autem non sic. Ex ipsis aliqui volunt hanc vnitatem debere vocari vnitatem præcisionis: vnitatem enim vniuersalem sentiunt, etiam nobiscum fieri per iutellectũ: Alij confundunt vnitatem vniuersalem cum vnitate præcisionis, & volunt eam esse quæ competit naturis communibus in se, vt non existunt contractæ in suis inferioribus, siue talis vnitas conueniat beneficio intellectûs, siue ex se ; dicuntque eam nihil aliud esse quàm actualem indiuisionem rei communis in sua inferiora, cum diuisione tamen aptitudinali, quâ natura apta est esse in pluribus ; & illam distinguunt ab vnitate formali, vt priùs. Sed de his sequenti quæstione, in qua specialiter de vni-

tate formali, seu naturæ disputabimus, & ostendemus an multiplicetur in inferioribus; proindeque an vltra eam, danda sit à parte rei aliqua vnitas præcisionis; vel an potiùs ipsamet vnitas naturæ seu formalis sit etiam vnitas præcisionis, sub aliqua ratione spectata.

Superest vnitas transcendentalis, quæ competit Enti in se, & sequitur rationem eius: vnde quemadmodum ens dicit conceptum quemdam generalissimum & communissimum suo ambitu complectentem particularia omnia entia; ita etiam vnitas transcendentalia est vnitas communissima suo ambitu complectens omnes vnitates prędictas, demptâ eâ quæ fit per intellectum: Nulla enim vnitas rationis contineri potest sub vnitate reali, qualis est transcendentalis. Sed de hac vnitate plura dicemus in sequentibus.

Variæ aliæ vnitates referũtur.

Alij statuunt innumeras alias vnitatum species, putà negatiuam, in illo scilicet, quòd non habet aliquid per quod distinguatur; positiuam in illo quod habet formam vel rationem aliquam distinguentem ipsam ab omni alio: Vnitatem subiecti, qualis est vnitas dulcedinis & albedinis ratione lactis: vnitatem aggregationis seu collectiuam, qualis est vnitas acerui lapidum: vnitatem ordinis, vt est vnitas exercitus, quæ est aliquantulum maior vnitate aggregationis: vnitatem identitatis, quâ subiectum & sua passio sunt quid vnum: vnitatem vnionis, quâ compositum ex materia & forma est quid vnum; & cæteras quas videre licebit apud nostros Formalisantes: Sed omnes certè reuocari possunt vel ad vnitatem per se, vel ad vnitatem per accidens. Nunc de vnitate numerica, formali, vniuersali & transcendentali, quæ sunt propriæ instituto Metaphysico, disseramus.

QVÆSTIO III.

An detur aliqua vnitas ex natura rei minor vnitate numerica?



HÆc quæstio est nunc valdè celebris, & maximè in Scholis agitata, circa quam varia sunt philosophantiũ placita. Tota nostra Schola, docente Doctore Subtili in 2. dist. 3. quæst. 1. tenet partem affirmatiuam. Negatiuam tuentur omnes alij, exceptis Fonseca 5. Metaphysic. cap. 28. qu. 3. & paucis alijs, qui nec omninò nobiscum adhuc conueniunt, nec ijsdem principiis gradiuntur. Plures ex nostris Scotistis hanc rem tot difficultatum nodis implicuerunt; vt eam vel nimis difficilem, vel minùs probabilem effecerint. Doctrinam Scoti nudè aperiam, & ostendam sententiam eius esse omninò Peripateticam, &, meo quidem iudicio, cæteris omnibus probabiliorem & anteponendam.

Indiuidua vnius

Prænotandum itaque imprimis, indiuidua alicuius vnius

Speciei habent primò vnitaté similitudinis & conueniẽtiæ.

speciei magis inter se conuenire, seu maiorem aliquam similitudinem habere, quàm indiuidua distinctarum specierum: Magis enim conueniunt Petrus & Ioannes v. g. quàm Petrus & Bucephalus: Quia illud vtrumque est animal rationale; hoc autem vtrumque non sic: & ideò iam ex hoc capite, negari non potest quin natura humana v. g. habeat aliquam vnitatem similitudinis & conuenientiæ, fundatam in illis indiuiduis, prout habent in se rationes quibus inter se conueniunt & sunt similia. Sed vltra hanc vnitatem, videndum est, an illa natura non habeat aliam quandam vnitatem minorem vnitate numerica, à parte rei. Dicitur communiter quòd non; quia aut nulla datur vnitas præter eam quam illa natura habet in indiuiduis; aut si quæ alia datur, fit tantùm per intellectũ. Vnitas enim formalis, inquiunt, duobus modis spectari potest, scilicet vel quatenus est particularis huius naturæ humanæ existentis in Petro, vel alterius existentis in Ioanne; & sic est vnitas numerica; quia natura humana Petri distinguitur numero à natura humana Ioannis: vel secundò consideratur quatenus est communis, & conueniens naturæ, vt sic, & vt abstractæ à conditionibus indiuiduantibus: Et ita, inquiunt, fit tantùm per intellectum; quia sicut nulla est natura communis à parte rei; ita nulla est vnitas naturæ communis à parte rei; sed tantùm per intellectum. Pro huius rei decisione:

Natura

Prænotandum 1. ex Doctore Subtili in 2. dist. 3. q. 1. & 6. naturam quamlibet specificam posse duobus modis spectari: primò nimirum quatenus est simplex natura; quomodo, inquit, de ea est consideratio Metaphysica, & assignatur definitio eius, & sunt propositiones per se primo modo, & est quod quid est, & per se obiectũ intellectus: natura enim vt natura, est prior naturaliter quàm hæc natura, seu quàm natura singularis; & vt sic non determinat sibi hanc vel illam singularitatem, sed est indifferens ad omnes; ita quòd licet non possit existere in rerum natura absque aliqua singularitate; potest tamen existere absque hac vel illa. Et hoc est quod intendit Scotus, cùm dicit naturam vt priorem naturaliter ratione contrahente ipsam ad singularitatem, non repugnare sibi esse sine illa ratione contrahente: repugnat enim esse simpliciter absque aliqua ratione contrahente; non repugnat tamen esse absque hac vel illa ratione contrahente. Secundò quatenus est contracta & effecta singularis per hanc vel illam rationem contrahentem. Naturam priori modo spectatam consequitur vnitas quædam, quæ dicitur vnitas naturę; quæ quidem licet non sit prędicatum quidditatiuum eius, nec dicatur de natura per se primo modo; quia nimirum in eo statu, est tantùm natura; nihilominus est proprietas necessariò consequens ipsam. *Hoc modo*, inquit Scotus, *intelligo naturam habere vnitatem realem minorem vnitate numerali; & licet non habeat eam de se, ita quòd sit intra rationem*

duobus modis spectari potest, vt natura, & contracta.

naturæ; quia equinitas est tantùm equinitas secundùm Auicennam 5. Metaphysic. tamen illa vnitas est passio propria naturæ secundùm suam entitatem primam : & per consequens nec est ex se hæc intranè; nec secundùm entitatem propriam necessariò inclusam in ipsa natura secundùm primam entitatem suam.

In quolibet indiuiduo est duplex vnitas, naturæ seu formalis & numerica.

Naturam posteriori modo spectatam consequitur duplex vnitas, sicut & illa duplicem inuoluit entitatem, nimirum quidditatiuam & indiuidualem; ita vt prior vnitas consequatur priorem entitatem, scilicet vnitas naturę entitatem quidditatiuam, & posterior vnitas consequatur posteriorem entitatem, nimirum vnitas numerica entitatem indiuidualem: & ita sicut in quolibet indiuiduo spectantur entitas quidditatiua & entitas indiuidualis: ita in quolibet indiuiduo spectari debent vnitas naturæ & vnitas numerica. Et hoc apertè tradit Doctor Subtilis locis citatis cùm dicit: *In eodem ergo quod est idem numero, est aliqua entitas quam consequitur minor vnitas quàm sit vnitas numeralis; & est realis, & illud cuius est vnitas talis formaliter non est de se vnum vnitate numerali: Concedo ergo quòd vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno.*

Et iterum: *Secundùm illam entitatem habet vnitatem sibi proportionabilem quæ est indifferens ad singularitatem; ita quòd non repugnat illi vnitati de se, quòd cum quacumque singularitate ponatur.* Et hinc patet deceptum fuisse Franciscum Suarem tom. 1. Metaphysic. disp. 6. sect. 1. num. 2. cùm dicit in hoc differre Scotum à Thomistis in modo explicandi hanc vnitatem, quòd Scotus non censeat vnitatem hanc multiplicari numero in ipsis indiuiduis; Thomistę verò existiment multiplicari. Scotus enim ita existimat multiplicari, vt dicat vnitatem illã non esse alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno, & illi non repugnare de se vt cum quacumque vnitate singularitatis ponatur: Imò etiam explicat quomodo vnitas illa non sit vnitas numerica, licet reperiatur in eodem, numero: dicit enim quòd quemadmodum color in albedine est vnus specie, licet non de se, nec per se, nec primò, sed denominatiuè tantùm: ita entitas quidditatiua quæ est in Petro v. g. est vna numero, licet non de se, nec per se, nec primò, sed denominatiuè tantùm. Ideoque cùm in asserenda hac vnitate & in modo explicandi illam quo ad hoc, vtraque Schola conueniat; nulla restat dissentio, nisi fortè quia Doctor Subtilis distingueret illas duas vnitates formaliter in eodem indiuiduo; Thomistæ verò solâ ratione. Sed hæc dissentio in hoc casu, parua est. His positis, sit hæc

Prima Conclusio.

Natura quælibet, præsertim specifica vtroque modo spectata, siue nimirum vt natura, siue etiam contracta, habet vnitatem quandam minorem vnitate numericâ, & distinctam ex natura rei à numerica, quæ consequitur ipsam quatenus natura est; In hac conclusione conueniunt Thomistæ nobiscum.

vnde & appellari potest vnitas naturæ, vel vnitas formalis. Hæc conclusio, ni fallor, à nemine negari potest. Nam vltra quòd est Doctoris Subtilis locis citatis, & 7. Metaphysic. q. 10. & omnium authorum nostræ Scholæ, est etiam D. Thomæ opusculo de natura generis cap. 7. & de ente & essentia cap. 4. & ibidem Cajetani & aliorum Thomistarum. Statuunt enim, post Diuum Thomam, si credimus Cajetano, triplicem statum naturæ, vnum quo est in singularibus, alium quo est in intellectu, & tertium quo est natura simpliciter: & secundùm huc statum, inquiunt, conueniunt ei sua prædicata quidditatiua, & vt sic, est indifferens vt sit tam in intellectu, quàm in singularibus; & vt sit tam in hoc quàm in illo singulari; & secundùm hunc statum, vnitas formalis consequitur ipsam naturam; ita vt quemadmodum natura in illo statu est realis, ita etiam vnitas consequens ipsam, in eo statu sit realis.

Probari autem potest imprimis ex eo, quia quælibet natura est entitas aliqua. Ergo debet habere vnitatem naturæ, tanquam proprietatem inseparabilem ab ipsa.

Præterea, Etiam in Petro, natura humana est indiuisa in se & diuisa à qualibet alia: sed per hoc explicamus rationem vnitatis. Ergo ex eo concluditur ipsam habere vnitatem.

Præterea. Natura humana siue vt prior naturaliter singularitate, siue etiam contracta definiri potest. Ergo vt sic debet esse vna, ex Aristotele 4. & 7. Metaphysic.

Quòd verò hæc vnitas sit minor vnitate numericâ, ex eo patet, quia vnitas numerica nullam permittit diuisionem in alias partes subiectiuas, vnitas autem naturæ permittit.

Quòd etiam distinguatur ex natura rei ab vnitate numerica, ex eo probare possumus; quia in quolibet indiuiduo, distinguũtur gradus quidditatiui & indiuiduales ex natura rei: Ergo distingui quoque debent vnitas consequens gradus quidditatiuos, & vnitas consequens gradus indiuiduales.

Dices: Quicquid est in eodem indiuiduo numero, est vnum numero: sed vnitas illa naturæ est in eodem indiuiduo numero. Ergo est vnitas numerica. Respondet Doctor Subtilis esse vnitatem numericam denominatiuè, non de se, nec per se, nec primò: *Respondeo primò, inquit, in alio simili manifestiori; quicquid est in vna specie, est vnum specie: Color ergo in albedine, est vnum specie: Ergo non habet vnitatem minorem vnitate speciei; non sequitur. Nam sicut aliàs dictum est, scilicet in primo lib. quæst. de attributis, soluendo primũ dubium; Aliquid potest dici animatum denominatiuè, vt corpus; vel per se primò, vt homo; & ita superficies dicitur alba denominatiuè: superficies alba dicitur alba per se primo modo, quia subiectum includit prædicatum. Ita dico quòd potentiale quod contrahitur per actuale, informatur ab illo actuali, & per hoc informatur ab illa vnitate consequente illam actualitatem, siue illum actum: & ita est vnum vnitate pro-*

priâ illius actualis, sed denominatiuè est sic vnum: Non autem est de se sic vnum, nec primò, nec per partem essentialem. Color ergo in albedine est vnum specie, licet non de se, nec per se, nec primò, sed denominatiuè tantùm. Differentia autem specifica est vna specie primò, quia sibi primò repugnat diuidi in plura specie: Albedo est vna specie per se, sed non primò; quia per aliquid intrinsecum sibi, vt per illam differentiam. Ita concedo quòd quicquid est in isto lapide est vnũ numero, vel primò, vel per se, vel denominatiuè. Primò fortè, vt illud per quod vnitas talis cõuenit huic composito: per se, vt hic lapis, cuius illud, quod est primò vnum hac vnitate, est per se pars: Denominatiuè autẽ tantùm, vt illud potentiale quod perficitur isto actuali, quod quasi denominatiuè respicit actualitatem eius, & vnitatem similiter.

Dubitabis an vnitas illa formalis & naturæ minor vnitate numericâ, non tantùm conueniat naturę specificæ, verumetiam naturæ genericæ? & ratio dubitandi est authoritas Doctoris Subtilis in 2. dist. 3. q. 1. §. *Contra istud arguitur* vbi sic habet. *Secundum Philosophum 7. Physic. In specie athoma fit comparatio, quia est vna natura; non autem in genere, quia genus non habet talem vnitatem: ista verò vnitas non est vnitas rationis; quia conceptus generis est ita vnus apud intellectum, sicut conceptus speciei; alioquin nullus conceptus diceretur in quid de multis speciebus, & ita nullus conceptus esset genus, si tot essent conceptus dicti de speciebus, quot sunt conceptus specierum, quia tunc in singulis prædicationibus, idem prædicaretur de se.* Ex hac authoritate & ratione apertè habemus vnitatem conuenientem speciei, esse realem; generi autem non sic. Nihilominus nullus nostrorũ interpretum tangit hanc difficultatem: Imò solus Rada in 2. Controuers. 3. art. 1. respondendo ad quintum, simpliciter dicit genus seu naturam genericam habere vnitatem minorem vnitate numerali. Respondetur itaque reuerâ vnitatem formalem conuenire non modò naturæ specificæ, verumetiam naturæ genericę; neque id potuisse negare Doctorem Subtilem; sed argumentari tantùm hìc ex cõcessis ab aduersarijs de vnitate rationis conceptus generici, vt inde demonstret vnitatem illam esse realem saltem in specie athoma, in qua faciliùs erat demonstrare illam vnitatem esse realem, quàm in natura generica, in qua vnitas illa formalis realis est longè minor & minùs probabilis, quàm in natura specifica: quia natura specifica non patitur diuisionem per principia formalia; patitur autem natura generica.

Vnitas forma- lis conuenit etiam naturæ genericę.

Contra prædicta occurrit difficultas. Diximus enim non modò de mente Diui Thomę, verumetiam de mente Doctoris Subtilis, vnitatem naturæ multiplicari in inferioribus: ex quo videtur sequi tot fore naturas specificas quot sunt indiuidua. Respondeo tamen non ita esse: Licet enim tot sint naturæ humanæ, v. g. realiter & essentialiter distinctę, quot sunt homines: nihilominus tamen non sunt tot species quot homines; quia per aduentum differentię indiuidualis contrahentis vnamquamque istarum naturarum, ablata est ab vnaquaque,

Obiectio.

Solutio.

aptitudo proxima essendi in multis numero distinctis, quæ tamen requiritur ad rationem speciei. Cæterùm, vix negari potest quin vnaquæque illarum naturarum fundare possit intentionem speciei saltem remotè, non quidem speciei distinctę à specie quam altera fundare potest; sed eiusdem, ex eo nimirum, quia quemadmodum vnaquæque istarum naturarum, contracta est determinatè per aliquam determinatam singularitatem; ita quantùm est ex se, determinari potuit per quamcumque, si non collectiuè, saltem diuisiuè.

Secunda Conclusio.

VNitas hæc minor vnitate numericâ, non est de quidditate naturę cuius est, sed propria passio eius. Est sententia Scoti suprà, vbi sic ait: *Hoc ergo modo intelligo naturam habere vnitatem minorem vnitate numerali; & licet non habeat eam de se, ita quòd sit intra rationem naturæ, quia equinitas est tantum equinitas secundùm Auicennam 5. Metaphysic. tamen illa vnitas est passio propria naturæ secundùm suam entitatem primam.* Probatur autem conclusio hac generali ratione: Vnitas in se siue vnitas transcendentalis, non est de ratione entis, sed tantùm proprietas eius: Ergo vnitas huius entis, putà naturę specificæ, vel naturæ genericæ, non est de ratione eius, sed tantùm passio eiusdem.

QVÆSTIO IIII.

An detur aliqua vnitas communis?



VNitatem communem voco vnitatem naturæ superiori quæstione explicatam, non quatenùs est in singulis indiuiduis, sed quatenùs est in omnibus simul, secundùm quam omnia indiuidua eiusdem naturæ censentur habere vnam, & eandem naturam, atque consequenter vnicam formalem vnitatem. Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 6. sect. 1. & reliqui ferè omnes recentiores docent communiter, duo spectari posse in qualibet natura, videlicet naturam ipsam, & communitatem eius: Similiter in vnitate, duo spectari posse, nimirum vnitatem ipsam, & communitatem eius. Quo posito, dicunt naturam & eius vnitatem esse quidem realem, non tamen communitatem tùm naturæ, tùm vnitatis naturæ; quia, inquiunt, huiusmodi communitas fit tantùm per cogitationem mentis: ideóque tot dari naturas seu essentias, quot dantur singularia; ac proinde nullam naturam esse vnam realiter, nisi sit singularis; quia vnitatem communem non habet natura, nisi per intellectum. Istud quoque confirmari videtur ex iis quæ suprà retulimus ex Doctore Subtili in 2. distinct. 3. qu. 6.

§. *Ad quæstionem.* Vbi dicit quòd vnitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis, sed in vno. Ex alia parte verò, rationes omnes quas refert ibidem quæstione 1. §. *Contra istud arguitur*, non solùm vnitatem naturæ superiori quæstione explicatam, verumetiam vnitatem communem stabilire videntur, vt patebit inferiùs.

In quo cōsistat vnitas naturæ positiuè & negatiuè.

Prænotandum itaque 1. Pro solutione huius quæstionis, vnitatem naturę superiùs explicatam, primariò & positiuè consistere in eo quòd ipsa natura sit integra secundùm sua prædicata quidditatiua, completa & terminata propriis gradibus, & quasi sibi cohęrens, ac in seipsa consistens: Secundariò, consequenter, & quoad nos consistere in duplici negatione consequente istam rationem positiuam, scilicet in negatione diuisionis in se, & in negatione identitatis ad aliud. Huiusmodi autem vnitas tolli non potest per contractionem. Quod vt intelligatur,

Duplex diuisio naturæ, heterogenea & homogenea.

Prænotandum 2. rationes contrahentes esse in duplici differentia; quædam enim contrahunt, & diuidunt heterogeneè, id est, constituunt illud quod contrahunt, in alia, & alia ratione. Huius conditionis sunt omnes differentiæ specificæ. Aliæ contrahunt & diuidunt homogeneè, id est, diuiduunt quidem & multiplicant illud quod contrahunt, sed relinquunt omnes partes subiectiuas diuisas in eadem ratione, seu in vnitate rationis negante diuisionem heterogeneam. His positis, sit hęc

Vnica Conclusio.

Astruitur & explicatur vnitas cōmunis.

Datur vnitas communis à parte rei conueniens naturæ communi, non solùm communitate indifferentiæ ad vniuersalitatem & singularitatem; sed etiam communitate inexistentiæ in pluribus, ac prędicabilitatis de pluribus. Duplex enim assignari potest communitas naturæ; altera negatiua & indifferentiæ, quæ consistit in eo quòd illa nec sit vniuersalis, nec singularis, sed sit indifferens ad vtrumque; & de ea non loquimur: altera positiua, quæ consistit in eo quòd natura respiciat simul multa, quibus communicare potest eandem ratione, & de ea loquimur. Probatur autē conclusio. Naturæ secundùm se, & vt priori naturaliter rationibus contrahentibus ipsam, cōuenit vnitas naturę & formalis; sed huiusmodi natura potest esse communis multis, in quibus insit & de quibus prædicetur. Ergo illi vt sic, potest competere vnitas; maximè cùm ista natura insit in pluribus, & prædicetur de pluribus secundùm vnam & eandem rationem.

Prętereà: Vnitas illa est proprietas naturæ consequens illam in quocumq; statu ponatur: Ergo quemadmodum sequitur naturam contractam: Ita potest sequi naturam communem: Quia quâ ratione natura est in singulis indiuiduis eiusdem rationis; ita est simul in omnibus eiusdem rationis: Aliàs singula indiuidua essent eiusdem speciei, & omnia simul essent alterius, & alterius speciei.

Dicunt

Dicunt aduersarij naturam illam non esse communem à parte rei: Sed contra est, quia ad communitatē illam, sufficit quòd natura ex se ad nullum singulare sit contracta, sed quòd quantum est ex se, sit indeterminata ad omnia; & cum hoc habeat vnam rationem quam possint participare ea ad quæ determinatur & contrahitur: Hæc autem omnia habet natura secundùm se, & non quatenùs est in intellectu: Ergo communitas illa non conuenit naturæ, & vnitati eius per cogitationem mentis.

Vrgen, tnegando partem illam minoris, quâ dicitur naturam secundùm se, habere vnam rationem realem in singularibus, à quibus participatur: Nam, dicunt, vnitas illa fit tantùm ab intellectu apprehendente multa indiuidua per modum vnius. Respondeo tamen non ita esse; quia vnitas naturæ communis quam hìc defendimus, non consistit in negatione diuisionis homogeneæ, sed tantùm in negatione diuisionis heterogeneæ: Proindeque non opponitur multitudini & pluralitati indiuiduorum; sed dumtaxat alteri naturæ à qua est diuisa secundùm se. Esto igitur, vnitas negans diuisionem homogeneam, fieret tantùm ab intellectu apprehendente multa indiuidua alicuius naturæ per modum vnius; tamen vnitas negans diuisionem heterogeneam competit naturæ à parte rei, non tantùm secundùm se, vel vt est etiam singularis effecta; sed etiam quatenùs communis est multis; in quibus est tantùm multiplex & plurificata homogeneè, seu secundùm eandem rationem. Et ex hac quidem doctrina soluitur facillimè difficultas allata ex Doctore Subtili, dicendo vnitatem naturæ non esse alicuius entitatis existentis in duobus indiuiduis cum sui diuisione heterogenea, benè tamen cum sui diuisione homogenea.

Mouent alij difficultates aliquas satis vanas & friuolas, dicendo ex nostra doctrina sequi vnum & idem posse simul & semel existere naturaliter in duobus locis. Si enim, inquiunt, Petrus & Paulus sint quid vnum; dato quòd Petrus sit in cælis, & Paulus in inferis; vnum & idem simul & semel erit naturaliter in duobus locis. Sed ista, vt dixi, sunt parui momenti; nam natura contracta non potest habere nisi vnitatem negantem diuisionem heterogeneam, non autem vnitatem negantem diuisionem homogeneam: vnde esto Petrus & Paulus essent quid vnum, per negationem diuisionis heterogeneæ; non sunt tamen quid vnum per negationem diuisionis homogeneæ; ideoque quemadmodum, v. g. duæ guttæ aquæ possunt simul & semel existere in duobus locis; ita Petrus & Paulus. Nam quod facit diuisio Physica in toto homogeneo Physico; idem facit diuisio Metaphysica in toto homogeneo Metaphysico, qualis est natura aliqua specifica.

Natura humana est totum homogeneū Metaphysicum, & indiuidua naturæ humanæ sūt partes subiectiuæ homogeneæ illiustotius.

Ex his omnibus constat triplicem distingui posse vnitatem formalem, scilicet formalem simpliciter, quæ consequitur naturam quatenùs natura est: Formalem communem, quæ conse-

Triplex vnitas, formalis simpliciter, communis &.

numerica. quitur naturam communem, communitate scilicet existentiæ in omnibus indiuiduis simul, & prædicabilitatis de ijsdem; & vnitatem formalem numericam denominatiuè, & per accidens, quæ consequitur naturam, vt est in singulis indiuiduis, de qua præcedenti quæstione actum est.

Addendum est ijs iterum nos non philosophari de hac vnitate communi eodem modo, quo Fonseca 5. Metaphysic. cap. 28. qu. 3. sect. 4. philosophatur de sua vnitate præcisionis, quam non vult ad inferiora descendere. Ego enim existimo hanc vnitatem esse illammet quæ cum quacumque vnitate singularitatis ponitur, quemadmodum eadem est etiam natura quæ modò communis, modò singularis est, & contracta.

Eadem vnitas naturæ, modò est formalis simpliciter, modò cómunis, modò numerica per accidens.

Vnde quemadmodum natura eadem omninò spectatur hìc à nobis tribus modis; primò scilicet nudè & simpliciter, seu quatenùs natura est: Secundò quatenùs respicit multa quibus communicare potest eandem rationem, quo pacto dicitur communis: Tertiò denique quatenus est contracta, quomodo dicitur singularis & vna numero: Ita etiam vnitas formalis eadem, omninò spectari potest tribus modis, scilicet vt formalis simpliciter, & vt consequitur naturam nudè spectatam; vt communis est, seu vt sequitur naturam respicientem multa; denique vt singularis est & vna numero, per accidens scilicet & denominatiuè, vt dictum est. Et ratio est; quia natura illa quam consequitur illa vnitas; est semper eadem natura, & non alia, in se indiuisa, & diuisa heterogeneè à qualibet alia natura specifica: Ergo debet retinere semper suam vnitatem, in quocumque statu concipiatur. Nunc probemus hãc vnitatem rationibus Doctoris Subtilis in 2. distinct. 3. qu. 1. §. *Contra istud arguitur.*

Prima ratio Scoti desumpta ex vnitate obiecti sensus.

Vnius potentiæ est vnum obiectum; sed potentia sensitiua, putà visus, est vna potentia: Ergo habet vnum obiectum; non vnum numero; quia tunc non posset videre nisi vnum colorem numero: Nec vnum per intellectum; quia præcedit actum intellectus, sicut & sensus. Ergo est vnum aliquà aliâ vnitate reali; quia sicut obiectum sensus, inquantum obiectum, præcedit intellectum; ita etiam secundùm suam vnitatem realem, præcedit omnem actum intellectus.

Dices quòd obiectum primum & adæquatum sensus, est aliquid commune abstractum per intellectum ab omnibus alijs particularibus obiectis; & ita non habet vnitatem nisi continentis illa plura obiecta particularia: Ita quòd obiectum sensus respectu vnius actus vtique præcedit intellectum, & tunc est aliquod singulare; tamen obiectum primum sensus adæquatum est aliquid vniuersale abstractum ab omnibus particularibus per intellectum. Contrà. Huius actionis sensus est vnum obiectum secundùm aliquam vnitatem realem, ex concessis: Sed non secundùm vnitatem numeralem: Ergo secundùm vnitatem realem aliam ab vnitate numerica. Probatur minor: Quia potentia

cognoſcens obiectum ſecundùm aliquam vnitatem, diſtinguit ipſum ab omni alio quod non eſt hac vnitate vnum: ſed ſenſus non cognoſcit obiectum inquantum eſt diſtinctum à quolibet quod non eſt vnum illâ vnitate numerali; quia nullus ſenſus diſcernit hunc radium ſolis v. g. differre naturaliter ab alio radio, cùm tamen ſint diuerſi per motum ſolis, ſi circumſcribantur omnia ſenſibilia communia, putà diuerſitas loci, vel ſitus. Similiter ſi per potentiam diuinam, ponerentur duo corpora æqualia, & omninò ſimilia in albedine, tunc viſus non diſtingueret illa duo alba, ſed iudicaret eſſe vnum album tantùm. Senſus ergo non cognoſcit obiectum ſecundùm vnitatem numeralem: Ergo ſecundùm aliâ vnitatem realem. Ita quòd etiam vnius actus ſenſus non eſt vnum obiectum ſecundùm vnitatem numeralem. Hæc ratiocinatio non tam noſtram vnitatem formalem & Metaphyſicam, quàm vnitatem quandam ſimilitudinis & confuſionis ſtabilire videtur. Licet enim ſenſus hæc duo obiecta non diſtinguat; non ſequitur tamen non eſſe diſtincta: quare licet habeant etiam illam vnitatem realem minorem vnitate numericâ; non videtur tamen ſatis probata talis vnitas ex illa vnica actione ſenſus, qui illa duo obiecta propter omnimodam ſimilitudinem, ac ſi eſſent vnum, confuſè percipit. Meliùs itaque probatur noſtra veritas ſequentibus rationibus.

Secunda ratio. In omni genere eſt vnum primum quod eſt metrum & menſura omnium, quæ ſunt illius generis, ex 10. Metaphyſic. & illa vnitas primi menſurantis eſt realis, alioquin non eſſet menſura niſi ſecundùm conſiderationem rationis. Ergo etiam non eſſent aliqua entia menſurata & poſteriora quæ dependerent à menſura, niſi ſecundùm conſiderationem mentis; & tunc etiam intellectus poſſet attribuere alteri rationem menſuræ: quæ tamen omnia ſunt abſurda. Iſta autem vnitas non eſt vnitas ſingularis vel numeralis: quia nullum eſt ſingulare in genere, quod ſit mẽſura eorum omnium quæ ſunt in illo genere: Nam ex 3. Metaphyſic. in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non eſt hoc prius, illud poſterius. Ergo datur alia vnitas realis alia ab vnitate numerica, ac proinde minor illâ. — Tertia ex ratione menſuræ.

Tertia ratio deſumpta ex ratione fundamenti identitatis, æqualitatis & ſimilitudinis. Prætereà: Idem, ſimile & æquale fundantur ſuper vnum ex 5. Metaphyſic. cap. *de ad aliquid.* Ita quòd licet ſimilitudo habeat rem de genere qualitatis; relatio tamen non eſt realis niſi habeat fundamentum reale, & rationem proximã fundandi realem, quæ eſt vnitas iſtarum qualitatum. Tunc ſic: Nullo intellectu exiſtente, eſt ſimilitudo realis huius albi v. g. ad illud album ſecundùm albedinem. Ergo aliqua realis vnitas eſt proximum fundamentum huius relationis; quia talis relatio non fundatur ſuper ens rationis formaliter.

Non eſt autem vnitas numeralis, patet; quia hoc album & illud album non ſunt idem numero: quia nihil vnum & idem numero eſt ſimile ſibi ipſi. Ergo eſt aliqua alia vnitas.

Quarta ratio desumpta ex vnitate oppositionis primæ.

Præterea. Vnius oppositionis realis sunt duo extrema realia: contrarietas est oppositio realis, vt patet: quia realiter vnum contrariorum destruit & corrumpit aliud, circumscripto omni opere intellectus, & non nisi quia sunt contraria. Igitur vtrumque primum extremum istius oppositionis realis, vt est extremum, est vnum aliquâ vnitate reali: non autem vnitate numerali; quia tunc præcisè hoc album esset contrarium huic nigro, vel præcisè aliud albû, quod est inconueniens; quia tunc essent tot contrarietates primæ, quot indiuidua cõtraria: Igitur est vnũ aliquâ aliâ vnitate, nimirũ vnitate illâ naturæ minore vnitate numericâ.

Quinta ratio desumpta ex vniuocatione petita ab vnitate formæ.

Præterea, Circumscripto omni intellectu, hic ignis generat hunc ignem similem sibi in forma, quia generans generat sibi simile propter formam. Illa autem generatio est vniuoca. Sed generatio vniuoca requirit vnitatem formæ in generante & genito: & illa vnitas non est numerica, vt patet. Ergo aliqua alia, & est realis. Intellectus enim non facit generationem esse vniuocam, sed cognoscit eam esse vniuocam. Ergo datur aliqua vnitas realis alia ab vnitate numerica.

Respondent multi ad has rationes, præsertim Nominales, vt Guillelmus Ocham, & quidam recentiores. Sed eorum responsiones dissolui possunt ex dictis; Et quidem quod spectat ad Nominales, qui ponunt solos conceptus mentis vel solas voces esse communes: eorum doctrina vt minùs peripatetica, licet non omninò fortè improbabilis, reijcitur communiter.

Alij exponunt Aristotelem vel de vnitate similitudinis, vel de vnitate reali tantùm ratione fundamenti. Sed hoc non satisfacit rationibus Doctoris Subtilis fundatis in doctrina peripatetica: Cùm enim dicitur v. g. ad rationem mensuræ requiri vnitatem realem: si nulli indiuiduo competat ratio mensuræ; sed tantùm naturæ; & indiuiduo consequenter ratione naturæ; vnitas illa debet esse vnitas naturæ, & quidem vnitas communis à parte rei, ex eo nimirum quia ratio mensuræ conuenit naturæ vt non includit conditiones indiuiduantes & contrahentes. Non enim v. g. natura humana est prior & perfectior natura equi, quia Petrus est perfectior Bucephalo; sed potiùs è diametro, Petrus est perfectior Bucephalo, quia natura humana est perfectior naturâ equi. Ita philosophari possumus discurrendo per omnes rationes Doctoris Subtilis.

Sexta ratio. Omnis diuersitas nõ est numerica. Ergo neque omnis vnitas est numerica.

Addit & istam rationem Scotus. Si omnis vnitas realis est numeralis; omnis diuersitas realis erit numeralis. Consequens autem est falsum. Ergo & antecedens. Probatur consequentia: quia vnum & multa, idem & diuersum sunt opposita ex 10. Metaphysic. Et toties dicitur vnum oppositorum, quoties dicitur & reliquum, ex 1. Topicorum; & sic, si tantùm est vnitas numeralis; tantùm est diuersitas numeralis. Item omne diuersum est in se vnum; quia vnum dicitur quod est ab alio diuersum: Sicut ergo est vnum, sic & diuersum: ergo si vnum numeraliter, & diuer-

sum numeraliter, & non plus. Falsitas consequentis probatur; Quia omnis diuersitas numeralis inquantum numeralis, est æqualis; & tunc, tantùm differret Sortes à Platone, quantùm differt à Bucephalo : & ita non posset intellectus abstrahere à Sorte & à Platone aliquid commune magis, quàm à Sorte, & à Bucephalo; & tunc quodlibet vniuersale esset purè fictitium. His rationibus manet satis probata hęc veritas: nimirum dari vnitatē quandam minorem vnitate numericâ, quæ sit modò vnitas naturæ simpliciter, modò vnitas communis, modò vnitas numerica denominatiuè, & per accidens vt dictum est.

QVÆSTIO V.

An detur, & quid sit vnitas vniuersalis, & per quam actionem intellectus fiat.



CVm ex Doctrina Scoti, natura secundùm se, non sit vniuersalis nec singularis; sed tantùm communis & indifferens negatiuè : consequenter nec vnitatem vniuersalem, nec vnitatem singularem & numericam habet secundùm se, sed per aliud. Præsenti itaque quæstione quærimus an habeat in aliquo statu, vnitatem vniuersalem, & quomodo, seu per quid illam habeat? Sequenti autem quæstione inuestigabimus per quid habeat vnitatem singularem & numericam: iam enim diximus de vnitate quā habet secundùm se, & quatenus est natura simpliciter.

Prænotandum autem imprimis ex eodem Scoto in 2. dist. 3. q. 1. §. *Ad quæstionem, &* §. *Sed contra istud*, naturam communem & indifferentem non esse adhuc vniuersalem saltem actu, & completè; sed tantùm potentiâ & incompletè; quia intellectus facit vniuersalitatem (nimirum actualem & completam) in rebus, ex Commentatore 1. de anima, text. 8. quo sensu etiam ibidem dicitur vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse, id est, post intellectus operationem. Completur autem huiusmodi vniuersalitas, seu fit actualis per actionem intellectus conferentis naturam cum suis inferioribus, & constituentis illam in potentia proxima, vt dicatur de quolibet eorum, prædicatione dicente; hoc est hoc. Et quia multi imponunt Scoto nostro, & mentem eius super hac re, ex ipso fonte fortassis non hauserunt : audiatur ipse §. illo, *Sed contra istud* : Ratio vniuersalis completur per intellectum.

Ad primum, inquit, *dico quòd vniuersale in actu est illud quod habet vnitatem indifferentem, secundùm quam ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito; quia* 2. *Post*. Vniuersale est quod est vnum in multis, & de multis. *Nihil enim secundùm quamlibet vnitatem in re est tale, quod secundùm ipsam vnitatem præcisam sit in potentia proxima ad quodlibet suppositum, vt dicatur de quolibet supposito prædicatione dicente; hoc est hoc. Quia licet alicui existenti in re non repugnet esse in alia singularita-*

te ab illa, in qua est: non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori, quòd quodlibet est ipsum. Hoc est enim solùm possibile de obiecto eodem indifferenti actu considerato ab intellectu: Quodquidem vt intellectum habet vnitatem etiam numeralem obiecti, secundùm quam ipsum idem est prædicabile de omni singulari dicendo, quòd hoc est hoc.

Ex hoc apparet improbatio illius dicti, quòd intellectus agens facit vniuersalitatem in rebus, per hoc, quòd denudat ipsum quod quid est in phantasmate existens. Nam vbicumque est, antequam in intellectu possibili habeat esse obiectiuè; siue in re, siue in phantasmate, siue habeat esse certum, siue deductum per actionem; & si sic, non per aliquod lumen; sed semper sit talis natura ex se, cui non repugnet esse in alio; non tamen est tale, cui potentiâ proximâ conuenit dici de quolibet; sed tantùm est in potentia proxima, vt est in intellectu possibili. Est ergo in re commune, quòd non est de se hoc, & per consequens ei de se non repugnat esse non hoc: Sed tale commune non est vniuersale in actu, quia deficit ei illa indifferentia, secundùm quam completiuè vniuersale est vniuersale, secundùm quam, scilicet ipsum idem aliquâ identitate est prædicabile de quolibet indiuiduo, ita quòd quodlibet sit ipsum.

Vniuersale non fit per actionē intellectus agentis, sed per actionē intellectus possibilis.

His verbis docet naturam communem fieri vniuersalem per operationem comparatiuam intellectus, & non per solam depurationem phantasmatis. Aliqui enim existimant naturam illam fieri vniuersalem per operationem intellectus agentis, quę antecedit omnem operationem intellectus possibilis, & consistit in productione speciei intelligibilis repręsentantis naturam præcisam & abstractam ab omnibus indiuiduis. Et hæc videtur esse sententia Diui Thomæ 1. part. q. quęst. 85. art. 1. ad 4. & 5. & Cajetani ibidem. Cùm enim ille doceat materiam esse principium indiuiduationis; & aliunde certum sit intellectum agentem speculando phantasmata, ea depurare & denudare ab omni ratione materiæ; consequenter denudabit illa ab omni ratione & conditione indiuiduali. Abstrahit autem intellectus agens (inquit Diuus Thomas loco citato ad 4.) species intelligibiles à phantasmatibus, in quantùm per virtutem intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione, naturas specierum sine indiuidualibus conditionibus. Sicque intellectus agens faciet vniuersalitatem in rebus. Hanc autem sententiam non iudicat probabilem Scotus; quia procedit ex falso fundamento, nimirum ex eo quòd materia sit principium indiuiduationis; quod tamen esse falsum sequenti quæstione demonstrabimus: Ideoque licet intellectus agens speculando phantasmata, transferat ea ex ordine materialium ad ordinem immaterialium: falsum est tamen quòd ea transferat ex ordine singularium, ad ordinem vniuersalium: Singularia enim ipsa etiam intelliguntur ab intellectu, vt aliàs docetur. Concludit itaque Doctor Subtilis naturam non esse vniuersalem ante illud esse quod.

habet in intellectu possibili, quocumque modo se habeat ante illud esse, nimirum siue spectetur secundùm se, siue prout est in phantasmate, siue secundùm aliud quodcumque esse, secundùm quod etiam illi non repugnat esse in alio; siquidem ante eum statum quem habet in intellectu possibili, non est adhuc actu & completè vniuersalis.

Vniuersale fit per actionē comparatiuā intellectus possibilis.

Cùm autem dici possit naturam communem duobus modis fieri posse vniuersalem ab intellectu possibili; nimirum vel directâ, vel comparatiuâ operatione eius: Docet Scotus quòd comparatiuâ: quia ex Aristotele 1. Post. Vniuersale definitur per ordinem, quem habet ad sua inferiora: Dicitur enim, *vnum in multis & de multis*. Itaque quando fit ab intellectu possibili; fieri debet per actionem illam, quâ comparat ipsum cum suis inferioribus, & quâ enunciat ipsum de illis: Dicendo, hoc est hoc. Adde quòd intelligi non potest aliud quippiam accidere naturæ communi per operationem directam intellectus possibilis, quàm quòd habet ex se, & antequam sit in intellectu possibili. Qui enim negant naturas esse communes & vnas realiter ante intellectum, dicere possunt accidere illis vnitatem & communitatem; quæ duo cùm fieri possint per actionem directam intellectus possibilis, vtpatet, quatenùs nimirum intellectus potest abstrahere & præscindere naturas à differentiis contrahentibus: tamen in sententia nostra id non potest habere locum; quia volumus naturas esse communes & vnas ex se, & ante omnem operationem intellectus: Quo fit vt earum vniuersalitas consistere non possit in his absolutis proprietatibus, quæ sunt vnitas & communitas naturę: (Licet enim communitas naturæ secundùm se, respiciat multa; non tamen respicit illa formaliter & proximè, sed tantùm radicaliter & remotè.) Et certè fauet ratio: quia quantumcumque natura sit vna & communis; si tamen nondum intelligatur vt habens aptitudinem & relationem ad multa in quibus sit (quam relationem accipit per notitiam comparatiuam) non videtur adhuc esse completè vniuersalis: Ideò quantumuis conferant ad vniuersalitatem vnitas & communitas naturæ, quatenùs nimirum sunt veluti materia & fundamentum eius: Tamen non videtur omninò & vltimatè compleri nisi per illam habitudinem, quam natura intelligitur habere ad sua inferiora, in quibus est, & de quibus potest enuntiari.

Explicatur quo modo fiat vniuersale per actionē intellectus.

Vt tamen totum istud negotium meliùs percipiatur, & omnes acceptiones vniuersalis satis tędiosæ & inutiles, quibus nostri Scotistę, præsertim Tataretus vtuntur, faciliùs intelligantur: Dicamus rem ita se habere. Primùm itaque datur à parte rei natura communis & vna, vt probatum est, & hæc dicitur à Scoto, vniuersale potentiale & incompletum. Et quia vt sic, est obiectum intellectus; ideò habet esse in intellectu obiectiuè, & habitualiter per speciem intelligibilem. Intellectus autem videns huiusmodi naturam sibi ob-

iici concipiendam, recipit illam, & tribuit illi esse quoddam comparatiuum & rationis, per quod fit vniuersale actu & completum. Tribuit autem illi istud esse præstando tria, nimirum concipiendo naturam ipsam sine omni singularitate, & præscindendo eam positiuè; nimirum per actum aliquem positiuum à suis omnibus inferioribus; quamuis enim natura quælibet sit ex se præcisa negatiuè à conditionibus indiuiduantibus; non est tamen positiuè: ideoque posset semper intellectus concipere illam cum his conditionibus. Denique per istam Logicam abstractionem efficiendo vt natura illa sit vnum numero intelligibile, vel intellectum: quia quod est vniuersale, debet esse potentiâ multa numero in re, & actu vnum numero in intellectu: quicquid enim intellectus intelligit, debet esse vnum intellectum: Nam multa simul non posset intellectus intelligere. Tandem attribuendo istam naturam actualiter suis inferioribus, dicendo, hoc est hoc, v. g. Petrus est homo. Postmodum intellectus reflectitur supra illam primam operationem collatiuam, & videt naturam quam contulit cum suis inferioribus, esse communem multis specie, vel solo numero distinctis, & tunc indicat illam esse genus vel speciem, attribuitque illi secundas illas intentiones seu denominationes generis vel speciei; & ita fit vniuersale pro formali, seu pro denominante.

Triplex vniuersale, Metaphysicum, Logicū & mixtum ex vtroq;. Habes igitur triplex vniuersale, vnum purè pro materiali, pro denominato, seu pro fundamento, & est natura communis habens vnitatem minorem vnitate numericâ, diciturque etiam vniuersale Metaphysicum: Aliud pro formali seu pro denominante, estque forma illa Logica & rationis quam intellectus attribuit naturę, ex eo quòd comparata est cum suis indiuiduis, & quâ denominatur genus vel species, diciturque etiam vniuersale Logicum; quia Logici est huiusmodi formas denominantes effingere, & illas attribuere naturis. Aliud tandem est mixtum & sumptum pro toto concreto & constituto ex materiali & formali; estque natura vt præcisa per intellectum à conditionibus contrahentibus, & vt effecta vnum numero intellectum, & vt actualiter attributa suis inferioribus, & collata cum illis, dicique potest vniuersale MetaphysiLogicum; quia ex Metaphysico & Logico coalescit; & illud dicitur propriè vniuersale, & de eo loquitur Scotus noster, & eius vsus est frequentior in disciplinis.

Vniuersale quod fit per actionē comparatiuā intellectus, nō est vniuersale pro formali. Nullus itaque imaginetur vniuersale illud actuale quod fit per comparatiuam actionem intellectus, esse vniuersale simpliciter pro formali ex mente Scoti nostri; quia ex doctrina eius, vniuersale illud actuale ita debet esse in multis, & dici de multis, vt quodlibet sit ipsum, quomodo quodlibet indiuiduum naturæ humanæ est homo; at vniuersale pro formali non ita se habet ad multa, vt quodlibet sit ipsum; non enim quodlibet indiuiduum naturæ humanæ, v. g. est species. Et id non obscurè tradi-

dit Li-

dit Lichetus in 2. distinct. 3. qu. 1. folio mihi 85. pag. 1. colum. 1. Cùm dicit naturam sub ratione relationis ad inferiora, prędicari de illis; non quidem quatenùs est ens per accidens constitutum ex natura, & relatione; sed tantùm per rationem naturæ, quæ est vnum ens per se, quæ tamen prædicari non potest nisi actu sit sub tali relatione rationis.

Dices vniuersale pro formali fieri per actionem comparatiuam intellectus. Distinguo, tanquam id quod comparatur; nego; tanquam id quòd relinquitur in re comparata, & resultat ex comparatione eius, Concedo. Nunc autem vniuersale illud actuale, est id quod refertur & comparatur cum suis inferioribus; vniuersale autem pro formali, est id quod relinquitur in vniuersali comparato ex comparatione eius; suprà quod intellectus postmodum reflectitur, vt iudicet quid illud sit, & quam denominationem debeat illi tribuere, nimirum vel generis, vel speciei, vel alterius.

Prænotandum 2. Naturæ vniuersali, quatenùs vniuersalis est, aliquam competere & correspondere vnitatem, quæ nec est vnitas numerica, nec vnitas formalis, seu naturæ, sed vnitas vniuersalis. Quæritur autem quid sit, & in quo consistat huiusmodi vnitas?

Prima Conclusio.

Quid sit, & in quo cōsistat vnitas vniuersalis.

VNitas vniuersalis consistit in præcisione positiua naturæ, facta per actionem aliquam intellectus positiuam, quâ præscinditur positiuè à conditionibus contrahentibus, & in vnitate numerica eiusdem naturæ, prout est intelligibilis, vel intellecta, & in collatione actuali eius cum suis inferioribus.

Prior pars conclusionis probatione non indiget; nam omnes ferè in eo conueniunt, vt dicant vniuersalitatem naturæ consistere in eo quòd intellectus eam apprehendat vt vnam, præscindendo scilicet eam ab illis rationibus per quas fit multiplex, cui præcisioni aliqui addunt aptitudinem essendi in multis, alij non. Sed quia non in omni præcisione naturæ, stat vnitas vniuersalis; nam ex doctrina nostra, natura secundùm se, est præcisa, & tamen secundùm se, non habet vnitatem vniuersalem: Ideò addidi, in pręcisione positiua, ad distinctionem illius pręcisionis quæ conuenit naturæ secundùm se, quæquidem est tantùm negatiua, & consistit in eo quòd natura non includat conditiones contrahentes: pręcisio autem positiua addit actum positiuum intellectus deserentem & abijcientem conditiones contrahentes, & quasi extrahentem & separantem naturam ab illis. Quæcumque autem sit illa præcisio, siue positiua, siue negatiua, negari non potest, quin in illa reperiatur aliqua ratio vnitatis, inquantùm nimirum vel abijcit & deserit ac remouet, vel saltem non admittit rationes per quas natura fit plures: & quia præcisio positiua fit per intellectum, ideò vnitas quæ consistit in ea, est tantùm rationis; ac per consequens propria vnitas vniuersalis.

Tertia pars conclusionis est aduersus illos, qui existimant præcisionem illam rationis sufficere ad rationem vnitatis vniuersalis, additâ communitate naturę: quibus libenter subscriberem, ni ex aduerso vrgeret authoritas Aristotelis 2. Post. definientis vniuersale per respectum ad multa, & Doctoris Subtilis, qui sequutus Aristotelem, docet vniuersale fieri per actum intellectus conferentem naturâ cum suis inferioribus. Et hoc sufficit pro veritate huius tertiæ partis.

Restat difficultas circa secundam partem conclusionis, quâ dicitur ad vnitatem vniuersalem requiri, vt vniuersale seu natura vniuersalis sit vnum numero intelligibile; quod non sic intelligendum est, quasi ipsa natura in se, sit vna numero; quia hoc repugnat ei quatenùs est vniuersalis; sed quia debet esse vnum numero intelligibile, id est vnum de numero intelligibilium. Istam autem vnitatem requiri ad rationem vnitatis vniuersalis ex eo suadetur, quia vnitas illa habet esse per intellectum; & quando illam format intellectus, format tanquam aliquod singulare opus suum ab omni alio numero distinctum. Ergo quantumuis natura vniuersalis, quâ parte est natura realis, habeat vnitatem minorem vnitate numericâ; tamen quâ parte est quoddam opus mentis, debet habere vnitatem numericam. Id optimè declarauit Lichetus in 2. dist. 3. qu. 1. §. *Ibi sed contra istud*: His verbis. Ad primum dico quòd vniuersale in actu est illud quòd habet vnitatē indifferentem, secundùm quam ipsum idem est in potentia proxima; vt dicatur de quolibet supposito. Pro clariori intelligentia huius literæ, nota quod ista indifferentia pro nunc potest accipi dupliciter. Vno modo priuatiuè, siue negatiuè; & sic nihil aliud est, nisi aliqua natura, quæ de se est indifferens ad inferiora & indeterminata: Id est, quòd ipsa est apta nata ad indifferentiam, siue indeterminationē. Alio modo dicitur indifferentia, siue indeterminatio positiuè, & contrariè, & tunc contrariatur positiuè determinationi actuali; & sic dicimus quòd vniuersale isto modò includit ipsam naturā, cum tali indifferentia actuali, quæ nihil aliud est nisi quædam relatio actualis terminata ad intellectum, quâ actu est indifferens ad omnia sua inferiora. Et sic talis natura sub tali indeterminatione dicitur vniuersale completum; & in potentia proxima ad prædicari de omnibus inferioribus. Et isto secundo modo accipitur vniuersale in littera: Et tale vniuersale, siue accipiatur primo modo, sine secundo modo, est vnum intelligibile singulare: siue vnum numero: Nam accipiendo primo modo, est vnum obiectum per se intelligibile, putà ipsa natura hominis; sic intelligendo quòd ex quo Ens inquantum Ens, vt est obiectum adæquatum intellectus, est simpliciter quoddam integratum ex omnibus Entibus, vt suprà patuit qu. 1. Prologi; Sic Ens sumptum in sua communitate est vnum Ens, siue vnum obie-

ctum intelligibile numero, id est, quòd ipsum sumptum in sua communitate est aliqua pars obiecti adæquati; non quòd sit in se vnum numero, siue singulare: Sed ex hoc dicitur vnum numero: prout est vnum de numero intelligibiliũ, cùm numeretur inter intelligibilia contenta sub obiecto adæquato: licet in se sit commune pluribus. Licet ergo homo in communi dicatur vnum obiectum numero esse intelligibile, quia est vnum obiectum tantùm per se intelligibile, non tamen sequitur ex hoc quòd illa vnitas non sit minor vnitate numerali propriè dictâ. Et si dicatur: Ex quo intelligibilitas sequitur Entitatem rei cùm sit passio ipsius: Quomodo illa Entitas in se erit vna vnitate minore numerali, & tamen vnum numero per se intelligibile? Dico quòd ex hoc dicitur vnum numero, vt distinguitur contra plura, id est, quòd homo est vnum obiectum per se intelligibile, & asinus est vnum obiectum per se intelligibile, & similiter animal & corpus, & Ens, & vnâ intellectione natum intelligi; & datâ quacumque quidditate, illa potest dici vnum obiectum per se intelligibile: & hoc modò omnia obiecta partialia, vt integrant vnum obiectum adæquatum intellectus, possunt dici obiecta distincta numero; quia distinctis intellectionibus numero nata sunt intelligi: & tamen vt comparãtur adinuicem secundùm Entitatem propriam, illa obiecta distinguuntur specie, & aliquando genere: & tale vniuersale primo modo, quod dicitur vniuersale in potentia remota, vt natura humana indeterminata priuatiuè, licet sit communis pluribus: tamen vt est obiectum intelligibile dicitur vnum numero modo præexposito.

Si dicatur: Nonne scientia est vniuersalium: & per consequens, tale innelligibile erit vniuersale & commune?

Dico quòd benè scientia terminatur ad entitatem indifferentem ad plura inferiora: & tamen illa Entitas est vnum obiectum numero intelligibile, id est, quòd est vnum obiectum de numero omnium intelligibilium: & sic patet quòd non accipitur vnum propriè: vt includit hęcceitatem. Si verò accipiatur vniuersale, vt est indeterminatum contrariè: Dico quòd est vnum numero; quia talis indifferentia actualis, siue relatio actualis, quâ actu est indeterminatum ad plura supposita: est tantùm vnum numero, & sic vniuersale completum est tantùm vnum numero, accipiendo vnum numero propriè. Si dicatur, si tantùm est vnum numero: Ergo non includit vnitatem minorem vnitate numerali. Dico quòd ratione naturæ inclusæ dicit vnitatem illam minorem, ratione verò indeterminationis actualis additæ naturæ denominatione intrinsecâ, est tantùm vnum numero: cùm talis indeterminatio sit de se hęc: denominatione verò extrinsecâ dicuntur plura numero, quia tale vniuersale, vt sic, potentiâ proximâ prędicatur de omnibus inferioribus. Si dicatur: Quomodo vnum numero potest actu prædicari de

pluribus suppositis verè realiter: ita quòd quodlibet sit ipsum? Dico quòd si tale vniuersale tantùm includeret vnitatem numeralem, numquam posset verè prædicari de pluribus suppositis: tamen quia vltra illam indeterminationem singularem, includit naturam ex parte sui, ex natura rei indifferentem ad plura supposita in ratione naturæ, potest prædicari. Hæc Lichetus.

Secunda Conclusio.

Quomodo fit vnitas vniuersalis

IDem dicendum est de actione mentis per quam fit vnitas vniuersalis, atque dictum est de ea per quam fit vniuersale completum & actuale; quia vniuersale & vnitas eius mutuò cohærent, & hæc illud necessariò sequitur. Ideoque cùm superius ostenderimus vniuersale istud fieri per actionem comparatiuam intellectus: consequens est vt etiam vnitas vniuersalis fiat per actionē cōparatiuam intellectus. Rem tamen magis explico. Cùm vnitas vniuersalis sicut & ipsum vniuersale non in vna & incōplexa quadam ratione, sed in pluribus simul consistat, nimirum in præcisione positiua, in vnitate numerica vnius intelligibilis, & in actuali attributione & comparatione naturæ cum suis inferioribus; aliqua horum fiunt per actionem directam intellectus; alia autem per comparatiuam: Nam præcisio & vnitas numerica illius intelligibilis fiunt per actionem directam, quatenus nimirum intellectus in præscindendo, & in formando illud vnum intelligibile, directè agit, nec vnum confert cum alio. Attributio autem & comparatio naturæ cum suis inferioribus, fieri non potest nisi per actionem comparatiuam mentis, vt patet. Et quia ex sententia Scoti nostri, vniuersale nondum est completum & actuale, nisi per notitiam comparatiuam, quâ intellectus possibilis postquam naturam præcisè & abstractè apprehendit, confert illam sic conceptam cum rebus in quibus existit, & intelligit illam vt vnum quid aptum vt sit in multis, & de illis prædicetur: Ideò etiam consequenter dicendum est vnitatem vniuersalem nondum esse completam & actualem, nisi postquam intellectus comparauit naturam communem cum suis inferioribus, quatenus nimirum sic illam conferendo, apprehendit eam secundùm illam vnitatem, seu vnicam rationem quam habet, posse esse in multis & de multis prædicari; Ita vt licet in ipsa præcisione & abstractione, intelligi possit vnitas; nondum tamen intelligitur vt vnitas vniuersalis; quia nondum concipitur respectus ad multa, ratione cuius vnitas illa fit vniuersalis, & completur perfectè in ratione vnitatis vniuersalis.

QVÆSTIO VI.

Per quid res habeant vnitatem numericam, seu quod sit principium indiuiduationis rerum?



SVnt hac de re ferè tot sententiæ quot capita; vt tamen mentem Scoti nostri quæ penè ab omnibus probabilior iudicatur, assequamur,

Explicatur status quæstionis, & determinatur de quonā indiuiduationis principio sit præsens quęstio

Prænotandum 1. pro intelligentia sensus quæstionis, nos hîc non agere de indiuiduo & de vno, numero, quatenus est correlatiuum speciei, vt obseruauit Scotus noster in 2. dist. 3. q. 2. §. *Contra ista primò.* Sic enim ad Logicum pertinet, & eius indiuiduatio quę consistit in subijcibilitate ad speciem, est merum opus intellectus; Sed agere de indiuiduo Metaphysico & reali; quod vel secundùm considerationem mentis, vt docetur communiter, vel à parte rei, vt volumus, duo includit, nimirum naturam, & rationem per quam illa est indiuidua, singularis & vna numero; & quærimus quænam sit illa ratio per quam natura sit singularis & vna numero? Cùm autem duobus modis aliquid intelligi possit indiuiduum, & vnum numero, nimirum formaliter, & fundamentaliter proximè, non quærimus quo formaliter aliquid est tale: constat enim apud omnes quòd ipsâ indiuiduatione, singularitate, & vnitate numericâ; quemadmodum aliquid denominatur simile formaliter ipsâ similitudine: sed quærimus quo tanquam principio & fundamento proximo, aliquid est indiuiduum & vnum numero: quemadmodum si supposito quòd aliqui duo sunt sibi similes formaliter ipsâ similitudine, vlteriùs quæreretur quo tanquam fundamento, putà an albedine, an nigredine, vel aliquo alio, essent similes. Cùmque iterum duplex sit indiuiduationis principium & fundamentum, extrinsecum nimirum & intrinsecum: præsens quæstio non est de extrinseco, quod, vt docet Porphyrius in Vniuersalibus, cap. de Specie, consistit in quibusdam proprietatibus, quarum collectio nunquam in alio reperitur eadem, assignanturque communiter,

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

De quibus hæc præclatè habet Diuus Basilius lib. 2. contra Eunomium, paulò post initium: *Illicò per hanc vocem* (Petri videlicet) *intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui ex piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit. Nomen itaque hoc characterem nobis Petri circumscribit. Rursus cùm Pauli nomen audimus, aliarum concursum proprietatum mente concipimus, Tarsensem scilicet Hebræum, secundùm legem Pharisæum, Gamalielis discipulum, Ecclesiarum Dei ex zelo persecutorem, qui Apostolus Gen-*

tium fuit, &c. De eodem indiuiduationis principio extrinseco loquitur D. Damascenus lib. 3. cap. 11. Et illud quidem noster Ricardus in 2. dist. 3. art. 4. q. 1. appellat manifestatiuum potius quàm constitutiuum indiuiduationis. De illo inquam non loquimur, sed de intrinseco indiuiduationis principio, quod habet rationem verę & proprię differentiæ indiuidualis, & quærimus quidnam illud sit? Cùmque iterum illud duplex sit ex Doctore Subtili in 2. dist 3. q. 4. §. *Contra istam conclusionem*, scilicet interminatum, quomodo quodlibet indiuiduum alicuius vnius speciei dicitur vnum numero, & determinatum seu signatum; de indeterminato non loquimur, sed de determinato & signato hac determinatâ singularitate, & quærimus quodnam sit principiũ indiuiduationis eius? Nominales qui docent nullam naturam esse communem à parte rei, imò neque vniuersalem per intellectum (solos enim conceptus & voces vniuersales efficiunt) quique nullam distinctionem statuunt neque ex natura rei, neque rationis inter gradus superiores & inferiores, proindeque neque inter naturam specificam & differentiam indiuidualem; consequenter non laborant in assignando aliquo indiuiduationis principio: dicunt enim vnamquamque rem vel naturam per se esse indiuiduam primò & immediatè. Sed hæc sententia tanquam minùs peripatetica reijcitur communiter. Ceteri omnes qui distinguunt gradus superiores ab inferioribus, siue per intellectum, siue formaliter ex natura rei, magis laborant in assignando principio indiuiduationis. Suarez tom. 1. Metaphysic. per integram disputationem quintam, hanc rem certè contra morem suum, multis difficultatibus implicuit. Nam imprimis distinguit saltem per intellectum gradus superiores ab inferioribus. Deinde sect. 2. numer. 8. dicit indiuiduum aliquid reale addere præter naturam communem, ratione cuius tale indiuiduum est, & ei conuenit negatio diuisibilitatis in plura similia. Posteà num. 9. dicit indiuiduum vt sic, non addere aliquid ex natura rei distinctum à natura specifica: & licet num. 16. sese explicet, dicendo fieri posse vt quæ realia sunt, solâ ratione distinguantur: Tamen quî fieri potest vt illud quod addit indiuiduum, sit aliquid reale præter naturam, & tamen non sit quidpiam aliud à natura, atque adeo aliquid reale distinctum ab ipsa? Nam quid est aliquid esse præter aliud, quàm esse aliud quidpiam ab eo? Sed dato quòd hoc etiam verum sit; mihi non videtur satis explicare principium indiuiduationis, sequentibus sectionibus, cùm docet illud esse vniuscuiusque rei propriam entitatem: Nam iuxta hoc, redire videtur ad sententiam Nominalium, quam tamen ipse non probat. Adde quòd non erat opus vt distingueret principium indiuiduationis à natura. Nam cùm vniuscuiusque rei propria entitas non sit tantùm indiuidualis, sed etiam formalis & essentialis,

Variæ sententiæ referuntur.

æquè videtur dicere entitatem formalem & essentialem esse principium indiuiduationis, ac entitatem indiuidualem. Alij itaque omnes non assignant pro principio indiuiduationis, vniuscuiusque rei propriam entitatem adæquatè, sed aliquid illius propriæ entitatis, per quod habent singula indiuidua, quòd sint indiuidua & vna numero, & quòd differant à se inuicem: & eorum quidem, aliqui volunt illud esse negationem; alij entitatem positiuam; & quidem alij esse formam, alij materiam, alij materiam signatam, alij quantitatem, alij existentiam, alij realitatem aliquam vltimam vniuscuiusque entitatis, quam hæcceitatem vocant. Quid in tanta sententiarum multitudine dicendum sit, videbimus.

Differentia indiuidualis confertur cum speci-fica, & explicatur per ipsam.

Prænotandum tamen 1. ex Doctore Subtili in 2. dist. 3. qu. 6. differentiam indiuidualem quæ quidem est principium indiuiduationis, posse à nobis intelligi per comparationem & analogiam ad differentiam specificam. Quemadmodum itaque differentia specifica est quędam realitas actualis adueniens generi, quod est realitas potentialis, & simul cum eo constituens speciem: Ita differentia indiuidualis est quædam realitas veluti adueniens toti naturæ specificæ, vt realitati contrahibili & potentiali, & simul cum ea constituens indiuiduum. Et quemadmodum natura specifica habet ex differentia specifica quòd sit indiuisibilis per se in alias naturas specificas; ipsa autem differentia specifica est non tantùm per se, sed etiam per se primò indiuisibilis, tùm in naturas, tùm in alias differentias specificas: Ita indiuiduum habet ex differentia indiuiduali, quòd sit per se indiuisibile in alia indiuidua, tanquam in partes subiectiuas; ipsa verò differentia indiuidualis per se primò est indiuisibilis, tùm in alia indiuidua, tùm in alias differentias indiuiduales. Siquidem ex doctrina Scoti, quoties realitas aliqua est per se constitutiua alicuius in aliqua ratione; si res constituta sit ipsa ratio per se, constitutiuum eius erit eadem ratio per se primò: Quemadmodum, v. g. quæ conueniunt per se homini propter rationalitatem, conueniunt per se primò, ipsi rationalitati.

Prosequendo comparationes institutas; addo quòd quemadmodum duæ vltimæ differentiæ specificæ sunt primò diuersæ; ita duæ differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ; itaut in nullo communi conueniant, vt diximus primo libro. Item quemadmodum differentia specifica non distinguitur realiter, sed tantùm formaliter à natura generica: sic nec realiter, sed tantùm formaliter distinguitur differentia indiuidualis à natura specifica. Iterum; quemadmodum differentia specifica est eiusdem generis & prædicamenti cum genere quod contrahit: Ita differentia indiuidualis est eiusdem prędicamenti & generis cum specifica natura quam contrahit ad esse indiuidui. Cuius rei ratio est; quia indiuiduum est vnum Ens per se, repositum in eodem prædicamento cum sua

ſpecie: Ergo conſtituitur in eſſe indiuidui per aliquid ſui generis, alioqui non eſſet vnum per ſe.

In quibuſdam aliis rationibus conueniunt adhuc, ſed in multis etiam differunt. Primùm, quia differentia-ſpecifica pertinet ad eſſe quidditatiuum ſpeciei, & conſtituit eam in eſſe quidditatiuo, ſcilicet in eſſe quod exprimitur per definitionem: Sed differentia indiuidualis nec pertinet ad eſſe quidditatiuum indiuidui, nec conſtituit in eſſe quidditatiuo; licet ad entitatem & conceptum indiuidui intrinſecè pertineat. Ratio eſt, quia indiuiduum non habet aliam quidditatem à quidditate ſpeciei (alioqui indiuidua quidditatiuè differrent) habet tamen aliam entitatem ab entitate ſpeciei, illam ſcilicet per quam ſpecies ad eius eſſe contrahitur. Vndè licet ſpecies dicat totam quidditatem indiuidui, non dicit tamen totam entitatem. Ideoque tametſi dari poſſit aliqua ratio exprimens ipſam entitatem indiuidui; ipſa tamen non erit propriè definitio, quia non exprimet quod quid eſt ipſius rei.

Species eſt tota quidditas indiuidui.

Secundò differunt, quia differentia ſpecifica contrahit genus, tanquam aliqua realitas perfectior, nobilior & actualior quàm ſit genus ſecundùm ſe: Sed differentia indiuidualis non contrahit naturam ſpecificam, tanquam differentia formalis perfectior & nobilior; ita quòd ſecundùm ſe ſit aliquid nobilius & perfectius, quàm ſit ipſa natura; ſed potiùs ſicut differentia materialis; non quia eſt materia, quæ eſt altera pars compoſiti; ſed quia dat indiuiduo eſſe primum ſubijcibile omnibus ſui generis prædicabilibus de ipſo, in quo aſſimilatur materiæ, quæ omnibus ſubijcitur; vel quia contrahit ad eſſe indiuiduale, quod non pertinet ad conceptum quidditatiuum, nec ad quidditatem alicuius, quamquidem quidditatem Ariſtoteles 5. & 7. Metap. vocat formam: Indiuiduum verò vel differentiam indiuidualem appellat materiam, vt videbimus ſoluendo ea quæ afferuntur in fauorem materiæ, quam D. Tho. docet eſſe principium indiuiduationis. Quòd autem differentia indiuidualis non pertineat ad quidditatem alicuius, patet, quia omnis quidditas creata eſt communicabilis, imò ei non repugnat plurificari aut multiplicari ſecundùm ſe. Illud autem ad quod pertinet differentia indiuidualis, ſcilicet indiuiduum intrinſecè eſt implurificabile, ſicut ipſa differentia indiuidualis: & per conſequens oportet quòd ipſa differentia indiuidualis ſit alterius rationis ab ipſa quidditate quam contrahit. Prætereà, quia communis ſententia eſt ſpeciem dicere totam quidditatem indiuiduorũ: At ſi differentia indiuidualis ad quidditatem pertineret, hoc eſſet falſum; quia ſpecies nullam differentiam indiuidualem importat. Ex his ſequitur, meritò differentiam ſpecificam appellatam fuiſſe formalem, & differentiam indiuidualem, materialem; quia illa rem in eſſe quidditatiuo & formali, hęc verò in eſſe indiuiduali; ſubijcibili, & quaſi materiali conſtituit.

Ea pro-

Eapropter etiam entitas à qua sumitur differentia specifica, est formalis, vt docetur in Logica, & entitas seu potiùs realitas à qua sumitur differentia numerica est materialis, non à materia Physica, sed à materia Metaphysica, quæ est subijcibilitas. Ita, & his ferè verbis Doctor Subtilis loco citato.

Prænotandum 3. Nos hîc supponere aliqualem distinctionem inter naturam ipsam, & id per quod fit indiuidua, qualiscumque illa fit, siue formalis & Metaphysica, vt vult Doctor Subtilis in 2. dist. 3. quæst. 3. siue rationis cum aliquo fundamento in re, vt volunt alij. An autē huiusmodi distinctio fit prioris, vel posterioris conditionis, parum curo. His positis, videndum est quodnam sit principium indiuiduationis rerum omnium creatarum (nam de Deo, non est hæc quæstio) siue substantialium, siue accidentalium, siue simplicium, siue compositarum.

Prima Conclusio.

Tota entitas rei non est principium indiuiduationis.

NVlla natura est seipsâ totâ, seu per totam entitatem suam adæquatè sumptam, indiuidua & singularis. Conclusio est Doctoris Subtilis in 2. dist. 3. qu. 1. quem sequuntur Fonseca 5. Metaphysic. cap. 6. quæst. 3. & omnes Professores Parisienses. Et directè militat tùm aduersus Nominales, tùm aduersus quosdam alios, qui licet non negent naturas fieri posse communes, quemadmodum Nominales; volunt tamen esse vel fieri tantùm communes per rationem; & ex se ac secundùm rem esse singulares & indiuiduas; cuius sententiæ sunt Frater Adam in 1. dist. 33. qu. 8. art. 1. citato in margine Scoti. Suarez tom. 2. Metaphysic. disput. 5. sect. 6. num. 1. & alij pauci, inter quos citatur Durandus: sed de eius sententia peculariter tertiâ conclusione dicemus. Partim autē manet probata hæc veritas ex dictis de vnitate formali minore vnitate numericâ: partim nunc probabitur iterum vbi obseruauerimus Suarem loco proximè citato niti falsâ quadam interpretatione huius sententiæ, vt ab ea recedat. Dicit enim quòd sicut vnitas indiuidua pro formali, nō potest addere aliquid positiuū reale supra entitatē indiuiduam: quia quoad hoc eadem est ratio de illa, & de omni vnitate: Ita positiuum fundamentum huius vnitatis quoad negationem quam dicit, nihil positiuum addere potest physicè loquendo illi entitati, quæ vna & indiuidua denominatur: Ergo, inquit, illa entitas per seipsam est fundamentum huius negationis: Et hoc sensu dicitur in hac opinione, seipsâ esse principium indiuiduationis. Non enim negat hæc opinio in illa indiuidua entitate, posse ratione distingui naturam communem ab entitate singulari, & hoc indiuiduum addere supra speciem aliquid ratione distinctum, quod secundùm Metaphysicam considerationem habet rationem differentiæ indiuidualis: Sed tamen addit illam differentiam indiuidualem, non habere in substantia indiuidua speciale aliquod principium vel fundamentum, quod sit in re distinctum ab eius entitate, ideoque in hoc sensu dici-

Refertur positio Suarez.

mus vnāquamque entitatem per ſeipſam, eſſe ſuæ indiuiduationis principium. Hæc Suarez.

Confutatur Suarez.

Sed, vt dixi, hęc explicatio eſt valdè obſcura, & multa implicatiſſima relinquit. Imprimis enim falsū eſt in noſtra Schola, vnitaté nihil addere poſitiuum ſupra entitatem cuius eſt vnitas: Iſtud tamen tranſeat. Quod dicit poſtmodum; fundamentum poſitiuum huius vnitatis quoad negationem quam dicit, nihil poſitiuum addere poſſe phyſicè loquendo illi entitati quæ vna & indiuidua denominatur, non videtur rationabiliter & appoſitè dictum. Nam nullus vnquam dixit fundamentum, ſeu principium indiuiduationis addere aliquid poſitiuum ſupra entitatem indiuiduam & ſingularem totaliter & adæquatè ſumptam, cùm principium illud ſit aliquid ipſius entitatis adæquatè ſumptæ: ſed dicimus principium, ſeu fundamentum indiuiduationis addere aliquid poſitiuum ſupra naturam formaliter, & quidditatiuè ſumptam, per quod conſtituitur indiuidua & ſingularis. Nec tamen volumus additionem illam debere eſſe phyſicam, ſed ſufficit quòd ſit Metaphyſica & formalis: vnde deducimus nullam rem eſſe indiuiduam & ſingularem per ſuam propriam entitatem adæquatè ſumptam: ſed per illud quod additur metaphyſicè ſupra naturam quidditatiuè ſumptam ipſius entitatis. Denique non intelligo quid ſibi vult, cùm dicit illam opinionem quam ipſe explicat & ſequitur, docere differentiam illam indiuidualem, non habere in ſubſtantia indiuidua ſpeciale aliquod principium, vel fundamentum quod ſit in re diſtinctum ab eius entitate. Nam hic non quærimus principium, vel fundamentum differentię indiuidualis, ſed quærimus principium ipſius indiuiduationis, quod certè aliud non eſt quàm ipſa differentia indiuidualis, quodquidem diſtinguimus ab entitate indiuidua, tanquam partiale conſtitutiuum à toto conſtituto, & à natura ipſius entitatis quidditatiuè ſumpta formaliter & metaphyſicè, tanquam rationem aliquam contrahentem ipſam ad eſſe indiuidui & ſingularis. Hoc modo itaque explicata noſtra mente, ſic breuiter probatur concluſio.

Probatur concluſio.

Per principia proxima indiuiduationis, ſeu per differentias indiuiduales habét omnia indiuidua alicuius vnius ſpeciei, quòd differant: Nã certè differunt, & nō aliter differunt quam per differẽtias indiuiduales, quia tantùm indiuidualiter & numericè differunt. Sed illa non differunt per ſuam entitatem propriam adæquatè ſumptam. Ergo principia indiuiduationis non ſunt ipſamet entitas totalis & adæquata rerum ſingularium. Maior videtur ſatis clara & probata. Minor probatur. Entitatem ſingularem & indiuiduam conſtituit partialiter natura formaliter & quidditatiuè ſumpta. Sed indiuidua non differunt per naturam ſuam, imò potiùs in ea conueniunt, vt patet: Ergo indiuidua non differunt per ſuam entitatem indiuiduam, & ſingularem totaliter & adæquatè ſumptam. Scio controuerſiam eſſe de modo quo indi-

uidua conueniunt in natura, & circa hoc vnumquemque varia sentire; sed tandem negari non potest quin sit aliqua ratio conuenientiæ, etiam ante intellectum, indiuiduorum in natura specifica, quod sufficit ad hoc vt dicamus indiuidua non differre per suam entitatem adæquatè sumptam. Et quis non videt Petrum v. 4. non differre à Paulo, quia homo est, sed tantùm quia est hic homo; ita vt non humanitas, sed ipsa hiceitas humanitatis sit ratio cur differat à Paulo? Posito itaque quòd indiuidua differant non se totis, sed per aliquid sui; inquiramus iam quidnam illud sit. Et quia nonnulli voluerunt illud esse solùm negationem aliquam; ideo aduersus illos sit hæc

Secunda Conclusio.

Nulla natura est indiuidua per negationem.

NVlla natura est indiuidua proximè per negationem, ita quòd negatio sit principium indiuiduationis.' Est Scoti in 2. dist. 3. q. 2. aduersus Henricum citatum in margine, & probatur 1. Assignare pro principio & causa indiuiduationis negationem, est assignare idem tanquam causam sui ipsius. Hoc autem est impertinens. Ergo. Probatur maior. Negatio quæ assignatur ab Henrico tanquam causa indiuiduationis, est negatio diuisibilitatis in plures partes subiectiuas, seu in plura quorum quodlibet sit ipsum quod diuideretur. Sed hæc negatio est ipsamet indiuiduatio; quia indiuiduatio nihil est aliud quàm negatio diuisibilitatis aut diuisionis in plures partes subiectiuas. Ergo assignare negationé pro causa & principio indiuiduationis, est assignare idem pro causa sui ipsius. Confirmatur hoc, exemplo. Si quis peteret causam huius negationis, nimirum quare animal non sit lapis, nullus afferret negationem, nimirum priuationem vel carentiam ipsius esse lapidis; quia hoc nihil aliud esset, quàm dicere animal non esse lapidem quia non est lapis; sed afferret aliquam rationem positiuam, nimirum rationem viuentis sensitiui. Ergo à simili, cùm quæritur principium, ratio proxima, & causa indiuiduationis, nullus rectè assignauerit negationem, sed potius entitatem aliquam positiuam.

Præterea, quæri semper posset vnde ista negatio sit hæc? Quia cùm non posse diuidi in plures partes subiectiuas, sit eiusdem rationis in Sorte & in Platone v. g. vnde habebit vna istarum quòd sit negatio Sortis & non negatio Platonis, nisi per entitatem, vel realitatem aliquam positiuam, seipsâ primò hanc, & primò distinctam ab alia realitate positiua quæ est in Platone?

Insuper: Nihil prædicari per se potest de aliquo quod non est per se vnum, vt hìc supponit Doctor Subtilis ex 1. dist. 2. q. 2. Sed natura specifica prędicatur per se de quolibet indiduo. Ergo quodlibet indiuiduum suæ generalitatis scilicet, est vnum per se. At si constitueretur in esse indiuidui per negationem, non esset ens per se; quia nulla negatio constituit aliquod ens per se cum eo cui aduenit.

Ergo negatio non constituit indiuiduum, seu non est principium indiuiduationis.

Nec est quòd dicatur indiuiduũ recipere prædicationẽ naturæ per se, non ratione negationis, sed ratione naturæ inclusæ: quia tunc esset tantùm prædicatio eiusdem de seipso.

Denique, quod constituit aliquid in maiori perfectione quàm priùs fuerit, non potest esse negatio: Sed principium indiuiduationis constituit aliquid in maiori perfectione quàm priùs fuerit. Ergo illud non est aliqua negatio. Maior patet, quia negatio vt negatio, nullam dicit perfectionem. Minor probatur. Prima substantia est perfectior & magis substantia quàm secunda ex Arist. in Prædicamentis, cap. de Substantia: Sed prima substantia constituitur in esse primę substantiæ per principium indiuiduationis: quia prima substantia nihil est aliud quàm indiuiduum substantiæ: Ergo principium indiuiduationis constituit aliquid in maiori perfectione quàm prius fuerit.

Tandem duabus alijs rationibus probat istam veritatem Doctor Subtilis, nimirum tum quia non repugnat simpliciter alicui enti aliquid per solam negationem vel priuationem in eo, sed per aliquid positiuum: quantumcumque enim priuatio vel negatio tollat potentiam proximam ad aliquid, numquam tamen ponit repugnantiam, vt patet exemplo substantiæ denudatæ quantitate, quæ licet vt sic, non possit diuidi proximè, non habet tamen repugnantiam ad diuidi, quia haberet repugnantiam ad recipiendam quantitatem: per principium autem indiuiduationis repugnat diuisio in alias partes subiectiuas. Tum quia nulla imperfectio repugnat alicui nisi propter aliquid positium in eo: diuidi autem est quædam imperfectio vt patet, quia non potest competere naturę diuinæ. Ergo non conuenit indiuiduo nisi per aliquid positiuum. Sed quia rationes istę nonnihil continent difficultatis in Doctrina Scoti; ideò nolo vim in illis facere.

Destruitur fundamentũ Henrici.

Fundamentum Henrici erat, quòd vnitas omnis, ac proinde etiam numerica dicit tantùm negationem. Ad quod Doctor Subtilis duo dicit: Primum, negat propositionem absolutè. Secundum, dato adhuc quòd vera esset, dicit non sequi quin detur aliqua ratio positiua huius negationis: quemadmodum vnitas specifica dicit etiam negationem, & tamen illius datur ratio positiua.

Illis rationibus manet etiam impugnata sententia Ricardi nostri in 2. sentent. distinct. 3. art. 4. qu. 1. qui in reipsa idem omninò sentit quod authores impugnatæ sententiæ: Sic enim loquitur: Videtur ergo mihi dicendum quòd substantia Angeli est vna numero formaliter, non per aliquid reale superadditum essentiæ suæ, sed per essentiam suam sub ratione quâ indiuisibilis integritate suâ saluâ. Hoc dico, inquit, propter vnitatem speciei: Natura enim humana vt intellecta præter vnitatem & multitudinem, in-

telligitur non vt multiplicata, tamen vt multiplicabilis saluâ integritate suâ: quia quidquid debetur homini vnde homo est, totum saluatur in quolibet homine singulari: Indiuisibilitas autem non dicit aliquam rem positiuam: & sic vnitas numeralis ipsius Angeli & sua essentia non differunt nisi ratione, eò quòd vnitas super essentiam non addit nisi indiuisibilitatem prędictam. Hæc Ricardus: in quibus nihil habet quod satis non sit ex dictis impugnatum: placuit solùm de quæstione proposita mentem eius non prætermittere.

Tertia Conclusio.

Principia essētialia nō sunt principium indiuiduationis.

NVlla natura est indiuidua per sua principia quidditatiua & essentialia. Est aduersus Durandum in 2. dist. 3. q. 2. & probatur: Quia principia essentialia ea sunt in quibus indiuidua conueniunt. Ergo non sunt ea quibus differunt: differunt autem per principia indiuiduationis. Ergo principia indiuiduationis non sunt prædicata quidditatiua. Ita tamen pro sua sententia satis acutè ratiocinatur Durandus.

Afferūtur rationes durandi.

Eorum quæ sunt idem inquantum huiusmodi, sunt eadem principia. Sed natura vniuersalis & indiuidua seu singularis sunt idem secundū rem; differunt autē secundùm rationem: quia quod dicit species indeterminatè, indiuiduum dicit determinatè; quæ determinatio & indeterminatio sunt secundùm esse & intelligi: vniuersale enim est vnum solum secundū conceptum: singulare verò est vnum secundùm esse reale. Nam sicut actio intellectus facit vniuersale; sic actio agentis naturalis terminatur ad singulare. Ergo eadem principia secundùm rem, & differentia solùm secundùm rationem sunt quidditatis & indiuidui.

Secundò: Illud quod conuertitur cum ente, & de ijsdem prædicatur, non dicit aliquid additum super ea de quibus dicitur: sed esse indiuiduum conuertitur cum ente accepto secundùm esse reale: Nihil enim existit in re extrà nisi indiuiduum vel singulare. Ergo esse indiuiduum non cōuenit alicui per aliquid sibi additū: sed per illud quòd est. Per quid ergo est Sortes indiuiduum? Per illud per quod est existens: & hæc sunt extrinsecè finis & agens, cuius producere singulare, sicut & ipsum singulare est. Sicut enim actiones sunt singularium: ita ad singularia terminantur: intrinsecè autem sunt hæc materia & hæc forma. Quod si quæras, inquit, per quid forma est hæc? Dico quòd per illud per quod est in re extrà: & hoc est extrinsecè agens; materia autem concomitatiuè inquantum forma materialis sine materia non existeret. Idem dico de materia, nisi quòd sua indiuiduatio plus dependet à forma quàm è conuerso; quia forma magis est ratio essendi materiæ quàm è conuerso. Substantiæ autem separatæ nullo modo intrinsecè indiuiduantur nisi seipsis. Et est hoc intelligendum quòd si natura communis pluribus suppositis, esset in eis vna secundùm rem, quemadmodum in diuinis; opor-

teret tunc præter naturam communem & eius principia, quærere aliud quod esset principium constituendi suppositum, quemadmodum in diuinis relatio, eò quòd in natura communi non differunt supposita.

Sed nunc cùm natura communis diuersis indiuiduis, sit solũ vna secundum rationem, & diuersa secundum rem; non oportet præter naturam & principia naturæ, quærere alia principia indiuidui; sed eadem, vt sunt existentiæ, sicut natura communis & indiuiduum solùm differunt vt concepta & existens.

Confutatur Durandus.

Hæc Durandus, in quibus multa dicit quæ non carent maximis difficultatibus, etiam in sententia eius. Sed illis omissis, breuiter dico ad rationes eius: Ad primam quidem, Eorum quæ sunt idem secundùm rem tum physicè, tum Metaphysicè, eadem esse omninò principia, secundùm rem; eorum autem quæ sunt idem secundũ rem physicè solùm, & non Metaphysicè seu conceptibiliter, diuersa esse principia Metaphysica: Natura communis autem & indiuidua sunt huiusmodi vt probauimus. Ad cetera dicta primæ rationis patet solutio ex dictis: Ponimus enim discrimen inter naturam communem & naturam vniuersalem; vnde esto natura fiat vniuersalis per rationem, non fit tamen communis per rationem; sed secundùm se est communis, & à parte rei, Metaphysicè & conceptibiliter loquendo, distinguitur à natura indiuidua.

Ad secundã dico Illud quod conuertitur cum ente Metaphysico, & de eisdem prædicatur non dicere fortè (in hoc enim nunc non immoror) aliquid additum super ea de quibus dicitur: indiuiduum autem non conuertitur cum ente Metaphysicè accepto, neque cum natura Metaphysica, conceptibili, & definibili vt patet: sed addit aliquid Metaphysicum supra naturam illam quidditatiuè, & secundùm principia sua essentialia acceptam. Ideoque principia constitutiua naturæ vt sic, non sunt principia constitutiua indiuidui quà indiuiduum est. Addit Fonseca. 5. Metaphysic. c. 6. q. 5. sect. 3. conformiter doctrinæ suæ, sufficere distinctionem rationis inter naturam communem & indiuiduam, vt præter principia constitutiua naturę, quærantur principia indiuidui. Sed cùm in nostra sententia, maior sit distinctio inter naturam cõmunem & indiuiduam, quàm rationis, saltem Logica; parum refert vt sciamus vtrùm dictum illud Fonsecę verum sit, necne?

Quarta Conclusio.

Materia non est principium indiuiduationis.

NVlla natura substantialis physica & materialis est indiuidua per materiam, quocumque modo sumatur materia, siue simpliciter, siue quatenùs est signata. Hæc conclusio est aduersus celebrem opinionem celebris Doctoris D. Thomæ multis in locis doctrinæ suæ, scilicet 1. p. qu. 3. art. 2. ad 3. & qu. 50. art. 4. in corpore: Vbi simpliciter dicit materiam esse indiuiduationis principium, non exprimendo, an sit materia signata, vel

non signata. Citatur etiam 3. part. qu. 77. art. 2. sed ibi loquitur de indiuiduatione accidentium seu formarum inhęrentium, & earum indiuiduationis nationes assignat tam ex parte materiæ, quàm ex parte quantitatis. In libello autẽ de Ente & essentia c. 2. in fine, explicat quomodo materia sit principiũ indiuiduationis. *Sciendum est*, inquit, *quòd materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solùm materia signata, & dico materiam signatam quæ sub certis dimensionibus consideratur.*

Licet autem hęc nostra conclusio sufficienter probata sit ex probatione pręcedentis, quâ dictum est nullam planè naturam esse indiuiduam per sua principia essentialia; nunc tamen peculiariter probanda est, propter peculiares difficultates quas habet opposita sententia.

Probatur conclusio. Probamus itaq; primò materiã simpliciter spectatã non esse principiũ indiuiduationis. Mitto rationem illam vniuersalem desumptã ex eo quòd materia sit etiam pars essentialis compositi ex Arist. 7. Metaphysic. cap. de partibus definitionis, & probatur à Scoto in 3. dist. 32. ex quo sequitur eam non esse principium indiuiduationis. Probatur autem peculiariter hoc pacto à Scoto in 2. dist. 3. qu. 5.

Materiã simpliciter nõ esse principium indiuiduationis. Principium indiuiduationis debet esse maximè proprium rei singulari & indiuiduæ, ita quòd nec simul nec successiuè sit commune multis indiuiduis: Sed materia non est huiusmodi, quia eadem manens est communis successiuè multis indiuiduis, nimirum genito & corrupto: Ergo ipsa non est indiuiduationis principium. Hæc veritas est iam ab omnibus recepta; ideoque non est quòd in ea probanda diutiùs immoremur. Satis erit si rationes & authoritates quæ solent afferri aduersus illam, statim dissoluamus.

Materiam signatam non esse principium indiuiduationis. Addidit itaque D. Thomas non materiam simpliciter, sed materiam signatam esse principium indiuiduationis. Quid autem intelligat per materiam signatam, non constat inter eius discipulos. Quidam enim Thomistæ dicunt materiam signatam esse materiam cum quantitate actuali; alij verò esse materiam huius quantitatis capacem; alij esse materiam vt radicem & causam huius quantitatis. Prior modus explicandi materiam signatam est Capreoli in 2. dist. 3. qu. 1. art. 1. & Soncinatis li. 7. Metaphysic. qu. 34. Posteriores duo sunt Caietani, prior quidem de Ente & essentia cap. 2. qu. 5. Posterior verò 1. part. qu. 29. art. 1. Sed primus modus videtur esse expressior apud D. Thomam. Dicit enim de Ente & Essentia cap. 2. se intelligere per materiam signatam, materiam quæ sub certis dimensionibus consideratur, & qu. 2. de veritate art. 6. materiam cum determinatione harum vel illarum dimensionum. Explicatur quid sit materia signata.

Refutãtur omnes modi explicandi materiam signatã. Sic autem reprobatur: Vel quantitas inhæret soli materiæ, vel inhæret toti composito: Si soli materiæ, materia signata non erit potiori titulo principium indiuiduationis, quàm materia simpliciter: Quia sicut materia secundùm se, est indifferens ad va-

rias formas; ita materia signata seu affecta quantitate potest esse sub varijs formis. Nec est quòd dicatur, id esse verum de materia affecta dimensionibus interminatis: non autem de materia affecta dimensionibus terminatis & certis, de quibus solùm loquitur D. Thomas. Nam vel intelligunt per dimensiones terminatas, quantitatem certis longitudinis & latitudinis terminis constantem; & materia signata tali quantitate potest esse adhuc sub variis formis, vt patet in eodem baculo priùs viridi, & postea sicco: vel intelligunt quantitatem affectam certis dispositionibus qualitatiuis: & hoc stare non potest cum doctrina eorum; quia, vt optimè notauit Suarez, ipsi dicunt quantitatem ex propria ratione & effectu formali distinguere vnum indiuiduum ab alio: Ergo non conuenit hoc illi ratione aliarum qualitatum seu dispositionum, alioqui non materia signata quãtitate, sed materia quanta signata qualitatibus, deberet dici principium indiuiduationis. Adde quòd dispositiones illæ simul cum materia non possunt constituere vnum per se: indiuiduum autem est vnum per se. Si dicant quantitatem inhęrere toti composito. Ergo materia signata quantitate non erit principium indiuiduationis. Probatur: quia priùs est naturaliter compositum esse Ens aliquod substantiale, quàm esse affectum quantitate; quia forma priùs naturaliter recipitur in materia, quàm illa intelligatur esse quanta; & tunc forma indiuidua recipitur in materia indiuidua; quia generatio non est ad aliquid vniuersale, sed fit in singulari, estque rei singularis.

Reprobantur etiam duo modi dicendi Caietani, qui in idem incidunt. Capacitas enim materię ad hanc quantitatem; & materia vt radix & causa huius quantitatis, idem dicunt in reipsa. Nam non aliter materia est causa, & radix huius quantitatis, nisi quia est subiectum & causa materialis, in qua potest recipi, cùm ab agente naturali producitur, vel comproducitur: Hoc autem est materiam esse capacem huius quantitatis, & in potentiam ad illam.

Reprobantur autem per illam communem rationẽ desumptam ex Doctore Subtili in 2.dist.3.qu. 3. Coordinatio omnium rerum quæ per se spectant ad prædicamentum substantiæ, debet esse completa & perfecta absque omni respectu & habitudine ad res aliorum prædicamentorum; quia prædicamentum substantiæ est prius secundùm se reliquis prędicamentis. Sed non esset completa ista coordinatio, si materia vt radix huius quantitatis, esset principium indiuiduationis: Indiuiduum enim spectat ad complementum huius coordinationis, tanquam id quod illam claudit in descendendo, & tamen non constituitur, in illa sententia, in ratione indiuidui, nisi per habitudinem ad quantitatem: Ergo materia vt capax, seu vt radix & causa huius quantitatis, non est principium indiuiduationis.

Præterea: Potentia materiæ priùs

priùs respicit substantialem formam, quàm quantitatem (vt optimè ratiocinatur Suarez:) Ergo priùs etiam determinatur eius potentia ad hanc formam substantialem, quàm ad quantitatem: Ergo non signatur seu determinatur ad hanc formam per potentiam ad hanc quantitatem. Prima consequentia patet: tùm quia potentia determinatur ad actum modo sibi proportionato: Si ergo potentia ipsa substantialis est, & non respicit actum accidentalem, nisi medio substantiali, non determinatur nisi cum eadem habitudine & proportione: Tùm etiam, quia iuxta authores oppositæ sententiæ, in reipsa materia non recipit hanc quantitatem, nisi mediante hac formâ; & quia recipit hanc formam, ideò recipit hanc quantitatem: Ergo similiter in potentia non determinatur eius capacitas ad hanc quantitatem, nisi quatenùs determinatur ad hanc formam: Ergo potiùs materia cum habitudine ad hanc formam, esset principium indiuiduationis, quàm cum habitudine ad hanc quantitatem.

Alij quidam pressi his difficultatibus benignè interpretantur D. Thomam, dicendo illum voluisse tantùm materiam signatam esse vel occasionaliter, vel quoad nos principium indiuiduationis: occasionaliter quidem, quatenùs materia est principium corruptionum, ac consequenter generationum, per quas quotidie indiuiduis quibusdam corruptis, alia quædam suboriuntur, vt conseruentur species rerum; & quia hoc pacto, multiplicantur, & multiplicata distinguuntur; ideò volunt materiam sic dici posse principium indiuiduationis: & quidem materiam signatam quantitate; quia materia non potest alterari physicè, nisi mediâ quantitate. Quoad nos verò, quatenùs per materiam signatam quantitate non solùm mathematicâ, sed etiam physicâ & sensibili cognoscimus distinctionem indiuiduorum materialium inter se: & hoc dicunt docuisse D. Thomam Opuscul. 32. de natura materię, & dimensionibus interminatis, cap. 3. Sed quidquid sit de mente D. Thomæ: Videtur esse nimis diminuta, æquiuoca, aliena, & incerta huiusmodi principij indiuiduationis ratio. Non enim quærimus hîc solùm occasiones, vel signa distinctionis indiuiduorum; sed ipsummet principium constitutionis & distinctionis eorumdem.

Superest vt ad authoritates Aristotelis quas refert Scotus in 2. dist. 3. qu. 5. aliquid dicamus. Imprimis dicit 5. Metaphysicorum, cap. 6. ea esse vnum numero, quorum est materia vna: & 7. Metaphysic. cap. 8. docet generans esse sufficiens, vt faciat, & causa sit speciei esse in materia: *Tota verò iam talis species*, inquit, *in his carnibus & ossibus Callias & Socrates: & diuersa quidem, propter materiam.* cap. 10. postquam docuit hominem vniuersalem constare ex forma & materia communi, ita subdit: *Singulare autem ex vltima materia, iam Socrates est.* Et cap. 11. in fine dicit, *quòd in his quæ sunt sine materia, idem est quod quid est, cum illo cuius est: In conceptis verò*

Respondetur quibusdam authoritatibus Philosophi.

cum materia non est idem quòd quid est cum eo cuius est. Ex quo sequitur materiam non esse partem quidditatis, sed potiùs esse extra ratione eius: & tamen cùm sit aliquid in entibus, erit pars indiuidui, vel indiuiduatio totius. Item 14. Metaphysic. capit. 8. habet. *Quòd autem cælum sit vnum, manifestum est: si enim plures essent cæli vt homines, principium vniuscuiusque erit specie vnum, numero multa. At quæcumque multa numero, materiam habent.*

Sed istis authoritatibus, imprimis opponit Doctor Subtilis alias quasdam authoritates desumptas tùm ex 7. tùm ex 12. Metaphysicorum, quibus ostendit non fuisse mentem Aristotelis, vt materia physica esset principium indiuiduationis. Tùm quia istis locis, docet Philosophus materiam physicam esse partem quidditatis sicut & forma; tùm etiam, quia sicut principia simplicia dupliciter dicuntur, nimirum vniuersaliter, & singulariter; ita etiam compositum dicitur vniuersaliter & singulariter. Per principia autem illa intelligit materiam & formam. Quòd si materiæ sicut & formæ, competit vniuersaliter & singulariter dici; ipsa non poterit esse principium indiuiduationis; quia ipsa non erit per se, & de se indiuidua. Itaque ad authoritates Aristotelis ingeniosè distinguit Scotus de materia: docet enim duplicem esse materiam, nimirum physicam & metaphysicam. Materia physica est altera pars compositi naturalis perfectibilis & potentialis. Materia Metaphysica est principium indiuiduationis. Prior vocatur materia partis, id est, materia quæ est pars. Posterior verò appellatur materia totius, id est, materia quæ est totum. Et vt ista distinctio meliùs intelligatur; docet etiam ex mente Aristotelis, duplicem esse formam, nimirum Physicam & Metaphysicam. Forma Physica est altera pars compositi naturalis, perfectiua & specificatiua. Forma Metaphysica est quidditas tota alicuius rei, quam frequenter Aristoteles appellat formam. Sicut autem formæ Physicæ correspondet materia Physica: Ita formæ Metaphysicæ correspondet materia Metaphysica, ex quibus coalescit indiuiduum, quod est aliqua species totius Metaphysici. Propter aliquot rationes verò principiũ indiuiduationis appellatur materia; sicut & quidditas, forma. Tùm quia nimirum quidditas cõstituit rem in esse prædicabilis; differentia autem indiuiduans in esse subijcibilis: Prædicatum autem est simile formæ, subiectum verò materiæ. Tùm quia quidditas est communicabilis: differentia autem indiuiduans incommunicabilis: Formę autem est multis communicari, & materiæ formam ad vnum quidpiam contrahere & determinare. Tùm quia licet differentia indiuiduans contrahat quidditatem, tamen potiùs perficitur à quidditate quàm perficiat quidditatem, in quo distinguitur à differentijs specificis, quæquidem perficiunt genera quæ contrahunt; perficere autem est formæ, sicut perfici, materiæ.

Quid sit materia Metaphysica & totius. Itē quid forma Metaphysica & totius.

Hoc posito, respondet Doctor Subtilis Aristotelem intelligendum esse de materia Metaphysica, non autem de materia physica: per hanc enim distinctionem soluit omnes ferè authoritates Philosophi.

Verùm ista distinctio non placet modernis præsertim Fonsecæ 5. Metaphysic. cap. 6. q. 5. sect. 4. Quia, inquit, durum est admodum accipere his locis materiam aliter quàm pro vera materiam physica. Fateor esse quædam testimonia Aristotelis quæ de alia materia quàm de physica vix possunt intelligi, vt est istud præsertim. *Tota verò iam talis species in his carnibus & ossibus Callias & Socrates:* Sed hæc etiam testimonia aliter soluit Scotus in 2. dist. 3. q. 6. §. *ad quæstionem quintam præcedentem*, post medium: vbi habet, quòd licet forma sit principalius distinctiuũ quàm materia; quia compositum principaliùs habet esse à forma, atque consequenter habet ab eadem quòd sit vnum, ideoque quòd sit indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio; Tamen ratio distinctiui appropriatur potiùs materiæ quàm formæ, quia forma non modò est distinctiua, sed etiam assimilatiua: Materia autem nullo modo est assimilatiua, quia generans non assimilat sibi genitum ratione materiæ. Restat itaque quòd sit distinctiua, non tamen principaliter, sed solùm consequenter; quia generans necessariò perficit aliam materiam generando, quã suam propriam. Cùm enim sua materia iam perfecta sit per formam suam; oportet vt forma quã introducit, perficiat aliam materiam: Et hac ratione dici potest materia distinctiua atq; multiplicatiua indiuiduorum, scilicet appropriatè & consequenter. Per has duas responsiones solui possunt omnes prædictę authoritates Philosophi. Addũt Fonseca 5. Metaphysic, cap. 6. q. 4. sect. 6. & q. 5. sect. 4. & Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 5. sect. 3. num. 33. & 34. Aristotelem numquam ex professo & Metaphysicè Principium indiuiduationis inuestigasse; sed physico more docuisse quo pacto ex sensibilibus, vnum indiuiduum ab alio secernere possimus. Hæc solutio minùs fauet Aristoteli: meliùs tamen videtur saluare rigorem textus illius. Qui magis deferre voluerit Aristoteli, vti poterit solutionibus Doctoris Subtilis.

Quinta Conclusio.

NVlla natura completa substantialis physica, est indiuidua per formam. Conclusio est aduersus Durandum loco superiùs citato, & Franciscum Suarem tomo. 1. Metaphysic. disp. 5. sect. 4. qui licet impugnet quædam dicta Durandi de indiuiduatione materiæ, ostendens materiam non indiuiduari per formam: Tamen cum eo in hoc conuenit, quòd asserat formam esse potissimum indiuiduationis principium. Probatur autem conclusio: Forma dat solùm esse specificum. Ergo non dat esse indiuiduale. Probatur antecedens. Imprimis nullus negare potest quin det esse specificum: Hoc enim affirmat Aristoteles mul-

Forma physica non est principium indiuiduationis.

De Bas[s]olis in 2. dist. 12. q. 4. hanc rẽ optimè pertractat.

tis in locis, & prætereà videmus res in determinatis quibusdam speciebus entium constitui per formas. Restat probandum quòd det solùm esse specificum. Dare esse specificum est adæquata ratio formæ, quatenus forma est constitutiua gradus: non enim loquimur de forma prout est informatiua materiæ & constitutiua compositi: Ergo forma dat solùm esse specificum. Probatur antecedens: Adæquata ratio formæ, vt est constitutiua gradus, est collocare rem sub determinato genere, & efficere vt conueniat cum multis alijs quæ sub eodem genere continentur. Quemadmodum enim forma distinguit specificè, ita assimilat numero distincta: Sed hoc est esse specificum. Ergo adæquata ratio formæ est dare esse specificum.

Prętereà, forma vt forma non est hæc; nam si de se esset hæc; quęlibet alia entitas de se posset esse hæc; & sic non oporteret quærere aliud indiuiduationis principium. Sed indiuiduationis principium debet esse hoc per se & primò. Ergo forma non est indiuiduationis principium.

Prætereà, ratione formę indiuidua conueniunt & sunt similia. Ergo non distinguūtur. Quia non potest vnum & idem quatenus idem, esse principium conuenientiæ, & disconuenientiæ aliquorum ab inuicem.

Opposita sententia nullis nititur rationibus quæ mereantur huc referri. Imò verò conuicta nostris rationibus, cogitur asserere formā substantialem esse hanc intrinsecè per suammet entitatem, à qua secundùm vltimum gradum seu realitatem sumitur differentia indiuidualis eius: Ita Suarez loco citato, sect. 6. num. 5. Hoc autem est reipsa nobiscum sentire, & verbis solùm dissentire. Nam si semel ponatur vltimus aliquis gradus, seu vltima realitas in forma, à qua sumatur differentia indiuiduans ipsius formæ; certè hoc erit ponere ipsum idem quod ponit Scotus.

Obijcit solùm Suarez pro sua sententia, authoritatem Aristotelis 2. de anima cap. 1. in initio, vbi dicit formam esse quæ constituit *hoc aliquid*, ex qua authoritate dicit esse sumendum præcipuum fundamentum suæ sententiæ; quia per, *hoc aliquid*, intelligi debet singulare. Hoc tamen fundamentum est valdè debile: quia falsum est per, *hoc aliquid*, Aristotelem intelligere hìc singulare. Audiamus doctissimum Pacium egregium Philosophi interpretem in suis Commentarijs ad hunc locum: *Materia non est hoc aliquid, idest, per se non subsistit, sed per formam: forma autem est quæ facit hoc esse aliquid, idest, quæ facit rem consistere, & esse id quod est. Obserua aliter accipi in præsentia hoc aliquid, aliter in Cathegorijs, capite de substantia. Ibi namque solæ substantiæ indiuiduæ vocantur hoc aliquid, vt Socrates, Plato: Hic verò omnes substantiæ compositæ.* Hucusque Pacius. Impugnatur Suarez.

Obijciuntur prætereà quædā authoritates Cōmentatoris. Sed quę fuerit eius mens de hac re, parùm curamus: vel dicere possumus illud idem sensisse, quod Aristo-

teles nunc citatus. Quod si apertè dixerit substantiam n n esse vnam nisi per formam; explicari potest dicendo substantiam non esse vnam specificè, vel etiam vnum indiuiduum huius aut alterius speciei, nisi per formam.

Sexta Conclusio.

Quantitas nō est principium indiuiduationis.

NVlla natura substantialis siue completa siue incompleta, est indiuidua per quantitatem. Conclusio est contra Gotfredum citatum in margine Doctoris Subtilis, in 2. Sententiarum distinctione 3. quæst. 4. & probatur ab eodem Doctore eo loci. Primò ex eo quòd nulla natura substantialis sit indiuidua per accidens. Secundò specialiter quòd non per quantitatem, primùm probatur sic: Illud non est principium indiuiduationis ipsius substantiæ, quod secundùm totum genus suum, est posterius ipsa substantia secundùm totum genus suum; sed substantia secundùm totum genus suum, est prior accidente: Ergo nullum accidens est principium indiuiduationis eius.

Maior patet, quia nunquam prius in suo priori dependet à posteriori. Minor probatur ex 7. Metaphysicorum, vbi dicitur quòd substantia est prior accidente naturâ, definitione & tempore. Quibus addit Commentator ibidem, indiuiduum substantiæ prius esse indiuiduo accidentis.

Dices quòd prima substantia non est prior accidente. Sed contrà: Quandocumque aliquid est prius altero, maximè primum illius est prius ipso: sed maximè primum substantiæ in communi, est substantia prima: igitur substantia prima est prior simpliciter omni accidente: & ita est prius hæc, quàm aliquo modo indiuiduetur per aliquod accidens.

Dices iterum quòd licet prima substantia sit prior quantitate in essendo; non tamen in diuidendo & in indiuiduando. Sed contrà. Ista responsio seipsam destruit: Quia si prima substantia est prior naturaliter in essendo accidente, putà quantitate; & non potest intelligi prima substantia in suo esse nisi in quantùm hæc; ergo non erit hæc per aliquod accidens. Præterea, forma est simpliciter prior composito, ex Aristotele 7. Metap. ergo si accidens, putà quantitas, sit forma primæ substantiæ, ipsa erit prior prima substantia in essendo: quòd si non sit forma in essendo; igitur nec in vnitate competente primæ substantiæ quatenus est prima substantia; quamlibet enim entitatem consequitur propria vnitas, quæ non habet aliam causam propriam sui quàm causam entitatis cuius est vnitas. Præterea, eodem modo substantia est prior naturaliter omni accidente, quo est subiectum omnium accidentium: in quantùm enim subiectum probatur esse prius definitione omni accidente; quia sic ponitur in ordine cuiuslibet definitionis per additamentum; sed vt est subiectum, est hæc substantia: etenim secundùm Philosophum 12. Metaph. singularium effectuum sunt causę singulares in quocumque

genere causæ; igitur singularis accidentis causa materialis est subiectum singulare.

Probatur secundò principaliter ista prior pars conclusionis, sic. Impossibile est quòd substantia non mutata substantialiter, de hac substantia, fiat non hæc; vel de non hac, fiat hęc: sed si aliquod accidens esset principium indiuiduationis substantiæ, hoc esset possibile: ergo fieri non potest vt accidens sit principium indiuiduationis substantiæ. Maior videtur nota; implicat enim v. g. quòd Petrus fiat non Petrus vel Paulus, si nulla mutatio substantialis fiat in ipso: manentibus enim omnibus substantialibus Petri, ceteris circùmscriptis, semper remanebit Petrus. Minor probatur. Si accidens est principium indiuiduationis substantiæ, mutatis accidentibus mutantur indiuidua substantiæ; sed Deus absque contradictione potest hanc substantiam Petri, v. g. conseruare sine suis accidentibus, & alijs accidentibus afficere, nullâ factâ circa eam substantiali mutatione. Ergo si accidens est principium indiuiduationis substantię, sequitur eandem substantiam non mutatam substantialiter, posse fieri de hac non hanc, & esse aliam & aliam numero substantiam simul vel successiuè. Prima consequentia est euidens; quia variato principio indiuiduationis, variatur indiuiduum: sed assumptum probatur; quia substantia est reipsâ distincta & prior naturaliter omnibus accidentibus, à quibus non dependet nec in esse nec in conseruari; ergo absque contradictione potest Deus hanc substantiam absque aliquo accidenti conseruare, & alijs accidentibus afficere.

Sed dices forsitan hoc probari per miraculum; & ideò non concludere contra rationem naturalem. Contrà: Miraculum non potest ponere contradictoria, ad quæ nulla est potentia; sed contradictio est eamdem substantiam manentem, esse duas substantias, sine mutatione substantiali, & hoc tam successiuè quàm simul; istud tamen sequitur euidenter si per aliquod accidens substantia esset formaliter indiuidua; tunc enim accidente succedente accidenti, eadem substantia non mutata esset successiuè duæ substantiæ. Confirmatur etiam à simili de natura specifica: quia impossibile est vnam substantiam manentem non mutatam specificè, esse simul vel successiuè hanc speciem, & non hanc speciem; ergo impossibile est vnam substantiam manentem non mutatam substantialiter, esse simul vel successiuè hanc substantiam numero, & non hanc.

Tertiò. In quacumque coordinatione prædicamentali sunt omnia pertinentia ad illam coordinationem, circumscripto quocumque alio quod non est aliquid illius coordinationis essentialiter, patet; quia duæ coordinationes sunt primò diuersæ, & ita nihil vnius est tale per aliquid coordinationis alterius; sed ad coordinationem prædicamenti substantiæ, quatenus est clausa superiùs & inferiùs, sicut pertinet aliquod primũ prædicatum, de quo nihil prædicatur: Ita pertinet infimum subiectum, cui

nihil subijcitur. Istud autem est substantia hæc & singularis. Ergo substantia non est hæc & singularis per aliquid alterius prædicamenti: Ergo non per vllum accidens.

Nec valet responsio Caietani de Ente & Essentia cap. 2. dicentis rem repositam in aliquo prędicamento, esse independentem quidem à quocumque alterius coordinationis; non tamen omnem conditionem sine qua non reponeretur in tali prędicamento: Ideoque substantiam indiuiduam esse quidē independentem à quocumque alterius coordinationis; non tamen omnem conditionem sine qua non esset in prędicamento substantiæ, cuiusmodi est singularitas seu differentia indiuiduans. Hoc inquam non valet; quia imprimis gratis omninò & sine fundamento dicitur.

Prætereà: Differentia indiuiduans est per se primò constitutiua indiuidui: Ergo differentia indiuiduans substantiæ, est per se primò constitutiua substantiæ primæ: Ergo quemadmodum genus & differentia sunt partes substantiales constitutiuæ substantiæ secundæ; ita etiam natura substantialis, & differentia indiuiduans sunt partes substantiales constitutiuæ substantiæ primę suo modo. Ideò differentia indiuiduans substantiæ primæ nō est conditio ipsius substantiæ, sed est entitas quædam substantialis, ad idem genus cum ipsa substantia cuius est, pertinens, vt docet Scotus in 2. dist. 3. q. 6.

Quartò: In qualibet coordinatione, circumscripto quocumque alterius coordinationis, dantur aliquæ species. Nullus enim sibi potest imaginari species alicuius prædicamenti, constitui in ratione talium specierum, per rationes aliquas aliorum prædicamentorum. Sed de ratione speciei est quòd sit prædicabilis de pluribus differentibus numero: Ergo sicut dantur species prædicabiles, seclusis aliis prædicamentis; dari quoque debent indiuidua seu singularia numero distincta tanquā correlata taliū specierum, & eis subijcibilia, seclusis aliis prędicamentis. Ergo in coordinatione substantiali, dari debent indiuidua & singularia seclusis coordinationibus accidentium. Ergo substantia non est indiuidua & singularis per aliquod accidens.

Quintò: Infimum subijcibile & subiectum recipit per se prędicationem cuiuslibet prędicabilis, sicut primum prędicatum prędicatur per se de quolibet illius coordinationis. Sed ens per accidens inquantum ens per accidens, nullius recipit prædicationem per se. Igitur infimum subijcibile non potest esse ens per accidens. Sed si substantia esset indiuidua per aliquod accidens, indiuiduum substantię esset ens per accidens, quia aggregatum ex rebus diuersorum generum est ens per accidens, ex Arist. 5. Metaphysic. Ergo nulla substantia potest esse singularis & indiuidua per aliquod accidens. Et hę quidem rationes probant etiam nullum accidens indiuiduari per substantiam; sed de hoc specialiùs sumus dicturi.

Non esset ampliùs immoran-

dum in probanda secunda parte conclusionis; nimirum nullam substantiam indiuiduari per quātitatem: Quia cùm rationes allatæ probent quòd per nullum accidens omninò indiuiduetur; probant consequenter quòd neque per quantitatem. Tamen non erit superfluum subijcere peculiares rationes, quas ad id probandum habet Doctor Subtilis. Sed antequam primam subijciamus; supponendum est ex ipso, duarum productionum completarum & substantialium, non posse eandem substantiam esse primum terminum: Quia tunc per vtramque acciperet perfectum esse substantiale, cùm vtraque sit completa; & ita idem bis produceretur secundùm idem esse simpliciter. Probatur. Si istę duę productiones non essent simul, sed successiuæ; eadem substantia per se & actu existens producta per vnam productionem, produceretur per aliam, cùm iam priùs actu existeret, qnod tamen implicat. Hoc supposito sic ratiocinatur Scotus:

Quantitas nō est principium indiuiduationis.

Transsubstantiato pane in Corpus Christi, manet eadem quantitas quæ in ipso pręfuerat. Creetur igitur alius panis, qui istâ quantitate manente afficiatur.. Tunc sic: Si quantitas est principium indiuiduationis, sequitur quòd hic panis creatus est idem numero cum pane priùs genito & transsubstantiato; quia eâdem singularitate signatâ afficiuntur: Ergo idem numero panis erit terminus primus generationis & creationis, quod est contra suppositionem. Et vlteriùs: Ergo idem panis numero erit transsubstantiatus & nō transsubstantiatus. Imò sequitur nullum panem esse transsubstantiatum; quia non panis vniuersalis, nec panis hic singularis, quiquidem manet, cùm maneat quantitas quâ erat formaliter hic panis.

Secundò. Si quantitas esset principium indiuiduationis substantiæ; aut illa esset quantitas terminata, aut quantitas interminata. Non quantitas terminata; quia ex aduersarijs, illa sequitur esse formæ in materia, & per consequens singularitatem substantiæ: Quia sicut substantia est causa eius, vt est terminata; ita hęc substantia est causa eius, vt est hæc terminata. Non item quantitas interminata: quia etiam ex ipsis illa manet eadem in genito & corrupto: Ergo non est causa alicuius singularitatis terminatæ.

Si dicatur quòd non sequitur; quia quantitas non ponitur causa singularitatis, nisi pręsuppositâ vnitate specificâ: generatum autem & corruptum non sunt eiusdem speciei. Contrà: Supposito quòd ex aqua primò generetur ignis, secundò ex igne generetur aqua: in prima aqua corrupta, & in secunda generata est eadem quantitas: & non solùm quantitas interminata, sed etiam terminata, quia potest habere eundem terminum à forma, vel saltem sufficit eadem interminata, & illa ex aduersarijs est causa singularitatis pręsuppositâ vnitate specificâ: Ergo prima aqua, & secunda aqua sunt hæc aqua eadem numero, quod videtur impossibile; quia idem

idem indiuiduum numero non redit naturali actione ex 2. de Generat. & 5. Physic.

Tertiò: Generans inquantum generans, circumscripto omni alio, distinguitur à genito: quia non est intelligibile quòd idem generet se: Nam etiam in diuinis persona non generat se. Sed generans inquantum generans non includit quantitatem, vt proprium principium generatium, nec genitum vt genitum includit quantitatem, vt per se formalem terminum generationis: Ergo circunscriptâ vtraque quantitate, scilicet ganneretis & geniti, hæc substantia distinguerctur ab illa numero.

Quartò, probatur ita à nostro Ioan. de Bassolis in 2. dist. 12. qu. 4. art. 1. §. *sed contra istam opinionem:* Si quantitas esset principium indiuiduationis substantiæ; esset quoque principium indiuiduationis corporis Christi. Ergo ex vi horum verborum: *Hoc est corpus meum*, quantitas corporis Christi ponitur sub hostia consecrata. Patet: Quia ex vi horum verborum, ponitur corpus Christi sub hostia: Ergo & sua singularitas, quæ est sua quantitas. Hoc autem est contra omnes Theologos, & contra rei veritatem: Quia virtute prędictorum verborum, nihil ponitur sub hostia per se & directè, nisi in quod transsubstantiatur panis: At non transsubstantiatur in quantitatem: tunc enim non esset transsubstantiatio, sed transaccidentatio: Ergo quantitas non est principium indiuiduationis substantiæ.

Quintò. Probabile est in condensatione & rarefactione mutari quantitatem, & non remanere eandem. Manet tamen eadem substantia cuius est ipsa quantitas. Ergo quantitas non est differentia indiuiduans substantiam. Patet; quia illud non potest esse ratio essendi substantiæ, hoc & vnum numero, quo mutato numericè, manet tamen substantia eadem numero.

Sextò. Si quantitas esset principium indiuiduationis substantiæ, oporteret ipsam seipsâ, primò esse hanc, & de se numero distinctam ab alia. Quia quod est tantùm specie vnum, non potest esse alteri, ratio essendi vnum numero. Falsum est autem quantitatem de se, esse vnam numero. Rationes enim superiùs allatæ de vnitate naturæ minore vnitate numericâ, æquè concludunt de natura quantitatis, atque de omni alia natura. Nam manifestum est quòd ratio lineæ de se communis est huic lineæ & illi; nec maior est contradictio intelligere lineam sub ratione alicuius communis, quàm hominem. Patet etiam quòd linea & superficies sunt eiusdem rationis in hac aqua, & in illa v. gr. Ergo non per quantitatem habet hæc aqua quòd sit hæc aqua, sed per aliquid aliud.

Dicerent fortassis authores oppositæ sententiæ, quantitatem absolutè spectatam non esse de se hanc & vnam numero, sed vt habet situm aliquem determinatum. Contrà: Quæro, inquit, Scotus, de quo situ sit sermo; aut de situ qui est prędicamentum, & iste est naturaliter posterior quantitate; aut de situ, qui est

differentia quantitatis, prout quantitas dicitur constare ex partibus habentibus positionem: & de hoc situ est eadem difficultas atq; de ipsa quantitate. Non enim est notius partes permanentes, & continuatas (quę duo scilicet continuationem & permanentiam includit positio, vt est differentia quantitatis) quàm quòd hæc quantitas differat seipsâ ab illa.

Ægidi' ponit aliquid causatũ à quantitate, esse principium indiuiduationis.

Propter istas rationes, Ægidius quodlibeto 1. qu. 5. art. 1. apud Doctorem Subtilem, aliter tenet substantiam indiuiduari, nimirum non per quantitatem, sed per aliquid causatum à quantitate, quod ipse Ægidius & Caietanus de Ente & Essentia cap. 2. vocant signationem substantiæ. Sed Doctor Subtilis ostendit hoc dici non posse, ex eo nimirum, quia si quantitas ipsa quæ est prior naturaliter ipso causato, non sit eadem substantiæ; ipsum quod sic causabitur à quantitate, minùs erit idẽ ipsimet substantiæ: quotiescumque enim duo respiciunt aliquod tertium, quorum vnum est naturaliter prius altero; si istud prius non sit idem realiter ipsi tertio, posterius erit minùs idem realiter illi.

Confutatur.

Sustinet tamen Caietanus acriter contra Scotum id fieri posse. Quemadmodum enim, inquit, potentia materiæ est eadem materiæ, & tamen dependet à forma tanquam à proprio actu; ita signatio substantiæ est eadem realiter substantiæ, & tamen dependet & causatur à quantitate. Verùm, dico impossibile esse vt capacitas vel potentia materiæ sit causata à forma, & tamen sit eadem realiter ipsi materiæ. Nam quidquid est idem realiter materiæ, debet præcedere formam; aliàs materia secundùm omnem suam entitatem realem, non esset prior forma, quod est contra Aristotelem: Ergo multò magis præcedere debet id quod est à forma: illa autem potentia seu capacitas materiæ est idem realiter ipsi materiæ: Ergo causari non potest à forma. Et certè quocumque modo sumatur potentia seu capacitas materiæ, non videtur dici posse causata à forma, quamquam satis explicari non possit nisi per habitudinem ad formam.

Euasio Caietani dissoluitur.

Quòd si fingere possit Caietanus aliquam capacitatem materiæ causatam à forma; euidentissimè demonstrabimus eam non posse esse eandem reipsâ cum materia. Non valet itaque hoc exemplum ad ostendendum signationem illam esse causatam à quantitate, & tamen esse eandem cum substantia quæ est signata.

Secundò arguit Doctor Subtilis contra positionem Ægidij. Substantia est causa quantitatis. Ergo hæc substantia est causa huius quantitatis: Ergo hęc quantitas est causatum respectu huius substantiæ: Ergo non potest esse ratio cur hęc substantia sit hęc substantia: quia aliàs causatũ esset causa suæ causæ; quod implicat.

Respondet Caietanus non implicare, modò id contingat in diuerso genere causæ, vt contingit in allato proposito: Materia enim signata est causa quantitatis in genere causæ materialis: quantitas autem est causa materiæ si-

gnatæ in genere causæ formalis, vt actus potentiæ, & hac ratione dixit Philosophus 2. Physic. causas esse sibiinuicem causas: *Non ergo inconueniens est*, inquit, *causam in causando, dependere à causato, vt non causato, sed vt causa est secundùm aliud genus causæ.*

Nullū causatū potest esse causa suæ causæ.

Ista tamen solutio videtur omninò voluntaria: quia impossibile est omninò quòd aliquid causatum etiam in genere causæ materialis, sit causa suæ causæ in genere causæ formalis: quia tunc idem esset realiter & essentialiter prius & posterius respectu eiusdem. Si enim a. est causa materialis b. erit realiter prius ipso; & si b. est causa formalis ipsius a. sequitur quòd erit prius realiter ipso à causato. Non enim est intelligibile causam in quocumque genere causæ, esse realiter posteriorem ipso causato. Si ergo materia signata est causa materialis quantitatis; sequitur quòd erit realiter prior ipsa quantitate: & ex alia parte, si materia vt signata est realiter causata à quantitate, vt à causa formali; erit realiter posterior ipsa quantitate: & sic idem respectu eiusdem, erit realiter & essentialiter prius & posterius.

Prætereà, aut materia est signata à quantitate actu, aut à quantitate tantùm in potentia. Non à quantitate in potentia, quia quod nondum est realiter, non potest esse causa formalis realis effectus realis. Non etiam à quantitate actu, quia in illo priori, in quo materia est signata, nondum est quantitas, quia præsupponitur causa materialis ad suum effectum in actu; quantitas autem in actu est effectus materiæ signatæ, seu singularis.

Ad authoritatem itaque deductam ex 2. Physic. text. 30. Dico non sic esse intelligendum, vt vna causa numero possit in generæ causæ materialis, esse causa alicuius quod in genere causæ formalis sit causa eius. Nec enim vnquam sensit Aristoteles materiam posse esse causam formæ, & formã vice versã causam materiæ: quippè quæ respectu solius compositi, & non respectu sui, dicuntur causæ. Et quia Caietanus adducit hoc exemplum causalitatum materiæ & formæ, quas docet esse sibiinuicem causas, pro confirmatione suæ assertionis: Ideò addo quòd licet dici posset formam esse à materia, itaut esse formæ censeatur pendere à materia, tanquam quid posterius ipsa; tamen vice versã dici non potest esse materiæ sic dependere à forma, vt sit quid posterius forma, imò esse materię est simpliciter prius esse formę. Vnde etiam in proposito, esse huius substantiæ est simpliciter prius esse huius quantitatis. Authoritas ergo prędicta Aristotelis, quantum conijcere licet ex textu, non aliud fert quàm quòd intra latitudinem specificam aliquarum causarum, aliquæ causæ sint ita sibiinuicem causæ, vt tamen effectus vnius & eiusdem causæ numero, non possit esse causa eiusdem causæ numero, sed alterius effectus eiusdem speciei, cum causa cuius est effectus. Hoc patet ex verbis eius: dicit enim: *Sunt autem quædam & adinuicem causæ, vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi.* In,

rigore enim labor ille numero, qui est causa huius bonæ habitudinis, non est effectus eiusdem habitudinis, sed labor primus inducit bonam habitudinem; & illa bona habitudo causa est sequentis laboris, non prioris cuius fuit effectus. Non potest itaque in his sibiinuicem causis, reperiri vnitas strictè numerica, sed tantùm vnitas, quâ aliquod continuum dicitur aliquando vnum numero.

Tertiò, principalitet sic impugnatur Ægidius à Doctore. Quæro, inquit, quid est quantitatem causare talem modum, scilicet talem signationem in materia, vel in substantia? Si nihil est nisi quòd illa materia prefuit quantitati, sequitur talem signationem non fieri per quantitatem: Quia tunc signatio materię naturaliter prçcederet quantitatem: prius autem naturaliter non habet esse à suo posteriori. Si autem sit aliquid aliud: Quęro quomodo causetur à quãtitate, & in quo genere causæ?

Respondet Caietanus quantitatem causare talem signationem in materia, nihil aliud esse quàm materiam esse ab hoc agente factam capacem ita huius quantitatis, vt non sit capax alterius: & sic quantitas concurrit ad signationem materiæ, vt actus, propter quem talis capacitas fit; agens verò vt efficiens illam: & talis signatio, inquit, preest ipsi quantitati in genere causæ materialis, sed fit per quantitatem in genere causæ formalis. Contrà. Imprimis hîc non agimus de principio indiuiduationis extrinseco; sed de intrinseco. Ergo non debet Caietanus explicando hanc signationem, recurrere ad agens extrinsecum quod reddit materiam capacem huius quantitatis, & non alterius. Prçtereà, quomodo ista signatio posset esse à quantitate tanquam à forma si nondum sit quantitas? Et quomodo in genere causæ materialis, materia signata prçcedere potest quantitatẽ, si quantitas sit causa formalis materiæ signatæ? Quia enim album, v. g. est effectus formalis albedinis, in nullo genere causæ prçcedere potest albedinem. Manet itaque solida hçc veritas, substantiam non indiuiduari per quantitatem, quocumque modo sumatur quantitas.

Obijciuntur contra primam partem conclusionis, authoritates aliquæ ex D. Damasceno, ex Auicenna & alijs, quibus probari videtur substantiam indiuiduari per accidentia. Sed respondetur id esse verum vel extrinsecè & secundariò, vel concomitanter, vel quoad nos; non autem intrinsecè, primariò, principaliter, & secundùm naturam rei. Vel secundò respondetur duobus modis accidens sumi posse, nimirum, vel pro omni eo quod inhçret, aut aptum est inhçrere; quomodo complectitur nouem classes accidentium; vel pro eo quod est extrinsecum alicui, & ad eius intrinsecam rationem non pertinet: quomodo rationale dici potest accidens animali. Primo modo sumendo accidens, falsum est substantiam indiuiduari per accidentia: Secundo modo verum est indiuiduari per accidentia; quia differentia

Obiectio I. ex patribus.

Solutio.

Quomodo intelligi debeat substãtiam indiuiduari per accidẽtia.

indiuiduans est extra rationem naturæ specificæ, quam contrahit & singularem reddit; & ideò hac ratione dici potest accidens ipsi.

Expli-cantur multæ patrum autho-ritates. Eodem modo solui possunt quędam authoritates Boëtij libro 1. de Trinitate cap. 2. & D. Damasceni in Elementario cap. 5. & lib. 3. Sententiarum cap. 6. & in sua Logica cap. 9. quibus specialiter probari videtur substantiam indiuiduari per quantitatem. Dicit enim Boëtius: *In numero differentiam varietas accidentium facit; nam tres homines, nec specie, nec genere differunt; sed suis accidentibus:* Inter quæ accidentia numerat locum, dicens: *Quòd si duobus corporibus propria loca remaneant, per hac numeraliter distinguentur, quia impossibile est eumdem locum fingere duobus corporibus.* Locus autem spectat ad quantitatem. Dicit etiam Damascenus hypostases & indiuidua alicuius naturę, distingui characteristicis proprietatibus, quarum pręcipuam videtur ponere quantitatem: *Homo enim,* inquit, *differt ab altero homine; quoniam hic quidem longus, iste autem breuis.* Dicit pręterea hypostases non differre secundùm substantiam; sed tantùm secundùm accidentia. Insuper substantiales differentias circa materiam considerari & species constituere; accidentia autem esse constitutiua hypostasium. His inquam authoritatibus respondetur vt priùs.

Diffi-cultas propo-nitur & Occurrit tamen Doctor Subtilis, dicens prędictam solutionem non posse accommodari intentioni Boëtij. Sic enim ratiocinari videtur. In numero varietas accidentium differentiam facit: Soluitur ex Scoto. Sed in personis diuinis nulla est talis varietas accidentium; quia forma simplex nequit esse subiectum accidentium: Igitur in diuinis non est differentia numeralis. Argumentum autem istud nihil concluderet, nisi Boëtius intenderet solis accidentibus fieri distinctionem numericam; si enim distinctio numerica potest esse per aliquid aliud; iam ex negatione accidentis, non sequitur negatio distinctionis numeralis.

Ad hoc ita respondet Scotus: *Dico quòd omnem distinctionem numeralem concomitatur distinctio accidentium; & propterea vbi nulla potest esse varietas accidentium, ibi nulla potest esse distinctio numeralis, & ex hoc patet argumentum Boëtij tenere; quia cùm non possit esse accidens aliquod in diuinis, nec accidentium varietas; ibi non potest esse distinctio numeralis, nec differentia materialis, non tamen sicut à causa pracisa negata, ad negationem illius cuius est causa, sed tanquam à necessario concomitante negato, ad negationem illius quod necessariò concomitatur: Licet enim ex negatione accidentium tanquam ex propria causa, non sequatur negatio distinctionis numeralias sequitur tamen tanquam ex necessario concomitante.*

Addit Scotus: *Sed quomodo ad ista intentionem verum est quòd varietas accidentium facit differentiam numeralem? Dico,* inquit, *quòd facit aliquam differentiam, sed non primam. Et hac quidem expositio non videtur extorta: cùm enim Boëtius numeret locum tanquam aliquid distinguens vnum indiuiduum ab altero; satis patet non*

de prima, sed de secundaria quadam & concomitante distinctione loqui voluisse. Nec enim locus quocumque modo sumatur, siue prout est passio locantis, siue prout est passio locati, distinguit primò vnum indiuiduum ab altero.

Obijcitur secundò contra posteriorem partem conclusionis. Quod primò & per se competit alicui, conuenit cuilibet alteri per rationem eius; sed diuidi in partes eiusdem rationis, est proprietas conueniens primò & per se quantitati; ex 5. Metaphysic. ergo conuenit alij, scilicet substantiæ, per rationem quãtitatis; talis est autem diuisio alicuius speciei in sua indiuidua; quia ista diuidentia non sunt formaliter alterius rationis, sicut sunt species diuidentes genus: Ergo diuisio alicuius speciei in sua indiuidua conuenit ei beneficio quantitatis. Est autem idem principium diuisionis in aliqua natura, & distinctionis diuisorum: Igitur si per quantitatem competat alicui naturæ diuisio in inferiora; similiter per quantitatem distinguentur indiuidua indiuidualiter ab inuicem: ergo per quantitatem indiuiduum erit indiuiduum. Respondet Doctor Subtilis concessâ maiore, negando minorem; non enim de ratione quantitatis est diuidi in partes eiusdem rationis, naturam diuisi ex æquo participantes: nec vnquam Philosophus dixit quantum diuidi in partes eiusdem rationis, sed solùm quantum esse diuisibile in ea quæ insunt, quorum vtrumque vel quodlibet illorum est natum esse aliquid, & hoc aliquid. In ea quæ insunt, inquit, tanquam componentia totum cui insunt. Igitur non sicut in partes subiectiuas, quæ non sic insunt toti quod partitur, sed sub eo tantùm potentialiter continentur. Diuisio itaq; in partes integrãtes & quantitatiuas competit alicui, beneficio quantitatis: Non autem diuisio in partes subiectiuas: ex qua tamen posteriori diuisione oritur multiplicatio & distinctio indiuiduorum. Ratio autem ob quam diuisio in partes subiectiuas non conuenit naturę specificæ per quantitatem, ea est, quia quod est ratio diuisibilitatis, inest formaliter illi quod est diuisibile tali diuisione. Sed quantitas non inest formaliter toti vniuersali, in quantùm est diuisibile in partes subiectiuas. Quia totum vniuersale & totum quantitatiuum sunt alterius rationis. Ergo quod conuenit formaliter toti quantitatiuo vt sic, non conuenit toti vniuersali vt sic. Sed toti quantitatiuo vt sic, conuenit quantitas per quam est diuisibile in partes quantitatiuas: Igitur quantitas non conuenit toti vniuersali formaliter vt diuisibili in partes subiectiuas, quippe quæ sunt alterius rationis à partibus totius quantitatiui: Illæ enim non sunt in toto, antequam diuidatur actu, sed tantùm potentiâ: Hæ autem insunt actu. Antequam enim continuum diuidatur in tres pedes, oportet fuisse actu longum tribus pedibus. Prætereà, de partibus subiectiuis totum vniuersale prædicatur in recto; vt cùm, dico hominem vel Leonem v. g. esse animal: de partibus autem

Discrimen inter diuisionem totius vniuersalis in partes subiectiuas, & totius quantitatiui in partes integrantes.

quantitatiuis totum non efferetur in recto: falsum est enim caput v. g. esse corpus, sed esse quid corporis. Quod etiam verum est de partibus totius quantitatiui homogenei: Licet enim hæc aqua sit aqua, v. g. non est tamen illa tota aqua quæ diuisa est. Et certè in diuisione totius quantitatiui homogenei, reperitur concursus diuisionis totius vniuersalis in partes subiectiuas; & tunc per accidens, scilicet propter concursum istarum duarum diuisionum, contingit partes illorum diuisorum esse easdem saltem denominatione; tamen in reipsa non sunt eędem, quia respectu totius quantitatiui sunt partes integrales, & respectu totius vniuersalis sunt partes subiectiuæ. Itaque siue quantitas sit ratio diuisibilitatis in plura eiusdem rationis, siue in plura distinctæ rationis (neutrum enim illi repugnat, vt patet in toto homogeneo, & toto heterogeneo) cùm dicitur beneficio quantitatis aliquid esse diuisibile in plura eiusdem rationis; illud nec fideliter ex Philosopho, nec appositè dicitur. Non quidem fideliter, vt patet ex verbis Philosophi. Non etiam appositè. Quia quod diuiditur ratione quantitatis, non diuiditur in partes in quibus includatur ratio diuisi, sed in partes quæ infuerunt diuiso, & quæ habent rationem vnam, non illius, sed alicuius communis illi toti & ipsis: Species autem diuiditur in partes eiusdem rationis, quarum quælibet includit rationem diuisi, & non aliquid aliud alterius rationis commune diuiso & diuidentibus.

Per hæc patet quid dicendum sit ad subsumptiones.

Sunt & alia quædam argumenta & apud Doctorem Subtilem, & apud Ioannem de Bassolis, quæ omitto. tùm quia solui possunt ex dictis hactenus; tum quia vereor ne in his longior sim quàm par sit.

Septima Conclusio.

NVllum accidens indiuiduatur per subiectum, aut per habitudinem ad subiectum. Conclusio ijsdem probatur rationibus, quibus superiori probatum est nullam substantiam materialem indiuiduari per accidens. Nimirum tum quia in quacumque coordinatione prędicamentali, sunt omnia pertinētia ad illā coordinationem, circumscripto omni alio quod non est essentialiter aliquid illius coordinationis: Tum quia in qualibet coordinatione prædicamentali, circumscripto omni alio alterius coordinationis, inuenitur ratio speciei, & ratio indiuidui per se recipientis prædicationem suæ speciei. *Nullum accidēs potest indiuiduari per subiectum, nec per habitudinem ad subiectum.*

Specialiter tamen probatur prior pars conclusionis hac ratione. Differentia indiuiduans debet esse intrinseca indiuiduo: sed nullum subiectum est intrinsecum huic accidenti, putà huic albedini; tum quia potest ab illo separari remanens hæc albedo; tum quia satis intelligitur quomodo concurrat hoc subiectum cum hac albedine ad constituendum hoc album, quod est aliquod totum per accidens: Non

potest autē intelligi quomodo cōcurrat cum eadem albedine, ad constituendam hanc numero albedinē. Ergo subiectum non est principium indiuiduationis accidentium, quæ in illo recipiuntur.

Probatur item secunda pars. Accidens separatum non magis habet habitudinem ad suum subiectum quàm ad aliud: est enim naturâ suâ indeterminatum ad quoduis subiectum informandū. Est tamen vnū numero; Ergo non est vnum numero per hanc habitudinem ad hoc numero subiectum. Idem dici potest de accidente actualiter inhærente, quod licet sit in hoc numero subiecto; naturâ suâ tamen non ita petit hoc numero subiectum, vt aliud non potuisset informare, si in eo ab agentibus naturalibus productum fuisset. Ergo habitudo huius accidentis ad hoc numero subiectum, quod actualiter informat, est potius refundenda in causas naturales extrinsecas, quàm in ipsius naturam accidentis, quodquidem naturâ suâ, etiam vt est vnum numero, æquè aptum est informare aliud subiectum si in eo produceretur, ac illud quod actualiter informat, & in quo productum est.

Fundamentū opposītæ sententiæ destruitur. Opposita sententia à nemine ferè tenetur, præterquam à D. Thoma 1. p. q. 50. art. 4. & alijs in locis, & ab aliquibus Thomistis, Cuius præcipua fundamenta sunt, quia totum esse accidentis est in ordine ad subiectum: & quia duo accidentia solo numero distincta reperiri nequeunt in eodem subiecto: ex quo deducitur signum esse illa indiuiduari per subiectum. Sed vtrumque fundamentum istud negatur. Licet enim accidens naturâ suâ dependeat à subiecto, cum hoc tamen stat entitatem accidentis esse realiter & essentialiter aliam ab entitate illius dependentiæ à subiecto. Quia illa dependentia est posterior accidente, vt aliàs dicemus. Similiter contingit aliquando plura accidentia solo numero distincta reperiri in eodem subiecto, vt sunt multæ species intentionales, & multæ relationes, & vno verbo, plura accidentia tùm respectiua, tùm absoluta, modò non educantur è potentia subiecti per motum. Quò fit vt ratio præcisa ob quam duo accidentia solo numero distincta aliquando reperiri non possint in eodem subiecto, non sit quia indiuiduantur à subiecto; sed quia educuntur è subiecto per motum, vt docet Doctor Subtilis 5. Metaphysic. q. 7. §. *Ad quæstionem ergo*. Sufficientiam autem istius rationis sic ostendit. Motus non est nisi in mobili diposito dispositione opposita formę inducendę, vt contraria vel vt media: Nam omnis motus est inter contraria vel media ex 5. Physic. Sed si agens inueniat in mobili formam eiusdem speciei formæ suæ, non inuenit ipsum sub dispositione opposita Ergo non mouet ipsum simpliciter, inducens aliam formam, sed augebit præexistentem in mobili: Istam tamen disputationem ad aliam occasionem remitto, quia non potest nunc pro dignitate explicari.

Plura accidētia possunt esse in eodē subiecto, modò non educātur per motum.

Octaua

Octaua Conclusio.

Exiſtẽtia non eſt principium indiui-duationis.

NVlla natura tùm ſubſtantialis, tùm accidentaria eſt indiuidua per exiſtentiam. Concluſio eſt Doctoris Subtilis in 2. diſtinct. 3. qu. 3. & ita probatur. Primò: Quod non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens vel determinans aliud: ſed eſſe exiſtentiæ eo modo quo diſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, non eſt ex ſe diſtinctum nec determinatum; non enim eſſe exiſtentiæ habet proprias differentias alias à differentiis eſſe Eſſentiæ: quia tunc oporteret ponere propriam coordinationem exiſtentiarum aliã à coordinatione eſſentiarum; ſed præcisè determinatur ex determinatione alterius; igitur non determinat aliquid aliud: Ergo non eſt differentia indiuiduationis, quia omnis differentia indiuiduans determinat aliud.

Confirmatur, quia Exiſtentia non eſt magis de ſe hæc quàm Eſſentia: Ergo ſicut Eſſentia de ſe eſt indeterminata; ita Exiſtentia.

Præterea, Exiſtentia ſupponit coordinationem prædicamentalem: quia per accidens eſt quòd res exiſtant, ad hoc vt reponantur in cathegoriis. Ergo per accidens quoque quòd indiuiduum exiſtat, ad hoc vt reponatur ſubijcibiliter in prædicamentis. Ergo non conſtituitur in ratione indiuidui per exiſtentiam.

Obiectio 1.

Obijcitur 1. Illud eſt principium indiuiduationis, ad quod generatio primò terminatur: quia ad indiuiduum vt ſingulare eſt & hoc, primò terminatur generatio. Sed hoc eſt eſſe exiſtentiæ: quia eſſe exiſtentiæ eſt eſſe in actu: generatio autem terminatur ad eſſe in actu. Ergo exiſtentia eſt principium indiuiduationis. Reſpondetur negando maiorem. Generatio enim terminatur ad aliquid ſingulare actu exiſtens, non autem ad id quod eſt principium conſtitutiuum illius ſingularis, & diſtinctiuum eiuſdem ab omni alio. Ad confirmationem dico generationem terminari ad indiuiduum, vt ſingulare eſt & hoc, ſingularitate oppoſitã vniuerſalitati; quia res non generantur vt vniuerſales primò: Non autem ſingularitate diſtinguente hoc ſingulare ſignatum ab altero; quia ſi eſſet tantùm vnicum indiuiduum generabile in rerum natura, generatio terminaretur ad ipſum, & non tamen quatenùs eſſet ſingulare ſingularitate diſtinguente ipſum à quolibet alio, quia ex hypotheſi, nullum eſſet aliud poſſibile à quo diſtingui poſſet. Solutio

Obiectio 2.

Obijcitur 2. Vltima vnitas rei debet ei conuenire per vltimum actum, tanquam per proximum & immediatum fundamentum. Sed vnitas indiuidualis eſt vltima vnitas rei & perfecta: Eſſe autem exiſtentiæ eſt vltimus actus. Ergo vnitas numerica & ſingularis conuenit indiuiduo ratione exiſtentiæ. Ergo exiſtentia eſt principium indiuiduationis; quia proximum & immediatum fundamentum vnitatis numericæ, eſt principium indiuiduationis. Reſpondeo conceſſâ maiore ſanè intellectâ; diſtinguendo minorẽ, ſcilicet exiſtentiam eſſe vl- Solutio.

Quomodo existentia sit vltimus actus.

timum actum posteriorem coordinatione prædicamentali, verum est; pertinentem per se ad ordinem prędicamentalem, nego: actus autem quem sequitur vnitas indiuidualis, debet per se spectare ad coordinationem prędicamentalem, si non directè, saltem vel reductiuè, vel collateraliter, vel alio modo: Ideoque vnitas indiuidualis non sequitur existentiam, sed differentiam indiuidualem, quæ est aliud ab existentia.

Obiectio 3.

Obijcitur 3. Esse in actu quod est existere, & esse in intellectu sunt opposita. Similiter vniuersale & singulare seu indiuiduum sunt opposita. Sed per esse in intellectu res est vniuersalis. Ergo per esse in actu res est indiuidua & singularis. Ergo per existentiam est singularis.

Solutio

Respódeo quidquid sit de maiore, ad minoré, rem non esse vniuersalé præcisè per esse in intellectu, tanquam per proprium & immediatum principium vniuersalitatis, vt patet ex aliàs dictis, licet tamen in intellectu sit vniuersalis: Ideoque stando semper in hac comparatione vnius ad aliud, res non est etiam singularis & indiuidua seu vna numero pręcisè per esse in actu, tanquam per proximum & immediatum principium singularitatis seu indiuiduationis, licet existens in actu sit singularis. Vnde sicut rei vniuersalis existentis in intellectu vniuersalitatis proximum & immediatum principium est vnitas, præcisio, aptitudo, & comparatio actualis naturæ cum suis inferioribus, & non ipsum esse in intellectu: Ita rei singularis existentis in actu, singularitatis seu indiuiduationis proximum & immediatum principium est realitas aliqua assignanda sequenti conclusione: Non autem ipsum esse in actu, seu ipsum existere præcisè. Sic itaque minor negari debet.

Vltima Conclusio.

Determinatur quid sit principium indiuiduationis.

PRincipium indiuiduationis vniuscuiusque rei est vltima realitas eiusdem rei vltimò determinans ipsam, & constituens eam in ratione rei singularis & indiuiduæ, cui scilicet repugnat non esse hoc signatum, & esse diuisibile in plura, tanquam in partes subiectiuas: quęquidem realitas non quidem à Scoto (vt multi falsò comminiscuntur) sed primùm ab eius discipulo Ioanne de Bassolis, & posteà à nostris Scotistis hæcceitas dicta est. Hæc sententia est Doctoris Subtilis in 2. dist. 3. qu. 6. & omnium eius discipulorum, & nunc est communis in Vniuersitate Parisiensi. Eam etiam tenet Fonseca 5. Metaphysic. cap. 6. qu. 5. quamquam sectione immediatè præcedente in fine, re non satis considerata, nonnihil detrahat gloriæ Doctoris Subtilis, cùm dicit eum non tam veritatem huius rei inuenisse, quàm planiùs tradidisse. Æquitatis est vnicuique reddere quod suum est: Si non prior inuenit, proferatur alius eiusdem veritatis primus inuentor.

Explicatur conclusio.

Sed antequam probemus istam conclusionem: priùs explicemus illam. Sententia itaque Doctoris Subtilis est vnamquamque naturam creatam, tùm simpli-

cem tùm compositam, habere varias realitates, quarum aliæ sunt communes illi & alijs, & aliæ ita propriæ isti naturæ, vt nullis alijs competant: priores sunt realitates quidditatiuæ & determinabiles, posteriores sunt realitates indiuiduales & determinatiuæ: tamen istæ realitates non distinguntur ab inuicem realiter, nec etiam solùm per rationem, saltem ratiocinātem; sed formaliter. Vltima autem omniū istarum realitatum, quæ subijcitur omnibus alijs, ea est principium indiuiduationis; quia illa determinat omnes alias realitates, & ipsa non est vlteriùs determinabilis: sed est vltimò determinatiua, & primò per se incommunicabilis, & signata, & hæc. Vnde cum illis realitatibus determinatis constituit indiuiduum & singulare, & hoc signatum, & indiuisibile in plura tanquam in partes subiectiuas. Exemplo alicuius naturę singularis v. g. Petri, res fiet manifesta. In Petro siquidē, sunt plures realitates seu gradus, putà substātialitas, corporeitas, animalitas, humanitas, & Petreitas. Priores realitates omnes sunt quidditatiuæ, cōmunes multis, & determinabiles: sola Petreitas (hoc enim barbaro nomine cogimur differentiam Petri circumscribere) est vltimò determinatiua, per se primò singularis & incommunicabilis: vnde cum prioribus realitatibus, à quibus tantùm formaliter distinguitur, constituit Petrum in ratione Petri, hoc est, in ratione huius signati indiuidui. Tota autem ista doctrina partim manet probata ex confutatione omnium aliarum opinionum; partim supponit fundamentalem Doctrinam nostræ Scholæ de distinctione graduum superiorum ab inferioribus, & de vnitate naturæ minore vnitate numericâ, partim adhuc ita suadetur.

Probatur conclusio.

Primò. Sicut vnitas in communi consequitur per se entitatem in communi: Ita vnitas quæcumque consequitur per se aliquam entitatem. Ergo vnitas simpliciter, qualis est vnitas numerica, si est in entibus, vt omnis opinio supponit, consequitur per se aliquam entitatem in re existentem. Sed talis vnitas non sequitur entitatem naturæ specificæ; quia hæc habet vnitatem propriam minorem vnitate numericâ, vt dictum est: Ergo sequitur aliam entitatem realem. Sed nulla excogitari potest entitas quam consequatur talis vnitas, nisi realitas illa vltima vniuscuiusque rei: quia omnis alia vel est specifica, vel est extrinseca rei, & ad aliud genus pertinens: differentia autem indiuiduans debet esse eiusdem generis cum natura cuius est differentia. Ergo vnitas numerica sequitur illā vltimam realitatem vniuscuiusque rei: ergo illa est principium indiuiduationis; quia vnitas numerica sequitur principium indiuiduationis.

Præterea: Omnium per se differentium in aliquo genere, oportet necessariò reducere differentias in aliqua primò diuersa illius generis: alioquin esset progressus in infinitū, vel ea quæ differunt essent ex se primò diuersa, quod est impossibile, ex 10. Metaphysic. Sed indiuidua

cuiuscumque generis sunt per se differentia in tali genere; quia in aliquo illius generis conueniunt, & in aliquibus differunt. Igitur oportet quòd reducantur differentiæ ipsorum in aliqua primò diuersa illius generis: Ista autem primò diuersa non possunt esse nisi differentię indiuiduales ad tale genus pertinentes, vt patet discurrenti per omnia alia. Tales autem differentiæ non possunt esse nisi illæ vltimæ realitates quarumcumque rerum. Ergo differentia indiuiduans vniuscuiusque rei est vltima realitas eiusdem.

Prætereà. Non minùs contrahitur natura ad indiuiduum per aliquid positiuum eiusdem generis, quàm genus ad speciem. Quia sicut genus est in potentia ad speciem, tanquam ad aliquid per se inferius sui generis; ita etiam species ad indiuiduum. Sed genus contrahitur ad speciem per aliquid positiuum reale sibi additum, & sui generis, ad quod ipsum est in potentia, putà per differentiam specificam; Ergo & species ad indiuiduum per differentiam positiuam realem proprij generis, quæ est indiuidualis & constituens indiuiduum, sicut illa constituit speciem. Illa autem differentia indiuidua eiusdem generis, nihil potest esse aliud quàm illa vltima realitas vniuscuiusque rei; quia omnis alia differentia vel est specifica & non singularis, vel est alterius generis. Ergo vltima realitas vniuscuiusque rei, est differentia indiuidualis eiusdem.

Itaque iuxta hanc doctrinam, vltima realitas vniuscuiusque rei est propria differentia indiuidualis eiusdem. Sic vltima realitas materiæ v. g. est differentia indiuidualis materię; vltima realitas formæ, differentia indiuidualis formæ; vltima realitas accidentis, differentia accidentis; vltima realitas compositi, differentia indiuidualis compositi, & sic de reliquis entibus tam substantialibus, quàm accidentalibus, tam spiritualibus, quàm corporeis.

Nec refert quòd Scotus dicat differentiam indiuidualem sumi ab hac vltima realitate: Non enim hoc dicit, quasi velit istam vltimam realitatem non esse ipsammet differentiam indiuidualem: etenim non puto illum voluisse distinguere hæc duo à se inuicem, cùm ad hoc nulla necessitas impellat; sed tantùm voluisse differentiam indiuidualem sumi ab hac vltima realitate, id est, illam vltimam realitatem esse assumendam pro vera & propria differentia indiuiduali. *Differentia indiuidualis est vltima realitas indiuidui.*

Non rectè igitur Philosophatur Fauentinus, cùm dicit differentiam indiuidualem totius compositi, esse desumendam ab vltima realitate formæ: licet enim forma actuet materiã in ordine ad constituendum compositum physicum: non sequitur tamen quod eodẽ modo vltima realitas formæ actuet vltimam realitatem materię in ordine ad constitutionem indiuidui: quia illa actuatio quam habet differentia indiuiduans, respicit naturam totam specificam. Est igitur petenda ab vltima realitate totius compositi, seu vltima realitas totius com-

positi est ipsamet differentia indiuidualis. Hoc confirmant verba Scoti: dicit enim loquendo de ista vltima entitate seu realitate: *Est vltima realitas entis quod est materia, vel quod est forma, vel quod est compositum.* Ita quòd differentia indiuidualis totius compositi, est vltima realitas entis quod est compositum.

Obiectio 1. ex Caietano. Contra hanc conclusionem & rationes Doctoris Subtilis obijcit 1. Cajetan. de ente & essentia cap. 2.q. 4. Actus singularis supponit potentiam singularem: Hæcceitates Sortis & Platonis sunt actus quidam singulares. Ergo supponunt potentias singulares. Ergo non reddunt illas, singulares. Maior patet ex 2. Physic. c.3.text. 36. vbi Aristoteles docet formam singularem supponere materiam singularem. Par autem est ratio in quocumque actu & potentia.

Solutio. Respondeo maiorem esse falsam: Nec confirmationem esse ad propositum: Cùm enim res non generentur in communi, oportet hanc numero formam recipi in hac materia: Adde quòd munus formæ Physicæ non est reddere materiam singularem: At quando actus est id quo aliud est tale, non oportet potentiam esse talem seu similis rationis: quomodo v. g. quia forma specifica tribuit esse specificum toti speciei, non supponit potentiam suam, genus scilicet, habere esse specificum. Sic, quia differentia indiuiduans est id quo aliud est indiuiduum & singulare, non supponit potentiam suam singularem, aliàs nullum haberet effectum.

Obiectio 2. Obijcit 2. Quidquid conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiusdem speciei, supponit illorum distinctionem. At hæcceitas Socratis conuenit Socrati, & repugnat Platoni: Ergo supponit distinctionem Socratis à Platone. Non est igitur principium indiuiduationis Socratis.

Solutio. Respondeo maiorem esse falsam vbi quod conuenit, conuenit efficiendo ipsammet distinctionem illius cui conuenit ab alio, vt in proposito. Et certè. Simile argumentum fieri posset in speciebus: Quod conuenit vni speciei, & repugnat alteri, supponit illarum distinctionem; rationale conuenit homini & repugnat equo; Ergo supponit distinctionem hominis ab equo. Patet maiorem esse falsam. Vnde dicendum est: Quod conuenit vni indiuiduo & repugnat alteri, supponit vel efficit eorum distinctionem: Hæcceitas Socratis conuenit Socrati & repugnat Platoni. Ergo supponit vel efficit distinctionem Socratis à Platone. Hoc pacto valet ratio, sed nihil tenet Caietanus.

Obiectio 3. Obijcit 3. Illa quæ sunt principia indiuiduationis, sunt seipsis primò diuersa. Hęcceitates Sortis & Platonis non sunt huiusmodi. Ergo non sunt principia indiuiduationis. Maior est Scoti: Minor probatur: Id quod conuenit magis cum vno quàm cum alio, non est primò diuersum ab eo cum quo magis conuenit. Sed hæcceitas Platonis magis conuenit cum hæcceitate Sortis, quàm cum hęcceitate albedinis. Ergo hæcceitates Sortis & Platonis

non ſunt primò diuerſæ. Multis iterum probat Minorem iſtam. Reſpondeo tamen primò cum Scoto, principia indiuiduationis non omninò non conuenire, ſed non conuenire quidditatiuè. Dico ſecundò hæcceitates Sortis & Platonis non magis conuenire quàm hæcceitates Sortis & albedinis ratione ſui præciſè; magis tamen conuenire ratione alterius, nimirum naturæ in qua reperiuntur: vnde illa conuenientia non eſt formalis & propria ipſis hæcceitatibus, ſed identica & extrinſeca rationibus earum quatenus hæcceitates ſunt.

Solutio 1.

Solutio 2.

Obiectio ex noſtro Ioanne de Baſſolis.

Objicit poſtmodum noſter Ioannes de Baſſolis inconueniens aliquod de toto homogeneo, v. g. de aqua, quomodo adueniunt guttis ſeparatis nouæ hæcceitates, & quomodo pereunt, cùm illæ reuniuntur toti aquæ: Non videtur enim poſſe remanere; quia ex multis guttis fit tantùm vna aqua, & tamen remanent iſtæ guttæ, quia non pereunt; & ſic peribunt rationes indiuiduantes non pereuntibus ijs quorum ſunt rationes, ſeu principia indiuiduationis, quod eſt inconueniens. Reſpondetur tamen nec guttis ſeparatis nouas accedere hæcceitates, nec ijſdem reunitis aliquas deperdi: ſingulis enim partibus totius homogenei, ſiue exiſtant in toto, ſiue ſeparatæ ſint à toto, ſingulæ reſpondent hæcceitates vtrobique diſtinctæ, ſed non vtrobique diuiſæ: quæ cùm ſunt in toto, conſtituunt differentiam indiuidualem totius, eo modo quo partes illę in toto, conſtituunt totum. Nec ex hoc ſequitur vnitatem totius aquæ eſſe minorem vnitate ſingularum guttarum; quia vnitas totius aquæ eſt vnitas integra: vnitas autem vniuſcuiuſque guttæ, eſt vnitas partialis. Si vrgeas quamlibet partem totius homogenei ſortiri rationem totius; admitto abſolutè, ſed non comparatè: quod ſufficit vt vnitas eius ſimpliciter dicenda non ſit vnitas totius. Adde quòd ea eſt homogeneorum natura, vt inter tota ipſa dentur latitudines.

Solutio. Quomodo partes totius homogenei ſeruent ſuas hæcceitates ſiue in toto, ſiue extra totum.

Obiectio alia ex eodem.

Objicit prætereà difficultatem de hæcceitate relationis, an ſcilicet ſit relatiua vel abſoluta; & ſi ſit relatiua, quis ſit eius terminus? Sed breuiter dicitur eam eſſe relatiuam non formaliter, ſed identicè, ratione ſcilicet naturæ relatiuę cuius eſt hæcceitas: vnde non poteſt alium habere terminum quàm terminum ipſiuſmet relationis, cuius eſt differentia indiuiduans.

Solutio.

QVÆSTIO VII.

Quid sit Vnitas transcendentalis?

Conclusio.

Quid sit vnitas trāscēdentalis.



NITAS transcendentalis est vnitas, quæ consequitur ens quatenùs ens est, seu in sua abstractione spectatum: Probatur. Proprietates alicuius subiecti, insunt ipsi, & consequūtur ipsum in tota sua latitudine & abstractione spectatum: Sed vnum est proprietas Entis. Ergo consequitur Ens in tota sua amplitudine & abstractione acceptum. Minor est certa. Maior patet discurrendo per omnes passiones omnium subiectorum. Motus enim, v. g. consequitur corpus naturale, quatenùs corpus naturale, seu secundùm suam abstractionem spectatum. Et quemadmodum corpus naturale secundùm se, non supponit immediatè pro cœlo, planta, terra, aut aliis inferioribus; sed pro corpore naturali in se, abstracto seu per intellectum, seu ex natura rei, ab his omnibus: Ita motus vt est proprietas corporis naturalis, non supponit primò & immediatè pro motu cœli, aut aëris, aut alterius corporis naturalis; sed pro ratione motus in se, seu per intellectū, seu ex natura rei, præcisa ab inferioribus motus. Similiter quemadmodum Ens non supponit immediatè, & primò pro particularibus Entibus; sed pro ipsa ratione seu conceptu Entis, siue secundùm se, siue per intellectum præciso ab illis: Ita vnitas transcendentalis, quæ est propria passio Entis, non supponit immediatè pro hac aut illa vnitate huius vel illius Entis, putà hominis vel lapidis, sed pro ipsa vnitate in se correspondente rationi Entis in se.

Dissentimus hîc à Francisco Suare, & à Fōseca.

Et certè miror Franciscum Suarem tom. 1. Metaphysic. disput. 4. sect. 9. num. 14. & Fonsecam lib. 5. Metaphysic. cap. 13. quæst. 3. sect. 1. in principio, aliter sensisse; cùm dicunt vnitatem transcendentalē nihil aliud esse quàm indiuisionem quæ sequitur conceptum obiectiuum Entitatis cuiusuis rei, siue communis vt hominis, siue singularis vt Socratis, siue completæ vt compositi naturalis, siue incōpletæ, vt formæ substantialis aut materiæ. Nam quemadmodum Ens immediatè & confusè supponit pro ratione Entis, & mediatè ac distinctè significat particularia entia; ita etiam vnum immediatè & confusè significat ipsam rationem vnius secundùm se; mediatè autem & distinctè, cùm scilicet consequitur particularia Entia, significat particulares rationes huius aut illius vnitatis.

Omnis vnitas est principium alicuius numeri.

Poriò, licet omnis vnitas sit principium alicuius numeri; non tamen omnis est principium numeri propriè dicti: voco enim numerum propriè dictum eum qui ex solis vnitatibus singularibus coalescit: Vnde licet vnitas naturæ sit principium illius nu-

meri, quo plures numerantur essentiæ, & dicuntur natura hominis, v. g. & natura lapidis esse duæ essentiæ. Tamen sola vnitas singularis est principium numeri propriè dicti, siue illa sit vnitas substantialis, aut alia, siue quantitatiua. Vnitas autem quantitatiua peculiariter est principium numeri quantitatiui, quidem oritur ex diuisione continui. Et hoc est discriminis inter hanc & cæteras vnitates numericas, quòd hæc in ceteris rebus quantitate affectis sit tantùm accidentaria & extrinseca, eo modo quo quantitas est illis accidentaria & extrinseca; aliæ autem vnitates numericæ sint intrinsecæ iis rebus quarum sunt vnitates, quia quidquid est, intrinsecè est vnum; imò etiam ipsa quantitatis vnitas quæcumque illa sit, est ei intrinseca.

Sola vnitas numerica est principium numeri propriè dicti.

Prætereà, quia vnitas quantitatiua negat diuisionem continui: Vnitas autem omnis alia numerica negat diuisionem ortam ex contradictione, vt obseruat Anthonius Andreas decim. Metaphysicor. quæst. 3. quia enim hoc Ens non est illud Ens, fit vt vnum dicatur. Denique quia vnitas quantititaua in sola quantitatis cathegoria reperitur; vnitas autem omnis alia numerica per omnes cathegorias diuagatur: Vndè & transcendentalis dici potest, non quòd sit ea quæ sequitur Ens ipsum immediatè; sed quia ad nullum speciale Entis inferius coarctatur.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo se habeant adinuicem vnum & multa?



SVB hoc titulo sese offerunt tria breuiter examinanda. Primum, an vnum & multa sint membra diuidentia ens? Secundum, quomodo sibiinuicem opponantur? Tertium denique, quodnam horum sit primum? Ratio inuestigationis prioris est authoritas Aristotelis 10. Metaphysic. cap. 1. vbi dicitur diuidere Ens in vnum & multa. Ratio inuestigationis secundi est authoritas eiusdem, qui 4. Metaphysic. cap. 2. dicit illa opponi priuatiuè: At verò lib. 10. cap. 1. apertè sentit opponi contrariè. Ratio inuestigationis tertij est iterum authoritas eiusdem 10. Metaphysic. cap. 4. vbi dicit multitudinem esse priorem vno.

Pro intelligentia prioris, prænotandum 1. Ens posse sumi duobus modis, primò secundùm suam strictam & vnicam ac simplicem rationem Entis; secundò generaliùs & latiùs prout tam Ens per se quàm Entia per accidens complectitur, quo modo non vnam, sed plures dicit rationes.

Prænotandum 2. Pro intelligentia secundi, quatuor esse species oppositionis, nimirum contrariam, contradictoriam, relatiuam,

tiuam, & priuatiuam; & vnam quamque illarum specierum esse iterum vel propriam & strictam, vel impropriam & communem: Quæcumque enim opponuntur contrariè ex Aristot. non propriè & strictè contrariè opponuntur, vt patet de primis principiis, quę quidem Aristoteles vult esse prima contraria; & tamen hoc intelligi nequit de vera & stricta contrarietate.

Prænotandum 3. Pro intelligentia eiusdem, aliqua quandoq; opponi si spectentur secundùm suas rationes, quandoque verò non opponi, si considerentur prout vnum illorum includitur in altero: Sic v. g. quinarius secundùm suam rationem, videtur aliquo pacto opponi denario; tamen prout in eodem denario includitur, non ei opponitur.

Prȩnotandum 4. Pro intelligentia tertij, aliquid posse esse prius & posterius altero, aliâ & aliâ ratione; prius quidem secundùm naturam, & secundùm se; posterius verò secundùm nos, & secundùm rationem, quâ nobis innotescit, & vice versâ prius secundùm nos, & posterius secundùm naturam.

Prȩnotandum 5. Pro intelligentia eiusdem, vnum exprimi respectu nostri, vt sit id quod diuisum non est: & ita diuisio ingreditur rationem expressiuam eius, respectu nostri: diuisio autem arguit pluralitatem, & quidem talem qualis est ipsa diuisio; itaut si diuisio sit potentialis tantùm, arguat etiam pluralitatem & multitudinem tantùm potentialem; si actualis, actualem. His positis sit

Prima Conclusio.

Vnum & multa non possunt esse membra diuidentia Ens sumptum secundùm se, & secundùm suam vnicam & simplicem rationem. Probatur. Quotiescumque duo membra diuiduunt aliquod superius secundùm se sumptum, alterum illorum non potest esse reciprocum cum ipso: Patet exemplo quantitatis, quam quia diuidunt continuum & discretum, neutrum horum reciprocatur cum quatitate; adeò quòd tametsi omne continuum sit quantum; non tamen omne quantum est continuum: Ergo si vnum & multa sint membra diuidentia Ens secundùm se, neutrum horum erit reciprocum cum ipso. Hoc autem colligitur ex dictis esse falsum: diximus enim ex Aristot. 4. Metaphysic. cap. 2. Vnum esse passionem Entis: omnis autem passio est reciproca cum suo subiecto. Et confirmatur ex Platone in Parmenide, dicente, *Neque Ens vni, neque vnum Enti deesse, sed duo hæc potiùs per omnia coæquari.* Ergo vnum & multa non sunt membra diuidentia Ens secundùm se. Restat itaque vt si Ens diuidatur in vnum & multa, ista diuisio non sit Entis secundùm se, & secundùm suam vnicam & simplicem rationẽ accepti; quia reuera multa quatenùs multa, non sunt Ens, sed Entia: sed potiùs sit diuisio Entis, vt comprehendentis tam Ens, quàm Entia; seu tàm Ens secundùm suam rationem spectatum, quàm

Vnum & multa non sunt mẽbra diuidẽtia Ens secundùm se.

Vu

Ens secundùm quid, & per accidens. Addunt aliqui Ens diuidi posse in vnum & multa, ex eo quòd omne vnum, saltem creatum, sit aliquo modo multa, vel potestate vt continuum, vel actu, vt compositum, vel alio modo; & vice versâ, multitudo sit aliquo modo vna: Quâ ratione dixit Diuus Dionysius cap. vltimo de diuinis nominibus, non esse multitudinem quæ non participet aliquo modo vnitatem: Nam quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto; & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto.

Secunda Conclusio.

VNum & multa secundùm suas rationes, & non prout vnum illorum includitur in altero, opponuntur, non contradictoriè, nec priuatiuè, nec relatiuè, sed contrariè, non tamen strictâ & maximè propriâ contrarietate. Omnes partes huius conclusionis sunt Anthonij Andreæ 10. Metaphysic. quæst. 2. & probantur. Ac imprimis quòd vnum & multa opponantur est Aristotelis sententia 10. Metaphysic. cap. 4. & quòd non opponantur prout vnum illorum includitur in altero, nimirum vnum in multitudine (multitudo enim est vnitatum aggregatio) patet: Quia multitudo ad constitutionem suæ entitatis requirit vnitates; opposita autem non se mutuò postulant ad sui constitutionem. Quòd autem secundùm suas rationes, nullo trium prędictorum modorum opponantur, ita ferè probat Doctor Subtilis in suis Commentarijs ad 4. cap. 10. Metaphysicorum. Primò, non opponuntur contradictoriè, quia neutrum est negatio, & neutrum dici potest tam de Ente, quàm de non Ente, vt patet; quia multitudo est Ens, sicut & vnum: contradictoriorum autem alterum semper dicitur tam de his quæ sunt, quàm de his quæ non sunt, vt lapis, non lapis: Non lapis enim dicitur tam de Ente, quàm de non Ente. Non opponuntur etiam priuatiuè: quia vnum non dicit priuationem alterius, sed ambo sunt positiua. Non opponuntur etiam relatiuè, quia vtrumque est Ens ad se, nec vnum refertur ad aliud. Restat itaque quòd opponantur contrariè, quia non est alius modus oppositionis. Ista autem oppositio non est propriè contraria, quia difficile valdè esset assignare in quo consisteret, sed est impropriè loquendo contraria; & certè rationes vnius & multorum videntur esse potius disparatæ, quàm oppositæ.

Quomodo opponantur & non opponantur vnum & multa.

Quòd dicunt aliqui in fauorem D. Thomæ, ista dici posse opponi priuatiuè, inquantum nimirum vnum includit negationem diuisionis, quæ est de ratione multitudinis, & multitudo negationem identitatis seu realis coniunctionis, quæ est de ratione vnitatis, non potest esse verum, nisi dicatur istam mutuam inclusionem negationum esse tantùm consequentem, & non constituentem naturas ipsas vnius & multorũ. Non enim negationibus constituuntur vnum & multa, vt dictum est.

Prętermitti non debet id quod obseruat Doct. Subtilis loco nunc citato, nimirum vnum & multa,

si considerentur in ratione mensuræ & mensurabilis, dici posse etiam opponi relatiuè, quia mensura & mensurabile ad se referuntur, tametsi nō mutuò. Vnum autem potest esse mensura respectu multitudinis, in quantùm per rationem vnius, cognoscimus maiorem vel minorem, minùs vel magis perfectam multitudinem.

Tertia Conclusio.

Quomodo vnum sit, & non sit prius quàm multa.

SEcundùm naturam vnum est prius multis, secundùm nos verò multa sunt priora vno. Est Aristotelis 10. Metaphysic. cap. 4. *Quare ratione*, inquit, *prior multitudo indiuisibili propter sensum.* Est etiam Anthonij Andreæ ibi qu. 3. & Doctoris Subilis & Alexandri Alensis in suis Commentariis ad hunc locum. Et prior pars breuiter ita suadetur: Multitudo omnis vel componitur ex vnitatibus, vel oritur ex diuisione alicuius vnius, vel consurgit ex eo quòd aliquid est diuisum ab alio: Sed omnibus istis rationibus prior est multitudo vnitate; nam constituens, & id ex quo aliud oritur, sunt priora ijs quæ constituuntur & oriuntur.

Prætereà, priùs est aliquid esse indiuisum in se, quàm diuisum ab alio. Ergo simpliciter secundum naturam, vnum est prius multitudine.

Secunda pars probatur: Quia in ratione expressiua vnius, respectu nostri, ponitur diuisio, cùm dicitur vnum esse quid indiuisum in se, & diuisum à quouis alio: ex diuisione autem multitudo sequitur. Ergo secundùm nos, multitudo est prior vnitate.

Quomodo indiuisibile sit prius diuisibili.

Idem dici debet de diuisibili, & indiuisibili, quidquid reclament Caietanus 1. part. qu. 11. art. 2. Soncinnas 4. Metaphysic. qu. 23. & alij quidam. Namque propter easdem rationes, indiuisibile secundùm naturam, est prius diuisibili. Diuisibile autem secundùm nos, seu propter sensum, vt loquitur Arist. est prius indiuisibili.

Obijcitur ex Caietano: Affirmatio secundùm naturam, est prior negatione. Multitudo & diuisibile dicunt affirmationem: vnum autem & indiuisibile dicunt negationem. Ergo multitudo & indiuisibile sunt priora vno & indiuisibili. Respondeo concessâ maiore, negando minorem. Vnum enim dicit formaliter aliquid positiuum, vt ostendimus: indiuisibile quoque secundùm rem, dicit aliquid positiuum, licet nomine negatiuo exprimatur, sicut irrationale, inanimatum, &c. *ET HÆC DE VNO.*



SECVNDA PARS
TERTII CAPITIS
QVÆ EST DE VERO.

QVÆSTIO I.

Quot modis accipiatur nomen veritas?



DIuus Aug. disputans contra Academicos, li. 3. c. 3. inter alia multa, quibus eorum errorem confutat, quo dicebant nos nullam de re quapiam habere posse certam veritatem; sed omnes nostros conatus nihil planè de rebus omnibus consequi posse, nisi vanas quasdam & incertas oppiniones, dicit præsertim sapientis esse, nosse veritatem; & si quæ sapientia est, vt reuera est, eam in sola veritatis inuentione consistere. Philosophus etiam initio Metaphysicorum dicit hanc scientiam esse maximè veritatis contemplatricem. Ne igitur quod præcipui nostri muneris est, omittamus; postquam de vno disputauimus; proximum est, vt ad veri indagationem accedamus; tum demum de bono disseremus. Et quia tùm propter vocis ambiguitatem, tùm propter ipsius etiam rei obscuritatem, valdè difficile est certam de vero veritatem attingere; ideò varias huius nominis, *veritas*, significationes subijciemus, vtquodnam sit illud verum, quod est proprietas entis, & de quo maximè dicturi sumus, faciliùs percipiamus.

Conclusio.

VAriæ sunt huius dictionis, Veritas, significationes. Patebit discurrendo per singulas. Variæ significationes huius vocis, Veritas, referuntur.

Imprimis Veritatis nomen significat primam & summam veritatem, quæ Deus est, de qua loquitur D. August. in præfatione in Psal. 123. his verbis: *Veritas immortalis est, veritas incommutabilis est, veritas illud verbum est de quo dicitur. In principio erat Verbum.* Ibi enim D. August. lo- Veritas Deus.

quitur de prima veritate, de qua simpliciter dici potest quòd sit immutabilis, inquit Alexander Alens. 1. p. q. 15. membro 8. Item concione 1. in Psal. 30. circa medium: *Veritas est Deus, veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa, vbique potens est, si cordis oculus ad eam pateat.* Item. 16. de Ciuit Dei c. 6. *Neque sibiipsi sunt veritas* (loquitur de Angelis,) *sed creatricis participes Veritatis: ad illam moueantur tanquam ad finem vitæ, vt quod non habent ex seipsis, capiant ex ipsa.* De eadem veritate loquitur fusè D. Anselmus libro de Veritate: vbi potissimùm dicit illam esse causam omnium rectitudinum & veritatum: illius autem nullam esse causam: & explicat quo pacto id debeat intelligi idem Alensis ibidem, memb. 9.

Veritas Christus. Secundò principaliùs & frequentiùs in sacris paginis significat Christum. Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: de qua multa habet D. August. tract. 39. in Ioannem, vbi potissimùm explicat quo sensu dici debeat Pater Diuinus verax. *Qui misit me verax est.* Ioan. 8. & Filius veritas. *Verax enim Pater*, inquit, *non ab ea veritate cuius partem cepit, sed quam totam genuit.* Item Tract. 41. in initio. *Veritas incommutabilis est, veritas panis est, mentes reficit nec deficit, mutat vescentem, non ipsa in vescentem mutatur; Ipsa est veritas Verbum Dei, Deus apud Deum vnigenitus Filius.*

Attributum veritatis diuinæ. Tertiò sumitur veritatis nomen ad significandum specialiter attributum veritatis diuinæ, de quo multa Theologi & Patres.

Veritas ars diuina. Quartò apud D. August. vsurpatur satis frequenter, vt significet artem diuinam, seu diuinam mentem plenam ideis siue rationibus rerum formandarum aut formabilium: Sic lib. de vera Religione. c. 31. *Hæc est*, inquit, *illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis.* Et l. 4. Musicæ. *Veritas vocatur ars Dei supremi: veritate facta cuncta sunt, omniumque forma veritas.* Et fortè conformiter ad hæc, dicit D. Bonauentura in 1. dist. 35. q. 2. ideas diuinas esse ipsam veritatem diuinam.

Veritas prædicationis. Quintò sumitur ad significandam veritatem Euangelij, prædicationis, & verbi diuini, quo pacto sumitur Ioan. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Et hæc veritas cum fide confunditur, & de ea loquitur D. Augustinus 12. Confess. c. 16. *Cum his enim volo coram te aliquid colloqui, Deus meus, qui hæc omnia quæ intus in mente mea non tacet veritas tua, vera esse concedunt: Nam qui hæc negant, latrent quantùm volunt*, &c. Et li. 2. de Sermone Domini in monte, c. 20. *Canes pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non incongruè accipimus.* Et alibi dicit pro ea mortem esse suscipiendam, vt æterna mors euitetur.

Veritas moralis. Sextò, sumitur ad significandam veritatem moralem, quâ quis verbis & factis talem se demonstrat, qualis in se est. Hâc veraces dicimur, quemadmodum & mendacio mendaces; quò fit vt hæc veritas opponaVu iij

tur mendacio. De hac videri poterunt quæ habet D. August. lib. contra mendacium ad Consentium.

Veritas sumpta pro firmitate. Septimò vsurpatur non incongruè ad significandam rerum stabilitatem & firmitatem; quo modo vsurpatur à D. August. lib. 83. qq. q. 31. cùm dicitur *veritas esse per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.*

Vltimò vsurpatur ad significandam triplicem veritatē in Scholis vsitatissimam, nimirum rei, cognitionis, & signi, de qua triplici veritate multa dicit noster Alensis. 1. p. q. 15. memb. 3.

Veritas rei. Veritas rei dicitur communiter conformitas rei ad sua principia; sed de hac plura sumus inferiùs dicturi. Sufficiat nunc D. August. lib. 2. Soliloquiorum c. 5. definisse verum seu veritatem rei, vt sit id quod est.

Veritas cognitionis. Veritas cognitionis describitur conformitas intellectus ad rem intellectam. Et huic applicari potest id quod habet idem Aug. ibidem c. 4. cùm dicit *aliquibus videri verum esse, id quod, vt est, videtur.* De hac veritate præsertim loquitur lib. de vera Religione cap. 49. his verbis: *Quid ergo admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere confitetur; cùm vehementer ne fallatur inuigilat, & inde se iactat si quid acutius cæteris, & viuacius in spectando, cognoscat & iudicet?*

Veritas signi. Veritas signi describitur adæquatio vel conformitas signati ad suum signum: & de ea loqui videtur idem D. Aug. lib. eodem de vera Religione cap. 36. cùm dicit: *Si falsitas ex ijs est quæ imitantur vnum, non inquantùm id imitantur, sed inquantùm adimplere non possunt: illa est veritas quæ adimplere potuit, & id esse quod illud est.* Hæc autem est totuplex, quotuplex potest esse signatum adæquabile, vel conformabile alicui signo: & quia oratio potest cōformari rei enuntiatæ, voluntas iudicio rationis, & actio suæ regulæ; hinc nascitur veritas orationis, voluntatis, actionis, & si quæ sint aliæ.

QVÆSTIO II.

Quid sit Veritas cognitionis?



Vamquam veritas cognitionis ad Metaphysicum non spectet, sed potiùs ad Physicum, sicut & veritas signi ad Logicum; quia illa in actionibus naturalibus intellectus; hæc in vocibus & orationibus potissimùm reperitur. Quia tamen veritas rei, quæ sola transcendentalis est, & Metaphysicæ propria, absque veritate cognitionis præsertim, nequit intelligi, vt patebit. Ideò priusquam de veritate rei disseramus, operæpretium est aliqua de veritate cognitionis dicamus. Et quia Scotus noster adeò feliciter & subtiliter & veraciter hanc materiam pertractauit in sua Metaphysica, lib. 6. q. 3. vt omnes tùm

veteres, tùm modernos Scriptores longo post se reliquerit interuallo; ideò doctrinam eius nitar aperire, & eam quibusdam authoritatibus & rationibus confirmare.

De qua veritate cognitionis sit agendum.

Prænotandum autem imprimis nos hic non agere de veritate cognitionis, prout cognitio habet simpliciter rationem entis: Nam, hoc modo, idem iudicium est de veritate cognitionis, atque de veritate cuiuslibet alterius entis: Sed agere de veritate cognitionis, quatenus cognitio est, & quatenus tum veri, tum falsi capax est, seu agere de veritate quę est in cognitione vel in intellectu, quæ longè differt à priori; quia prior est considerationis Metaphysicæ, ista non sic. Intereà, prior sequitur semper cognitionem, sicut propria veritas vnumquodque ens cuius est veritas: posterior autem non sic; quia potest esse cognitio falsa, & per consequens non habens istam veritatem de qua loquimur.

Controuertitur an sit veritas in simplicibus.

Prænotandum 2. Grauem esse controuersiam inter aliquos Modernos, an veritas cognitionis vnicâ ratione finiri possit? Qui docent veritatem in sola cognitione complexorum reperiri, scilicet vel in conformitate cognitionis ad obiectum complexum cognitum, vel in conformitate obiecti complexi cogniti ad ipsam cognitionem; consequenter dicunt veritatem cognitionis esse vnam specie, & vnâ ratione exprimi posse. Qui verò docent etiam in cognitione incomplexorum, & simplicium apprehensione esse veritatem, distinguunt consequenter inter veritatem cognitionis complexorum, & inter veritatem cognitionis incomplexorum; quia putant veritatem cognitionis simplicis non posse esse eiusdem rationis cum veritate cognitionis complexæ.

Et certè negari non potest quin in compositione & diuisione, specialis aliqua reperiatur veritas. Non enim sine causa Aristoteles 1. de Interpret. c. 1. 3. de anima. c. 7. 6. Metaphysic. c. 2. & lib. 9. cap. 10. specialiter dixit in sola mentis compositione & diuisione reperiri veritatem. Cùm enim veritas incomplexa sit etiam aliqua veritas, necessum est, ex illis testimonijs, veritatem complexam, quæ in compositione & diuisione reperitur, esse speciali aliquo modo veritatem.

Duplex veritas ex Alensi.

Prænotandum autem 3. Diligenter id quod habet Alexander Alensis in istud noni Metaphysic. cap. vltimo. *Certè illud quidem verum, hoc verò falsum est. Attingere namque ac dicere verum est: Non enim est idem affirmatio & dictio. Non attingere verò est ignorare.* Notandum est, inquit, quòd veritas intellectus duplex est: vna enim veritas intellectus, est scire simpliciter quidditatem; alia veritas est, scire quidditatem de re cuius est quidditas. Aliter enim dicitur intellectus verus, ex eo quòd capit quid est humanitas: Aliter ex eo quòd affirmat humanitatem de eo cuius est humanitas, putà de Sorte & Platone; sicut etiam aliter dicitur intellectus verus, ex eo quòd capit quid est albedo; & aliter ex eo quòd

affirmat albedinem de eo cuius est albedo, dicendo hominem esse album. Primo enim modo dicitur verus, ex eo quòd attingit naturam & quidditatem puram in se & simplicem: Secundo autem modo, ex eo quòd illam quidditatem quam attingebat, referebat ad aliud cuius est: & quia illud attingere est ex hoc quòd res repręsẽtatur intellectui; ideò dixit Philosophus quòd veritas primo modo est in repręsentatione. Vbi notandum est, quòd sicut est aliud definitio, & aliud propositio: ita aliud est repræsentatio, & aliud affirmatio: repræsentatio enim fit per definitionem; propositio autem per affirmationem: & sicut aliud est definire, & aliud affirmare; sic aliter est veritas apud intellectum definientem, & aliter apud intellectum affirmantem: quia primo modo veritas est, ex hoc quòd intellectus capit quidditatem simplicem repręsentatam per definitionem: Secundo autem modo, ex hoc est ibi veritas, quòd eamdem veritatem reflexit ad illud cuius est. Hæc Alexander.

Quomodo ex Scoto, veritas sit in simplicibus, & in complexis.

Doctor Subtilis addit in suis Commentariis ad eumdem locum, & quæstione illâ 3. lib. 6. Metaphysic. verum in intellectu esse duplex, scilicet verum incomplexum, & verum complexum, secundùm duplicem operationem intellectus, secundum quarum vtramque, natus est conformari obiecto, vt mensuratum mensuræ, ex 5. huius cap. de ad aliquid. Est autem inter istas veritates, inquit, vna differentia, quia veritati incomplexæ non opponitur falsitas, sed ignorantia, iuxta illud 3. de Anima, vbi dicitur quòd intellectus circa quod quid est, semper est verus; sicut sensus circa proprium sensibile. Et hoc intelligendum est pręcipuè circa conceptum simpliciter simplicem. Voco autem conceptum simpliciter simplicem, qui non est resolubilis in alios conceptus, sicut est conceptus Entis, & conceptus vltimarum differentiarum. De tali ergo conceptu verum est illud 3. de Anima. Nam intellectus simplex circa conceptum non simpliciter simplicem, licet non possit esse formaliter falsus; potest tamen esse virtualiter falsus, apprehendendo scilicet aliquid sub determinatione non conueniente, sed repugnante sibi. Et hoc modo dicitur 5. huius, cap. de Falso, quòd est aliqua ratio in se falsa, putà ista: Animal rationale insensibile: & tamen illa ratio in se falsa est intelligibilis simplici apprehensione, licet ipsa non includat aliquod quid, nisi fortè quid nominis. Secundæ autem veritati, quæ est veritas complexa, opponitur ignorantia priuatiuè, & falsitas contrariè, quando scilicet vniuntur ea quæ in re non sunt vnita. Hæc Scotus.

Tribus modis contingit verum cõplexũ.

Prenotandum 4. quòd quamuis veritas reperiretur solùm in cognitione complexorum; dubitari adhuc posset an illa vnicâ ratione finiri possit. Nam triplex distingui potest obiectum complexum, cui potest actus intellectus esse conformis, nimirum principia necessaria, conclusiones neçessariæ, & propositiones contin-

contingentes: extrema principiorum necessariorum habent habitudinem quandam virtualem, cui actus intellectus potest esse conformis, formando vel actualem aliquam complexionem, inter illa, expressam per particulam, *est*, de tertio adiacente: & hæc habitudo non est causata per aliam priorem habitudinem, si modò principia illa non habeant euidentiam ex alijs, sed sint nota ex terminis. Extrema etiam conclusionum necessariarum habent naturalem habitudinem virtualem, antequam intellectus formet complexionem expressam per verbum, *est*, de tertio adiacente: sed illa habitudo est causata per habitudinem extremorum principiorum, ex quibus deducuntur istæ conclusiones. Propositionum etiam contingentium extrema habent aliquam virtualem habitudinem, antequam intellectus formet suam complexionem; at illa habitudo non oritur ex natura extremorum, sed ex quadam causa extrinseca vniente illa extrema simul: v. g. huius propositionis contingentis; *Petrus currit*, vel *Petrus est currens*, nõ posset intelligi Petrus & cursus, quin statim intelligeretur cursum conuenire Petro, quod falsum est: sed habitudo illa consurgit & ex voluntate Petri, quâ liberè se determinat ad currendum, & ex aliis causis concurrentibus ad istum cursum. Istud autem triplex obiectum complexum natum est causare euidentiam, & per consequens veritatem sui, suo modo, in intellectu potenti ferri in ipsum. Eapropter meritò dubitatur an propter varias illas habitudines quas habent ista obiecta complexa, vel potius extrema illorum; variæ etiam sint veritates cognitionis eorum?

Prænotandum 5. Quòd cùm duplex sit conceptus vniuscuiusque rei, nimirum formalis & obiectiuus; dubitari, an veritas cognitionis consistat in conformitate conceptus obiectiui, vel ad conceptum obiectiuum; aut potius in conformitate conceptus formalis, vel ad conceptum formalem. Durandus in 1. dist. 19. qu. 5. num. 13. vult quòd in conformitate conceptus obiectiui; itaut veritas apud ipsum, nihil sit aliud quàm conformitas eiusdem rei vt intellectæ, ad seipsam, vt est in re, & in actu. Eandem sententiam secutus est ex recentioribus Gabriel Vasquez 1. part. disp. 76. c. 1. & pro ea citantur Heruæus, Soncinnas, Iauellus, & alij. Alij dicunt quòd in conformitate conceptus formalis ad rem ipsam, vel repræsentatã, si per conceptum formalem intelligant speciem expressam repræsentantam; vel cognitam, si per conceptum formalem, intelligant ipsum actum intelligendi. Ita Caietanus 1. p. q. 16. art. 2. & Suarez tom. 1. Metaph. disput. 8. sect. 1. num. 5. & pro eadem sententia citantur apud ipsum D. Thomas, Ægidius, & alij. Quid autem de hac re sentiat Scotus dicetur. *An veritas cõsistat in conformitate cõceptus formalis vel obiectiui.*

Prænotandum 6. Dubitari adhuc posse, an veritas illa cognitionis dicat quid absolutum, vel quid respectiuum: & si quid respectiuum; an respectus ille sit realis, vel rationis? Dicunt aliqui dicere *An veritas dicat quid absolutum, vel quid respectiuã;*

quid absolutũ, dicunt alij dicere respectum: & eorum quidam respectum illum esse realem, alij verò esse rationis tantùm. Hęc omnia resoluentur sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

Veritas reperitur in cognitione cóplexa intellectus.

VEritas reperitur in cognitione complexa, seu in secunda mentis operatione, siue illa sit compositio, siue diuisio. Hæc conclusio est adeò certa, vt à nemine peripatetico sanæ mentis negari possit. Adeò enim vrgent pro hac sententia Philosophi testimonia, vt etiam probare videantur non in alia actione intellectus, quàm in illa, veritatem cognitionis reperiri, vt etiam existimant multi, præsertim Durandus loco superiùs citato num. 14. & Gabriel Vasquez 1. part. disput. 75. cap. 2. quorum sententia est, veritatem intellectus in sola compositione & diuisione propriè reperiri. Addendo autem particulam illam, *propriè*, videntur in terminis ludere, vt ostendemus sequenti conclusione. Testimonia autẽ quibus nostra probatur cõclusio ex Philosopho, desumuntur potissimùm ex lib. 1. de Interpretatione cap. 1. ex 3. de Anima cap. 7. ex 6. Metaphysic. cap. 2. & ex 9. c. vltimo.

Ratio autem esse potest, communis modus loquendi & sentiendi: Tunc enim aliquem existimamus veram alicuius rei cognitionem adeptum, quando iudicat eam ita esse, componendo, vel non esse, diuidendo, sicuti est, vel non est à parte rei: Quare non potest non esse veritas in iudicio compositiuo & diuisiuo intellectus. Et ex hac veritate mentali, sequitur veritas vocalis propositionis vel affirmatiuæ, vel negatiuæ. Dixi in iudicio etiam diuisiuo. Quia non minùs est verus intellectus cùm diuidendo iudicat aliquid non esse hoc aut illud, si à parte rei non sit hoc aut illud; quàm cùm componendo iudicat esse hoc aut illud, si à parte rei sit hoc aut illud, v. g. æquè verus est intellectus iudicando per diuisionem, hominem nõ esse equum, vel Leonem, quàm iudicando per compositionem, esse animal, vel substantiam: Ergo veritas cognitionis est æquè in vtroque iudicio tùm compositiuo, tùm diuisiuo intellectus. Et confirmari potest exemplo veritatis propositionum. Tam enim vera est propositio negans, v. g. ista: Homo non est equus, quàm affirmans, v. g. hæc: Homo est animal.

Obiectio

Obijcies. In hoc distinguitur veritas incomplexa à veritate cõplexa, vt dicemus sequenti conclusione ex Doctore Subtili, quòd illa non habeat virtualem conformitatem ante opus intellectus; Hæc autem habeat, v. g. veritas huius iudicij: *Homo est animal*, habet virtualem conformitatem ante opus intellectus, quatenùs extrema illa, homo, &, animal, habent habitudinem aliquam, antequam intellectus formet suam complexionem. Ergo nulla debet esse veritas complexa seu alicuius complexi, cuius extrema non habeant conformitatem aliquam virtualem, antequam intellectus formet suam

complexionem formalem; vt per hoc, veritas complexa distinguatur à veritate incomplexa: at extrema veritatis complexæ iudicii, diuisiui, non habent conformitatē, sed potius difformitatem: Ergo vel in iudicio diuisiuo non est veritas, vel non benè distinguit Scotus veritatem complexam à veritate incomplexa.

Solutio. Respondeo me dicturum aliqua sequenti conclusione de ratione distinctionis veritatis complexæ à veritate incomplexa. Sed interim, dico mentem Doctoris Subtilis non esse, ibi solùm esse veritatē conplexam, vbi extrema iudicij habent conformitatem: Nam etiam est veritas, vbi illa extrema habent difformitatem, modò illa apprehendatur per iudiciū diuisiuum. Propterea tamen non malè distinxit Scotus veritatem complexam à veritate incomplexa; quia si opposuit tantùm veritatem complexam compositionis veritati incomplexæ; hoc ideò fecit, quia veritas compositionis prior & notior est veritate diuisionis. Itaque, quemadmodum extrema veritatis compositionis habent aliquam habitudinem & conformitatem virtualem, antequam intellectus actu componat illa, ratione cuius conformitatis virtualis, dicitur intellectus verus, quando illa extrema ita componit apud se, sicut virtualiter sunt composita in re: Ita, extrema veritatis diuisionis habent aliquam difformitatem virtualem, antequam intellectus illa actu diuidat, ratione cuius difformitatis virtualis, dicitur intellectus verus, quando nimirum illa extrema ita diuidit apud se, sicut virtualiter sunt diuisa in re.

Veritas in difformitate æquè ac in conformitate, & quomodo.

Secunda Conclusio.

Veritas reperitur etiā in simplicium apprehensione.

NEgari non potest quin reperiatur aliqua veritas in simplicium apprehensione. Probatur authoritatibus Aristot. Imprimis 3. de Anima c. 7. *Intellectus autem non omnis*, inquit, *sed intellectus ipsius quid est secundùm quidditatem, est verus, non aliquid de aliquo, sed vt aspectus proprij obiecti est verus.* Hanc sententiam ita interpretatur Scotus locis citatis, vt dicat velle Philosophum, veritatem etiam reperiri in simplici apprehensione ipsius quod quid est; non tamen illam quæ reperitur in enuntiatione alicuius prædicati de aliquo subiecto, sed aliam similem ei quā sensus circa proprium sensibile, quod simpliciter apprehendit, verus esse dicitur. D. Thomas etiam in eundem locum, lect. 11. ait, quòd licet intelligibile incomplexum non sit neque verum neque falsum, intellectus tamen intelligendo ipsum, verus est, inquantum adęquatur rei intellectę. Pacius in suis Commentarijs ad eundem locum, ait: *Secundùm quidditatem intellectus est verus, idest, veritate simplici est verus*: & subiungit: *Nota est in scholis diuisio inter veritatem quæ est in intellectu simplici; vt cùm concipit hominem, vel aliquid aliud, quod reuera est; & veritatem compositam quæ in affirmatione vel negatione spectatur.* Item 9. Metaphysic. cap. vlt. distinguit Philosophus inter

verum ſimplex, & verum complexum; quòd illud in repręſentatione ſit, hoc in affirmatione; illud ignorantiæ tantùm opponatur, hoc falſitati. Ergo intellexit etiam in ſimplicium apprehenſione veritatem reperiri, vt optimè declararunt Alenſis & Scotus adducti prænotato tertio.

Solutio aduerſariorũ diſſoluitur. Ad hæc reſpondent aſſertores oppoſitæ ſententiæ, videlicet Vaſquez 1. p. diſ. 75. cap. 2. & 4. & alij, quos pro ſua ſententia refert, illis locis non eſſe Ariſtotelem intelligendùm de veritate propria & primaria; ſed de veritate minùs propria, & ſecundaria. Sed, vt dixi, hoc eſt, in verbis tantùm ludere: Nam fatemur vltrò, fortè nomen veritatis, priùs eſſe impoſitum ad ſignificandam veritatem complexam, quàm veritatem incomplexam. At ſi in reipsâ, veritas cognitionis nihil eſt aliud quàm conformitas intellectus ad rem intellectam: ſi ſimplex aliqua apprehenſio intellectus ſit conformis rei ſimplici apprehenſæ; cur non eâ ratione æquè benè dicetur intellectus verus; atque quando componit aut diuidit conformiter rei compoſitę aut diuiſæ?

Dicent rationem eſſe Ariſtotelis authoritatem. Iam itaque ad Ariſtotelem dicamus, ſimulque explicemus quânam ratione ſpecialiùs veritas dicatur de veritate complexa, quàm de veritate incomplexa. Mitto imprimis authoritates Ariſtotelis, quibus ſimpliciter affirmat verum & falſum in compoſitione & diuiſione eſſe; & adduco illas quibus videtur negare verum & falſum in ſimplicibus, ſeu incompoſitis reperiri. Hæc enim magis vrgent contra nos, quàm illæ.

Explicatur Philoſophus. Dicit igitur 1. de Interpret. cap. 1. *Quemadmodum autem in anima conceptus interdum ſine veritate, falſitateue eſt; interdum verò talis, vt alterum horum ei competat neceſſariò; ſic & in voce eſſe videtur: Nam & verum & falſum in compoſitione conſiſtit.* Citatur etiam 9. lib. Metaphyſic. cap. vlt. vbi Gabriel Vaſquez dicit illum habere iſtud per interrogationem. *Circa incompoſita verò quid eſſe aut non eſſe & verum & falſum?* Quæ interrogatio affirmans (inquit) ſenſum negantem continet, ac ſi diceret in ſimplicibus non reperiri aliquid eſſe aut non eſſe, quod eſt compoſitio & diuiſio; nec verum & falſum, Nihilominus nullibi potui reperire iſtud haberi apud Ariſt. per interrogationem; imò abſque interrogatione habetur in omnibus codicibus tùm impreſſis, tùm antiquiſſimis manuſcriptis Græcis, Latinis, & Gallicis, qui extant in Bibliotheca Regia, & in Bibliotheca Victoriana. Quare Alenſis & Scotus dicunt Philoſophum non negare eo loci, quin ſit veritas in ſimplicibus; ſed negare tantùm quòd ſit ea quæ eſt in compoſitione & diuiſione.

Optima interpretatio noſtri magni Alenſis. Id indicant quæ ſequuntur: *Non enim eſt compoſitum, vt ſic quidē ſi componatur, non ſit autem ſi diuiſum ſit, ſicuti album lignum, aut diametrum incommenſurabilem eſſe. Nec verum & falſum ſimiliter etiam in illis erit.* Hoc eſt quod dicit, in-

quit Alexander, nimirum videndum esse quomodo sit & nõ sit verum & falsum circa hæc incomposita & simplicia; Non enim circa simplicia est verum & falsum ex compositione & diuisione: Non enim possumus dicere quòd tale simplex aliquãdo sit, quando compositum est, & aliquando non sit, quando est diuisum; quia esse & non esse talium non est in compositione & diuisione; sicut esse ligni albi est in compositione subiecti & accidentis, & esse diametri & commensurationis est in diuisione eorumdem, quia dicimus diametrum incommensurabilem, & quia esse & non esse non est hoc modo in simplicibus; ideò nec verum & falsum. Hæc Alexander. Sic fit satis posteriori authoritati Philosophi.

Ad priorem præmitto quandam esse veritatem, cui falsitas; & aliam, cui ignorantia opponitur. Veritati complexæ falsitas opponitur; veritati incomplexæ ignorantia, vt dictum est prænotato 3. ex Arist. 9. Metaphysic. cap. vlt. & ex Alensi & Scoto in eum locum. Hoc posito, dico quòd quando Aristoteles negat veritatem in simplicibus reperiri, loquitur tantùm de veritate cui falsitas opponitur, non de omni veritate. Et certè huic explicationi fauent eius verba vbique. Cùm enim loquitur de veritate quæ in cõpositione & diuisione est, semper meminit etiam falsitatis, imò quandoque solius falsitatis mentionem facit, vt 3. de Anima, c. 7. *Falsitas enim*, inquit, *semper in compositione consistit*. Nullibi autem, suppressâ falsitate, dicit veritatem semper in compositione consistere.

Dubitatur iam, an id sufficiat ad distinguendam veritatem simplicium à veritate compositorum? Dicunt aliqui quòd non; quia sequeretur inde, falsitatem esse propriam compositis, & veritatem simplicibus, & non benè dici posse veritatem esse propriam compositis. Sed hæc ratio non multùm vrget: dici enim posset veritatem solitariè spectatam, esse indifferentem ad simplicia & composita; nec vlibi Aristotelem fecisse illam vt sic, propriam compositis: At veritatem vt oppositam falsitati, esse propriam compositis; & vt oppositam ignorantiæ esse propriam simplicibus. Et quidem admissâ illâ duplici veritate, de mente Aristotelis; nullum aliud discrimen assignari potest ex ipso inter vtramque, nisi quòd veritas compositorum opponitur falsitati, veritas simplicium ignorantiæ.

Quomodo veritas incomplexa & complexa distinguantur.

Tamen non pigebit alias rationes ex alijs indagare, quibus veritas complexa ab incomplexa distinguatur & secernatur. Quidam ergo, imprimis apud Doctorem Subtilem, quæstione illâ 5. libri sexti Metaphysicorum, dicunt illam ab hac distingui, quòd illa non modò sit subiectiuè in re, vel in intellectu; sed etiam obiectiuè. Hoc tamen non placet Scoto. Quia veritas complexa non aliter potest esse obiectiuè in intellectu, nisi quia intellectus reflectendo se supra illam suam actionem, quâ complexum aliquod cognoscit, videt

Veritas complexa non distinguitur ab incomplexa, quia illa sit obiectiuè in intellectu, hęc nõ sit.

& apprehendit conformitatem suæ actionis ad rem intellectã: At quâ ratione potest reflecti supra suum iudicium seu compositiuum, seu diuisiuum, eâdem reflecti potest supra suam simplicem actionem, quâ incomplexum aliquod apprehendit. Ergo quâ ratione per reflexionem, veritas complexa est obiectiuè in intellectu, eâdem, & eodem modo erit & veritas incomplexa in intellectu. Et certè (vt res exemplo firmetur) quâ ratione per actionem reflexam intellectus mei, cognoscendo me cognoscere hoc complexum: *Homo est animal*; apprenhendo conformitatem meæ cognitionis complexæ compositiuæ ad hoc compositum seu complexum, & consequenter veritatem complexam: eâdem ratione etiam per actionem reflexam eiusdem intellectus, cognoscendo me cognoscere hoc incomplexum, *Homo*; apprehendo conformitatem cognitionis meæ simplicis ad istud incomplexum, & consequenter veritatem incomplexam, quæ eâ ratione dici potest esse in intellectu obiectiuè, sicut & veritas complexa.

Dicunt alij frustrà quæri distinctionem inter veritatem complexam, & veritatem incomplexam, vt satisfiat authoritatibus Philosophi dicentis veritatem solùm esse in compositione & diuisione. Quia inquiunt, hoc non est sic intelligendum, vt putemus veritatem tantùm esse in compositione & diuisione directa; quo pacto difficultas esse posset quâ ratione reperiri veritas posset in simplicium apprehensione: sed hoc est intelligendum de compositione & de diuisione reflexa; quo pacto nulla est difficultas, quin etiam veritas sit in apprehensione simplicium; quia in vtraque reflexione tum compositorum, tum simplicium, intellectus semper componit aut diuidit v. g. æquè compono cognoscendo me cognoscere hominem, atque cognoscendo me cognoscere hominem esse animal: quia sicut in hac reflexione, affirmo conformitatem de mea cognitione ad rem cognitam: ita in illa, affirmo etiam conformitatem de mea cognitione ad rem cognitam, quantumcumque cognitio directa fuerit simplex, & etiam cognitum fuerit simplex & incomplexum. Igitur eâ solâ ratione dixit Aristoteles veritatem & falsitatem esse solùm in compositione & diuisione, quia est in actione reflexa, tum compositorum tum simplicium, quæ semper est compositiua vel diuisiua. Sed hæc interpretatio quanquam tribuatur D. Thomæ, est contra mentem & verba Philosophi: dicit enim in simplicibus non esse veritatem & falsitatem: Ergo non de actione reflexa intelligendus est. Quia in actione reflexa simplicium, est etiam veritas compositionis aut diuisionis iuxta istam sententiam: Ergo cùm in cognitione simplicium non sit veritas aut falsitas; in cognitione autem compositorum sit, id debet intelligi de cognitione directa, & non de reflexa. Quo posito, restat semper inquiramus quî differat veritas complexa ab incomplexa,

cùm illa sic adeò specialiter dicatur veritas?

Alij alia dicunt. Sed existimo Scotum nostrum in huius vtriusque veritatis discrimine veritatem fuisse consecutum, quæstione illâ 3. multoties citatâ, paulò post medium his verbis: *Propter illud, notandum est quòd obiectum simplex, quod est significatum conceptus simplicis, nullum esse habet aliud quàm in conceptu, secundùm quòd esse, debet mensurare illum conceptum. Obiecta conceptus complexi, quæ sunt extrema, aliud esse habent quàm vt sunt in conceptu complexo, & priùs naturaliter in se, vt simplicia sunt; secundùm quod esse, priùs mensurant illum conceptum complexum: cui esse priori conceptum complexum conformari, est verum esse; difformari, est falsum esse. Hoc autem esse est habitudo virtualiter inclusa in extremis, ante naturaliter quàm extrema comparentur à ratione. Sed in simplici, nihil est prius naturaliter in extremo, cui conceptus potest conformari & difformari.* Et paulò infrà: *Nota*, inquit, *sicut dictum est, quare complexum est verum, quia complexionem quæ est à ratione præcedit naturaliter identitas extremorum, & alia habitudo virtualiter inclusa in ipsis, cui actum rationis conformari, vt mensura, est ipsum verum esse.* Quibus verbis, intendit ostendere quâ ratione veritas complexa specialiùs dicatur veritas, quàm veritas incomplexa. Ratio autem est: quia veritas, omnis in quadam habitudine & conformitate consistit, & vltra quod veritas complexa consistit in conformitate compositionis aut diuisionis ad rem compositam vel diuisam: extrema etiam rei compositæ, ante actum intellectus componentis, habent quandam virtualem habitudinem & veluti radialem affirmationem: extrema etiam rei diuisæ virtualem difformitatem. At vltra conformitatem cognitionis simplicis ad rem simplicem, in ipsa re nulla est virtualis habitudo extremorum, quia cùm res illa sit simplex, non habet extrema in quibus possit esse ista virtualis habitudo: & hac ratione veritatis specialiùs dicitur de veritate complexa, quàm de veritate incomplexa. Et ita, veritas complexa distinguetur ab incomplexa, quia in illa, ante actionem intellectus, est quædam virtualis habitudo, quædam scilicet compositio vel diuisio fundamentalis, & affirmatio vel negatio radicalis; in ista, non sic.

Quomodo tandem ex Scoto differant veritas côplexa, & veritas incomplexa.

Notanda valdè hæc doctrina Scoti.

Ex his solui poterit difficultas prænotato secundo proposita: An nimirum veritas vnicâ ratione finiri possit, necne? Si enim veritas consistat simpliciter in conformitate actus cognoscendi, ad rem cognitam; clarum est non esse aliam rationem veritatis complexę, & aliam veritatis incomplexæ: quia tanta est conformitas actus simplicis intellectus ad rem simplicem intellectam; quanta est actus complexi ad complexum cognitum. Si autem, sicut in vocibus, veritas cognitionis postulat complexionem & iudicium aliquod, non erit eadem ratio huius, & illius veritatis. Nam ratio veritatis cognitionis, hoc pacto, tota erit in veritate complexa, & non nisi valdè impropriè, &

æquiuocè in veritate incomplexa. Sed hoc postremum minùs probabile iudico quàm primum. Quia verisimile valdè est, tum ex verbis Aristotelis, tum ex communi philosophandi ratione, rationem veritatis cognitionis consistere in conformitate intellectus seu actus intelligendi ad rem intellectam, & illam rationem esse vniuocam veritati complexæ & veritati incomplexæ: quæ tamen sub illa communi ratione, proprijs rationibus differunt, itaut veritas complexa sit conformitas actus complexi intellectus ad complexum cognitum; & veritas incomplexa conformitas actus incomplexi ad incomplexum cognitum. Si tamen seruatâ vnitate rationis communis; tum ex vsu, tum ratione fundamenti & significati, tum etiam ratione iudicij, veritas principaliùs & priùs dicatur de veritate complexa, quàm de incomplexa: Cùm significata seu obiecta cognita sint in multiplici differentia, vt dictum est, veritas etiam complexa erit adhuc multiplex: nimirum alia prima & causa alterius, vt veritas principij; alia secunda & causata, vt veritas conclusionis: alia necessaria, vt veritas complexi, cuius extrema naturâ suâ habent habitudinem adinuicem; cuiusmodi est istud: *Homo est animal*; alia contingens, vt veritas complexi, cuius extrema se respiciunt contingenter, & coniunguntur tantùm per causam extrinsecam, vt est istud, *Petrus currit*. Sed ista multiplex veritatis complexæ acceptio petitur ab extremis rei intellectæ, ve patet, & non ab ipsa conformitate actus intelligendi ad rem intellectam.

Obijcit potissimùm Vasquez disput. 75. cap. 3. in id quod dictum est principaliter in hac conclusione, nimirum veritatem etiam reperiri in simplicium apprehensione. Voces correspondent conceptibus, ita vt veritas vocum sequatur ex veritate conceptuum. At in simplicibus vocibus, nulla est veritas: Qui enim profert simpliciter istam vocem; *Homo*, nec verum, nec falsum significat. Ergo nulla quoque veritas est in simplicibus conceptibus. Respondeo primùm distinguendo minorem, scilicet in simplicibus vocibus, nullam esse veritatem coniunctionis aut disiunctionis; esse tamen veritatem significati & significationis. Adde quòd, ad maiorem dici potest vsum obtinuisse, vt aliter veritas diceretur de conceptibus, quàm de vocibus: de conceptibus enim dicitur per respectum ad rem conceptam; est enim veritas conceptuum seu cognitionis, conformitas intellectus ad rem intellectam: de vocibus autem dicitur per respectum attributi ad subiectum, vel vice versâ. Ideoque potest esse veritas in simplicibus conceptibus, licet nulla esset in simplicibus vocibus.

Obiectio ex Gabriele Vasquez.

Solutio

Qui differat veritas conceptuum & veritas vocum.

Tertia Conclusio.

Parum refert vtrum horum dicamus, nimirum vel veritatem consistere in conformitate conceptus formalis (intelligendo per conceptum formalem, ipsum

An veritas cõsistat in conformitate

concepus formalis ad rem intellectã, vel in conformitate cõceptus obiectiui ad rem ipsam, prout in se est.

ipsum actum intellectus) ad rem intellectam & conceptam; vel in conformitate conceptus obiectiui ad rem ipsam, prout in se est: Primum tamen verius esse videtur quàm secundum. Prior pars probatur. Quia veritatẽ consistere in conformitate conceptus formalis ad rem intellectam, est veritatẽ consistere in eo quod intellectus apprehendat rem sicuti est in se: veritatem autem consistere in conformitate conceptus obiectiui ad rem ipsam, est veritatem consistere in eo quòd res ipsa apprehendatur sicuti est. At parum refert vtrum horum dicamus, nimirum vel veritatem consistere in eo quòd intellectus rem apprehendat sicuti est; vel in eo quod res ipsa apprehendatur sicuti est. Nam quamuis rem apprehendere dicat actionem realem intellectus; & rem apprehendi denominationem tantùm extrinsecam; tamen ratione connotatorum vtrumque idem significat, vt patet. Ergo parum refert vtrum horum dicamus.

Secunda pars est Doctoris Subtilis quæstione illâ 3. multoties citatâ, vbi hoc ponit discrimen inter conformitatem quæ est inter extrema complexorum antequam intellectus formet suam complexionem, & inter conformitatem quæ est ipsius actus intellectus ad rem intellectam, quòd illa conformitas seu habitudo sit rationis tantùm, & non realis, quia extrema non semper realiter distinguntur; conformitas autem in qua consistit veritas cognitionis, est realis, quia est ipsius actus intellectus ad rem intellectam, tanquam mensurati ad mensuram. At si veritas consisteret in conformitate conceptus obiectiui ad rem ipsam vt est in se, illa conformitas non esset realis; quia conceptus obiectiuus est res ipsa prout obiicitur cognoscenda: vnius autem & eiusdem rei ad seipsam, licet sub varijs rationibus & denominationibus extrinsecis spectatam, nullus potest esse respectus realis. Ergo de mẽte Scoti, veritas cognitionis consistit in conformitate ipsius actus intellectus ad rem intellectam.

Dici potest quòd conformitas illa esset realis ratione connotati, quâ ratione dicimus esse veritatem in conceptu obiectiuo. Respõdetur primò istum modum explicandi veritatem in conceptu obiectiuo, esse præter mentem eorum qui hoc communiter defendunt. Prætereà, dico quòd ponendo conformitatem illam esse realem, realitas eius obscuriùs explicatur per actum intellectus vt connotatum duntaxat, quàm per ipsummet primariò & directè positum: quomodo illum ponimus, cùm dicimus veritatem consistere in conformitate eius ad rem cognitam.

Probatur autem ista secunda pars 1. ex Arist. in Prædicamentis cap. de Substantia, dicente: *Ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Non dicit ex eo quòd res vera est, sed ex eo quòd res est, vt rectè notauit D. Thomas 1. p. qu. 16. art. 1. ad 3. Ergo veritas est in propositione tum vocali tum mentali per habitudinem ad rem quæ est vel non est; & non in

ipsa re, vt obiecta intellectui ad seipsam, vt in se est. Ergo quemadmodum veritas quæ est in propositione vocali, non consistit in conformitate rei vt significatæ ad seipsam vt in se existentem; sed cōsistit in immediata conformitate vocis significantis ad rem significatam: Ita veritas quę est in propositione mentali, non consistit in conformitate rei vt obiectæ intellectui ad seipsam, vt in se est; sed consistit in immediata conformitate actionis intellectus vel simpliciter apprehendentis ad rem apprehensam, vel componentis aut diuidentis ad rem compositam aut diuisam.

Prætereà, vt rem ipsam profundiùs rimemur: Quomodo veritas posset consistere in conformitate conceptus obiectiui ad rem ipsam, vt in se est, nisi hoc explicaretur eo modo, quo explicuimus? Nam conceptus obiectiuus est ipsa res quæ objicitur intellectui cognoscenda: Objicitur autem cognoscenda vt in se est; itaut supra rem vt in se est, nihil addi possit nisi ipsam obijci intellectui, & apprehendi ab intellectu. Conformitas autem illa, non est ipsius rei vt in se est, ad ipsammet vt in se est, vt patet & fatentur omnes. Ergo est ipsius rei vt obiectæ intellectui, & apprehensæ ab eo, ad ipsammet vt in se est. Quid est autem rem non habere conformitatem nisi, vt obiectam & apprehensam, quàm non habere conformitatem, nisi vt affectam ipsâ apprehensione intellectus, quâ denominatur & attingitur; itaut tunc tantùm adsit illa conformitas, quando intellectus rem apprehendit, vel res apprehenditur ab intellectu, sicuti est? Ergo conformitas illa, & per consequens veritas cognitionis, est semper in actione intellectus ad rem ipsam intellectam.

Hæc veritas clarior adhuc fiet ex solutionibus argumentorum Durandi. Sic itaque ratiocinatur in 1. dist. 19. q. 5. num. 11. Conformitas actus cognoscendi intellectus ad rem cognitam, est vel conformitas in essendo, vel conformitas in repræsentando aut cognoscendo. Non conformitas in essendo, vt patet; quia actus intellectus semper est accidens, & id quod intelligitur, potest esse substantia. Ergo est conformitas in repræsentando, vel in cognoscendo. At hoc posito, veritas est in conformitate conceptus obiectiui, ad rem ipsam vt in se est. Probatur. Conformitas in repræsentando vel cognoscendo pręcisè consistit in hoc quòd repræsentans vel cognoscens, repræsentat vel cognoscit rem sic esse sicut ipsa est. Maior ista patet. Sed talis conformitas attenditur solùm secundùm id quod se habet obiectiuè ad intellectum. Hoc probatur: Quia cùm dicitur quòd intellectus intelligit rem sic esse sicut ipsa est; *sic*, & *sicut*, notæ sunt conformitatis prædictæ, in qua formaliter consistit veritas: Sed, *sic*, & *sicut* sunt ibi conditiones obiecti, & non ipsius actus intelligendi: Non enim est sensus, quòd actus intelligendi sic se habeat ad intellectum, in quo est subiectiuè, sicut se habet res intellecta ad

Ponuntur rationes aduersę sententiæ quæ est Durandi.

ſuum eſſe reale, quia hoc eſſet falſum; ſed eſt ſenſus, quòd res intelligitur ſic eſſe, ſicut ipſa eſt; ita quòd conformitas eſt inter eſſe apprehenſum, & eſſe in re: Quia quale eſſe habet res, tale habet apprehenſum, & non aliud: Et licet res non ſit apprehenſa niſi per actum qui eſt in intellectu ſubiectiuè, tamen eſſe apprehenſum dicit conditionem denominantem obiectum, & non intellectum, nec actum intelligendi; quia intellectus vt ſic, non eſt apprehenſus ſed apprehendens, nec intelligere eſt apprehenſum, ſed apprehenſio. Et ita conformitas in qua conſiſtit veritas, attenditur ſecundùm id quod habet ſe ad intellectum obiectiuè, & non ſubiectiuè.

Soluitur prima ratio Durandi. Reſpondeo conformitatem illam non eſſe conformitatem in eſſendo, ſed in cognoſcendo. Et tunc conceſsâ maiore alterius ſyllogiſmi, nego minorem, & ad probationem dico, *ſic*, & *ſicut* non eſſe conditiones obiecti, niſi vt connotantis actum intellectus, quo res ita dicitur apprehendi ſicut in ſe eſt: ac proinde eſſe etiam conditiones ipſius actus intelligendi; non tamen eo ſenſu, vt propterea dicamus ita ſe habere actum intelligendi ad intellectum, ſicut ſe habet res intellecta ad ſuum eſſe reale, quemadmodum explicat Durandus. Sed eo ſenſu, quia intellectus per actum ſuum, ita percipit rem ſicut in ſe eſt. Verũ eſt itaque intellectum non denominari apprehenſum, ſed apprehendentẽ, & actum intellectus non denominari apprehenſum, ſed apprehenſionem. Sed verum eſt quoque conditiones illas, *ſic*, *ſicut*, *ita* & ſimiles, ita cadere ſupra intellectum & actum eius, atque ſupra obiectum; imò non cadere ſupra obiectum, niſi vt connotat actionem intellectus, ſecundùm quam denominatur res conformis ſibi ipſi, vt in ſe eſt. Applicantur autem huiuſmodi conditiones tum intellectui, tum actioni eius, ſic, vt dicamus rem in ſe ita eſſe, ſicut intellectus eam apprehendit, vel ſicut actus eius ad eam terminatur. Et ita concedimus vt priùs, conformitatem poſſe eſſe in conceptu obiectiuo, non eo ſenſu quo dicit Durandus, ſcilicet excludendo conceptum formalem ſeu actum intellectus, in quo potiſſimùm eſt, ſed potiùs ipſum connotando, & ſic includendo, vt abſque eo nulla eſſet conformitas ampliùs in conceptu obiectiuo.

Ponitur ſecunda ratio Durandi. Secundò ſic ratiocinatur Durandus: Illud eſt verum formaliter quod ſignificatur per propoſitionem veram. Sed obiectum intellectus enuntiatiuè ſumptum ſignificatur per propoſitionem veram. Ergo veritas eſt formaliter conditio noſtri intellectus, & non alicuius exiſtentis ſubiectiuè in intellectu. Maior patet: quia ſignum non dicitur tale, niſi quia ſignificat illud quod eſt tale formaliter: Sicut vrina non dicitur ſana, niſi quia ſignificant ſanitatem animalis, quæ eſt formaliter ſanitas. Et idem dicitur de propoſitione, quæ non dicitur vera, niſi quia ſignificat illud quod eſt formaliter verum. Minor de ſe patet:

Quia propositio vera non significat nisi illud quod est enuntiatiuè apprehensum per intellectũ tanquam eius obiectum: & sic patet quòd veritas est conformitas intellectus ad rem intellectam, inquantùm id quod de re enuntiatiuè apprehenditur, est conforme, vel potius idem cùm entitate rei: & sic est relatio eiusdem ad seipsum, secundùm esse intellectum, & esse reale.

Soluitur. Respondeo negando maiorem: Et ad probationem dico signa denominari talia à significatis formaliter talibus, quando significata sunt talia per formas absolutas, & per denominationem intrinsecam, vt contingit in exemplo allato: Quando autem significata non sunt talia per formas absolutas, sed tantùm per formas respectiuas, & per quandam denominationem extrinsecam, ad quam desiderantur etiam ipsa signa, tunc non possunt denominari à significatis talibus; sed potius ipsa significata denominantur talia per signa, vt in proposito. Dato enim quòd actus intellectus sit signum rei intellectæ, & res intellecta sit significatum illius signi; actus ille non denominatur talis, putà intellectiuus à tali significato, putà à re intellecta: sed potius res intellecta denominatur talis ab illo actu intellectiuo, vel ab intellectu intelligente. Ad propositum itaque; obiectum non denominatur verum per formam aliquam absolutam & intrinsecè denominantem, loquendo de veritate cognitionis, & de denominatione formali: sed per formam respectiuam, & per denominationem extrinsecam, ad quam etiam requiritur actus intellectus tanquam id à quo desumitur ista denominatio. Quia veritas cognitionis est conformitas actus intellectus ad rem intellectam: Conformitas autem illa dicit respectum, realem quidem & intrinsecum ex parte actus; rationis autem & extrinsecum ex parte rei cognitæ, vt dicemus sequenti conclusione. Ergo veritas non est in propositione, nec in actione intellectus, ex eo quòd priùs sit in re concepta & intellecta.

Replica Durandi. Replicabit Durandus, in re enuntiatiuè apprehensa esse veritatem aliquam, ex qua actus intellectus denominatur verus, nimirum habitudinem extremorum, secundùm quam intellectus dicitur verus, quando scilicet similem habitudinem format inter conceptus suos, qualis est inter res conceptas. Sed respondetur imprimis illam non esse veritatem cognitionis, tùm quia præcedit actionem intellectus; tum quia ab illa habitudine simpliciter non denominatur intellectus verus, sed à conformitate quam actus illius habet ad complexum illud, cuius extrema habent istam habitudinem. Ita quòd veritas intellectus non sit simpliciter illa enuntiatiua apprehensio illius enuntiatiui apprehensi, vt terminis Durandi vtar, sed sit conformitas apprehensionis cum isto apprehenso.

Vltima Conclusio.

Veritas est relatio.

VEritas tùm complexa, tùm incomplexa est formaliter relatio non mutua. Conclusio est Doctoris Subtilis quæstione illâ 3. lib. 6. Metaphysic. Et imprimis quòd sit relatio probatur. Quia conformitas omnis est relatio, quâ aliquid dicitur alteri conforme. At veritas est conformitas quâ intellectus vel actio eius dicitur conformis obiecto cognito. Ergo veritas est relatio: Quòd enim dicit Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 8. sect. 2. num. 9. & sequent. veritatem nihil addere supra actum intellectus, nisi connotationem & concomitantiam obiecti; vel non satis rem explicat, vel in idem redit quod nos dicimus; quod tamen ipse non fatetur.

Primum patet, quia potest dari actus aliquis intellectus etiam connotans obiectum, absque eo quòd intelligatur verus. Prius est enim intellectum posse versari circa obiectum aliquod, quàm versari circa illud, vt ita est, vel non est à parte rei.

Reprehenditur Suarez.

Secundùm declaratur. Quia si connotatio illa non sit simplex; sed sit connotatio obiecti, vt se habentis eodem modo quo concipitur ab intellectu, vel quo repræsentatur per actum intellectus, vt velle videtur; quid est hoc dicere, nisi actum intellectus eatenùs esse verum, quatenùs connotat obiectum, tanquam extremum, ad quod terminatur relatio conformitatis quam habet ad illud?

Veritas est relatio non mutua.

Secunda pars conclusionis, nimirum quòd illa relatio sit non mutua, probatur: Est realis ex parte actionis intellectus, & rationis tantùm ex parte obiecti: Ergo est non mutua. Consequentia patet. Prima pars antecedētis probatur. Relatio mensurati vel mēsurabilis ad mensurans, est realis: spectat enim ad tertium genus relationum realium. Sed ista relatio est huiusmodi ex Scoto, & etiam ex D. Thoma multis in locis, & probatur. Ab eo quòd res est vel non est; propositio tùm mentalis, tùm vocalis dicitur vera vel falsa. Ergo determinatur & specificatur actio intellectus enuntiatiua, ac etiam simplex ab obiecto vt est vel non est. Sed hoc sufficit ad rationem mensuræ realis. Prætereà ex dictis. Alia est veritas complexa necessaria, alia contingens; & necessaria quidem, alia prima & incausata, alia secunda & causata. Sed istæ differentię petuntur ab obiectis complexis, quorum extrema se habent necessariò vel contingenter, & aliis modis adinuicem. Ergo veritas dicitur necessaria vel contingens, &c. ab obiectis. Sed hoc est mensurari ab obiectis, vt patet: Ergo actus intellectus quatenùs est verus, dicit relationem mensurati ad obiectum, cui est conformis. Altera pars patet: Quia veritas ista cognitionis, in obiecto cognito, nihil aliud est, quàm denominatio quædam extrinseca orta à conformitate reali quæ est in actione intellectus: Quemadmodum esse cognitum in obiecto cognito, nihil aliud est quàm denominatio extrinseca prouueniens ex cognitione reali intelle-

ctus, quatenùs terminatur ad ipsum: Ergo nihil ponit reale in obiecto, sed in eo dicit tantùm terminationé conformitatis realis, quæ est in intellectu.

Ponuntur quędã difficultates.

Sed circa hæc, duæ non leues insurgunt difficultates. Altera de scientia practica Dei; altera de actu intellectus diuini. Si enim veritas cognitionis consistat in conformitate reali actus intellectus ad obiectum cognitum: quomodo scientia practica Dei erit vera, cùm non conformetur obiecto; sed potius obiectum ei conformetur, tanquam suæ causæ? Rursus: quomodo intellectus diuinus erit verus, intelligendo obiecta secundaria, pręsertim cùm veritas dicat relationem mensurati, & intellectus diuinus ab obiectis secundariis mensurari non possit; quia hoc arguit imperfectionem?

Quomodo scientia practica Dei, sit vera.

Ad priorem difficultatem respõdetur cognitionem diuinam practicam posse spectari duobus modis: Primò vt cognitio est simpliciter: secundò, vt practica est, vt cognitio est simpliciter, est vera, vt dictum est, per conformitatem realem ad obiectum cognitum: Vt practica est, iam hoc pacto vera non est propter rationem allatam. Nec hoc mirum videri debet: quia vt practica est, non recipit ampliùs denominationes istas veri vel falsi; sed potius efficacis, sufficientis & similes, quæ solent competere causis, & non cognitioni, vt sic. Tamen etiam vt practica, aliquo modo dici potest vera, nimirum per denominationem extrinsecam à veritate quæ est in obiecto operabili, & à conformitate quam habet ad ipsam vt ad causam suam.

Quomodo intellectus diuinus sit verus.

Ad posteriorem dico intellectum diuinum etiam esse verum, per respectum ad obiecta secundaria; quia illa eodem modo intelligit, quo sunt, vel futura sunt: Tamen veritas illa cognitionis diuinæ obiectorum secundariorum, vt sic, non est realis respectus; quia nihil accipit cognitio diuina à rebus secundariis intellectis: Nec etiã est respectus mensurati ad mensurans, propter rationem superiùs allatam.

Dices: Ergo veritas cognitionis non dicitur eodem modo de veritate cognitionis diuinæ: atque de veritate cognitionis creatæ. Transeat: Veritas enim cognitionis, non est veritas quæ est passio Entis, de qua aliter fortè philosophandum est propter nostram vniuocationem Entis. Tamen dici potest quòd seruatâ proportione, & seclusis imperfectionibus, veritas cognitionis eodem modo dici potest de veritate cognitionis diuinæ, atq; de veritate cognitionis creatæ: quia quidquid habet cognitio creata, & veritas eius ab obiecto, à quo habet quòd sit cognitio saltem partialiter, & quòd sit vera cognitio: Idem habet cognitio diuina & veritas eius ab obiecto primario, quod est Essentia diuina, à qua suo modo specificatur & mensuratur. Et quia virtute essentiæ diuinæ priùs cognitæ, intellectus diuinus cognoscit obiecta secundaria (intelligo res extrà) etiam virtute eiusdem essentiæ, cognitio diuina est vera respectu eorumdem obiectorũ secundariorum. Id explicui la-

tiùs alibi, nimirum in quodam Tractatu de Scientia Dei. Et hæc de veritate cognitionis.

QVÆSTIO III.

Quid sit Veritas rei, & in quo consistat?

Variæ referūtur sententiæ de veritate rei.



VLLVS negat dari veritatem aliquam transcendẽtalem, quę dicitur veritas rei, estque passio Entis. Sed non omnes eodem modo explicant quid sit, & in quo consistat. Dicunt aliqui esse tantùm denominationem extrinsecam, quâ res denominatur vera à veritate quæ est formaliter in intellectu, quemadmodum sanitas in deambulatione est denominatiuum aliquod extrinsecum à sanitate quæ verè & propriè est in animali. Ita Vasquez 1. part. disput. 77. cap. 3. & pro hac sententia citat aliquos veteres, præsertim Durandum in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. Et certè ex his quæ habet eo loci Durandus: Nimirum in comparatione ad obiectum, intellectum dici verum, quia apprehendit rem sic esse, sicut ipsa est; ideoque rem sic esse apprehensam sicut ipsa est, esse verum, ad quod tam veritas rei, quàm vocis & intellectus habent attributionem, constat veritatem esse denominationem tantùm extrinsecam, ab actu vero intellectus. Alij dicunt veritatem rei intrinsecè dicere entitatem realem ipsius rei, connotando tamen cognitionem seu conceptum intellectus. Ita Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 8. sect. 7. num. 24. Alij dicunt veritatem dicere conformitatem rei cuius est, ad sua principia. Alij conformitatem ad diuinas ideas. Vt quod in hac sententiarum multitudine tenendum sit, habeamus, sit hæc

Prima Conclusio.

VErum realiter nihil aliud est, quàm ipsum quod est, quatenus est. Sententia est Aristotelis 2. Metaphysic cap. 1. dicentis. *Vt vnumquodque est, ita & verum esse.* Est etiam D. August. lib. 2. Soliloquiorum cap. 5. dicentis *Verum esse id quod est.* Est insuper D. Hilarij lib. 5. de Trinitate, vbi disputans contra quosdam Arianos, qui dicebant Christum esse Deum, non tamen verum Deum, hæc habet: *Et primùm quæro: quid significationis habeat Deus, & no. Deus verus? Non enim verbi huius apprehendendo rationem, si dicatur mihi; ignis est, sed non est verus ignis; Aut aqua est, sed non est vera aqua: & quæro in quo eiusdem generis veritas, à generis eiusdem veritate dissentiat? Quod enim ignis est, non potest esse, ne verus sit: Nec natura manens, eo potest carere quòd vera est. Perime aqua quòd aqua est, & per id poteris abolere ne vera sit. Ceterum si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat, vt vera sit: potest ita demum natura perire, si non sit: verùm non potest non vera esse, si maneat.*

Verum realiter est ens ipsum.

Secunda Conclusio.

Veritas formaliter est conformitas rei ad sua principia.

Veritas rei formaliter loquendo, est conformitas eiusdem rei ad sua principia. Ita vt, eo solo titulo aliquid verum sit, quia habet vera & solida principia eius quod debet esse. Sic v. g. dicimus verum aurum, quod habet legitima principia auri; & aurum falsum, quod cùm non habeat principia auri, habet tamen auri similitudinem. Probari potest conclusio ex communi vsu loquendi: Nam communis vsus obtinuit, vt id verum dicatur quod est tale, quale debet esse conformiter suis principijs. Sic verum Christi Corpus dicimus in Eucharistiæ Sacramento, quia habet principia veri Corporis, nempe veram materiam, & veram formã Corporis. Similiter dicimus verum Deum, qui habet naturam illam veram & legitimam, per quam constituitur in esse talis entis. Quò fit vt hìc, nomine principiorum, non debeamus semper intelligere principia verè constitutiua tanquam partes; sed vniuscuiusque rei veram & solidam naturam. Confirmari potest ex definitione veritatis, quam tradit Auicenna tractatu 8. suæ Metaphysicæ cap. 6. vbi dicit quòd *veritas rei est proprietas esse vniuscuiusque rei quod stabilitum est ei.*

Et ex his quidem manifestum est, veritatem etiam formaliter sumptam, non constitui per respectum ad intellectum nostrum, quia ante huiusmodi respectum, habet res quælibet quòd vera sit, nimirum per conformitatem ad sua principia; seu per hoc quòd talis sit, qualis esse debet. Et hæc conformitas non est respectus aliquis realis, vt obseruat Doctor Subtilis lib. 6. Metaphysic. q. 3. sed rationis tantùm; quia vnius & eiusdem rei ad seipsam, non potest esse respectus realis.

Obiectio.

Obijci tamen potest aduersus prædicta. Eodem modo philosophandum est de veritate, atque de falsitate: Sed non est falsitas in rebus, secluso respectu ad intellectum. Ergo neque veritas. Maior patet; quia oppositorum eadem est ratio. Minor probatur, quia secluso respectu ad intellectum, nihil poterit esse falsum, nisi quod non est: Ergo nulla est falsitas in rebus. Confirmatur ex Aristotele 5. Metaphysic. cap. 29. vbi docet falsum esse tantùm in rebus, per comparationem ad iudicium nostrum.

Solutio

Respondeo imprimis ad maiorem, valdè dubium esse, an eodem modo philosophari debeamus de falso, atque de vero, propter rationẽ allatam in confirmatione minoris. Nam certè si verum est id quod est; nihil falsum erit nisi quod non est. Ideoque in rebus, nulla erit falsitas. Diuus Aug. hanc difficultatem pertractauit fusissimè lib. 2. Solilo quiorum à cap. 4. vsque ad 15. permiscendo tamen multa alia præclara & scitu digna. Inter alia autem ingenuè fatetur se non audere dicere falsum id esse, quod non ita est vt videtur, ne cogatur dicere verum id esse quod ita est, vt videtur: Vnde vt falsitatem

Nõ esse idem iudiciũ de falso atque de vero seruatũ proportione.

tatem aliquam inueniat in rebus sine respectu ad intellectum, sicut veritatem repererat; quærit an falsitas sit ipsa rerũ similitudo vel dissimilitudo? Et postquã determinauit quòd non: tandem resoluit in quo consistat ratio falsi, prout vero rei, vt à nobis est explicatum, opponitur. Audiamus ipsum ita præclarè philosophantẽ cum sua ratione: Augustinus: *Video quidem ista, sed cùm considero illud quod falsum vocamus, & simile aliquid habere veri & dissimile, ex qua potius parte meruerit falsi nomen, non valeo discernere. Si enim ex eo quòd dissimile est, dixero; nihil erit quod non falsum dici possit: Nihil enim est quod non alicui rei dissimile sit, quam veram esse concedimus. Item, si dixero eo quòd simile est, falsum appellandum; non solùm illa reclamabunt, quæ vera eo ipso sunt, quo simillima; sed etiam sic non effugiam eum qui me coëgerit falsa esse omnia confiteri, quòd omnia sibi ex aliqua parte similia esse negare non possum. Sed fac me non metuere illud respondere, similitudinem ac dissimilitudinem simul efficere, vt aliquid falsum rectè nominetur. Quam mihi euadendi viam dabis? Instabitur enim nihilominus vt omnia falsa esse renuntiem; quippè omnia sibimet, vt suprà dictum est, & similia quadam ex parte, & dissimilia reperiuntur. Restaret vt nihil aliud falsum esse dicerem, nisi quòd aliter se haberet atque videretur, nisi vererer illa tot monstra, quæ me dudum enauigasse arbitrabar. Nam eò rursum repellor vertigine inopinatâ, vt verum id esse dicam, quod ita se habet vt videtur. Ex quo conficitur sine cognitore, nihil verum esse posse: Vbi mihi naufragium in scopulis occultissimis formidandum est, qui veri sunt etiam si nesciantur. At si verum esse id quod est, dixero, falsum non esse vspiam concludetur quouis repugnante. Itaque redeunt illi æstus, nec quicquam tantâ patientiâ morarum tuarum processisse me video.* Ratio: *Attende potius, nam nullo modo in animum inducam frustrà nos auxilium diuinum implorasse. Video enim tentatis quantumcumque potuimus, omnibus rebus, non remansisse quod falsum iure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod non est, aut omninò esse tendit, & non est.* His postremis verbis D. Augustinus ostendit quid sentiat de falso quod est in rebus, cuius rationem præcisam in eo constituit, quòd se fingat esse quod non est, aut omninò esse tendat, & non est. Quæ ratio non est respectiua ad nostrum intellectum; sed ad rem quam se esse simulat. Et iuxta hoc, idem iudicium esse debet, seruatâ proportione, de falso atque de vero. Ideoque concedenda est maior argumenti propositi, & neganda minor. Ad cuius confirmationem patet quid dicendum sit ex D. Augustino, qui totam istam doctrinam cap. 10. multis exemplis desumptis ex Comicis illustrat. Et confirmari posset ampliùs ex moralibus. Actiones enim simulatę virtutis, sunt tales in se, priusquam nobis tales appareant; quemadmodum Roscius in scena, falsa Hecuba erat, antequam talis appareret.

D. Augustin' preclarè hîc philosophatur de falso.

Ad Aristotelem dico ipsum eo loci, tradere alios modos falsi, absque compositione & diuisione. *Alia vero*, inquit, *quæcumque*

sunt quidem entia, apta tamen naturâ suâ apparere, aut non qualia sunt, aut quæ non sunt, vt vmbra, picturæ, & insomnia. Hæc enim sunt quidem aliquid, sed non sunt ea quorum faciunt phantasiam

Dices nec istud quidem falsum exprimi posse, nisi per respectum ad facultatem cognoscentem, vt constat etiam ex his verbis Aristotelis. Respondeo id negando: Tametsi enim exprimi soleat per respectum ad facultatẽ cognoscentem, quia illa ratio est familiarior & notior: Nihilominus tamen exprimi potest aliter. Aurichalcum enim v. g. non solùm eâ ratione dici debet, aurum falsum, quia nobis apparet aurum, cùm tamen non sit; sed etiam, quia antequam nobis appareat, non habet vera principia, sed tantùm similitudinem veri auri; ex quo sequitur ipsum nobis apparere posse aurum, cùm tamen non sit, Et iuxta hanc doctrinam, falsum rei erit id quod habet difformitatem ad principia illius rei, cuius similitudinem gerit, & quam conatur se esse. Et quidem in hoc, nulla apparet difficultas, nisi fortè quis dicat hunc non esse vsum huius vocis, *falsum*, vt id significet: sed contra hoc est authoritas D. Augustini à qua non facilè recedo.

Tertia Conclusio.

Verum per respectũ ad intellectum nostrũ, VErum rei describi potest per respectum ad intellectum, vt sit id quod ita est in se, sicut cognitori videtur. Ista tamen ratio non est prima, sed secundaria, & desumpta vel ex effectu, vel ex proprietate ipsius veri. Ista secunda pars patet, ex dictis priori conclusione. Prior pars probatur imprimis authoritate D. Anselmi Dialog. de Veritate cap. 12. vbi dicit quòd veritas est rectitudo solâ mente perceptibilis. Probatur etiam ex Scoto lib. 6. Metaphysic. qu. 3. vbi dicit verum esse id quod ita apparet, sicuti est: Item ex Alexandro Alensi 6. Metaphysic. prope finem, vbi hæc preclarè habet: *Debemus enim imaginari suo modo, quòd veritas ad essentiam eodem modo se habet, quo visibilitas ad colorem: visibilitas super colorem non addit aliam rationem, nisi rationem declaratiui & apprehensibilis à visu: Similiter veritas addit super rationem Entis, rationem apprehensibilis ab intellectu; ita quòd sic imaginemur, quòd Ens mouet intellectum, & æquat sibi eum, & assimilat. Ita quòd in eo est ratio æquatiui, motiui & declaratiui, & ab ista ratione imponitur nomen veritatis.* Item probatur ex D. Thoma quæst. 16. de Veritate, art. 5. vbi dicit veritatem inueniri in re, secundùm quod habet esse conformabile intellectui.

describitur, vt sit id quod ita est in se, sicut cognitori videtur.

Probatur insuper ex vsu huius vocis, *verum*, quæ est imposita ad significandam istam conformitatem, quam vnaquæque res intelligibilis potest habere ad intellectum.

Porrò veritas hoc modo sumpta competit etiam veritati tum increatæ, tum creatæ, & per respectum ad intellectum tùm increatum, tùm creatum: Quia omne Ens tùm increatum, tùm creatum eatenùs verum dici po-

teſt, quatenùs ita eſt in ſe, ſicut cognoſcitur vel ab intellectu increato, vel ab intellectu creato: Cum hoc tamen diſcrimine, quòd habitudo illa conformitatis ad intellectum, in qua conſiſtit veritas, eſt ſemper actualis reſpectu intellectus diuini, qui omnem veritatem tùm præſentem, tùm futuram, tùm etiam poſſibilem ſuo acumine penetrat. Reſpectu autem intellectus creati non eſt ſemper actualis, ſed plerumque aptitudinalis; quia intellectus creatus non omnem veritatem percipit actu: Et ita verum rei reſpectu intellectus increati, erit ipſum Ens intelligibile, vel intellectum quatenùs actu apparet ei ita, vt eſt in ſe: Reſpectu autem intellectus creati, eſt ipſummet Ens intelligibile, vel intellectum quatenùs apparet, vel apparere poteſt eidem intellectui, vt eſt in ſe. Ex quibus patet quòd nec verum adhuc hoc modo ſumptum, eſt ſola denominatio extrinſeca, vt exiſtimant Durandus, Caietanus & Vaſquez; quia includit ipſam entitatem & intelligibilitatem rei, quę vera denominatur: Entitas autem & intelligibilitas in re intelligibili, non ſunt pura denominatio extrinſeca.

Inſpiciantur igitur diligenter noſtræ aſſertiones. Non enim inficiamur verum & falſum deſcribi poſſe per rer reſpectum ad intellectum; ſed pedibus iunctis, vt aiunt, negamus non eſſe aliam priorem rationem veri & falſi, vt dictum eſt.

Quarta Concluſio.

Verum rei creatum deſcribi poteſt per reſpectum ad Deum: vt ſit id quo res quæ vera dicitur, eſt conformis Deo, quantùm ei conformari poteſt & debet. Et iſta ratio Veri reuocari poteſt ad priorem, ſecūdâ concluſione traditam. Prior pars huius concluſionis eſt D. Auguſtini multis in locis; ſed præſertim lib de vera Religione, cap. 36. vbi dicit: *Vera intantùm vera ſunt, inquantùm ſunt; intantùm autem ſunt, inquantùm principalis vnius ſimilia ſunt.* Et paulò ante: *Si enim falſitas ex ijs eſt quæ imitantur vnum, non inquantùm id imitantur, ſed inquantùm adimplere non poſſunt. Illa eſt veritas quæ adimplere potuit, & id eſſe quod eſt illud: ipſa eſt quæ illud oſtendit ſicut eſt: vnde & verbum eius & lux eius, rectiſſimè dicitur. Cætera illius vnius ſimilia dici poſſunt, inquantùm ſunt; intantùm enim & vera ſunt.* Quibus verbis oſtendit quâ ratione Verbum diuinum dicatur veritas; & quâ ratione cætera dicantur vera, ſcilicet ab ipſa prima vnitate & veritate.

Quomodo verum deſcribatur per ordinē ad Deum.

Et illud idem docet Doctor Subtilis lib. 6. Metaphyſic. q. 3. vbi dicit veritatem in rebus, dici poſſe tribus modis, videlicet per reſpectum ad producens ſimpliciter: ſecundò per reſpectum ad producens ſecundùm imitationem. Tertiò per reſpectum ad producens ſecundùm adæquationem: Et quidem, hoc tertio modo veritatem reperiri in ſolo Filio Dei, in quo eſt ſumma

identitas, & similitudo, & conformitas cum adæquatione ad suum producens. Et veritatem sumptam secundo modo, reperiri in creatura, quæ eatenùs dicitur vera, quatenùs imitatur exemplar diuinum, secundùm quod formata est ad extrà. Ex quo sequitur, quod etiam multi docent, veritatem creatam non consistere in quouis respectu ad Deum; sed in respectu conformitatis & imitationis ad ideas & exemplaria quæ sunt in mente diuina.

Suaderi autem potest istud hac ratione. Illud censetur esse verum, quod respondet suæ mensuræ & suæ arti: v. g. illa imago Cæsaris vera censetur, vel quæ imitatur Cæsarem, qui est eius mensura; vel quæ respondet exemplari in mente pictoris existenti. Sed Ideæ diuinæ sunt ars & mensura rerum omnium creatarum. Ergo res creatæ eatenùs dici possunt veræ, quatenùs imitantur Ideas diuinas.

Secunda pars conclusionis probatur. Veritas rei propriè & primariò sumpta consistit in conformitate rei, quæ vera dicitur ad sua principia. Sed ex Ideis & rationibus existentibus in mente diuina, habent vniuscuiusque rei principia, quòd sint principia talis vel talis rei. Ergo veritas quæ consistit in conformitate ad Ideas diuinas, reuocari potest ad illam quæ consistit in conformitate rei ad sua principia. Declaratur ampliùs. Res quælibet dicitur vera veritate rei, quia est conformis suis principiis. Principia autem eius vera dicuntur, quia sunt conformia suis Idæis: Ergo veritas quæ dicit conformitatem ad Ideas, reuocari potest ad primariam veritatem rei.

Et hanc quidem totam doctrinam haud obscurè insinuauit Alexander Alensis 6. Metaphysic. prope finem: vbi postquam dixit veritatem essentiæ & Entis, idem esse quod Essentia rei, habens omne illud quod debet habere, subdit: *Ex hoc autem, essentia creata habet quidquid debet habere, quia in suo gradu, & in suo modo, imitatur Essentiam primam, & intellectum ipsius primi: debemus enim imaginari, quòd intellectus ipsius primi continet intellectualiter omnem essentiam creatam; ita quòd essentia creata se habent ad intellectum primi, sicut artificiatum ad artificem. Sicut ergo illa dicitur vera arca, quæ imitatur Ideam arcæ quæ est in mente artificis; ita in essentiis, illa est vera essentia, quæ imitatur debitè Ideam, quæ est in mente primi.* Quibus verbis, ostendit & veritatem esse in rebus creatis per respectum ad Ideas diuinas, & istam rationem veri posse reuocari ad eam quâ res dicitur vera, quia habet quidquid debet habere.

Videatur Scotus pro hac re, qu. 18. quodlibet. §. *Contra ista.* sub lit. T. vbi postquam sibi obiecit istud: *Si dicas, quòd veritas non conuenit alicui extra intellectum, sed tantùm actui intellectus, vel obiecto vt est in intellectu. Posset negari,* inquit, *quia si intellectus aliquis sit regula intellecti, sicut est de intellectu diuino exemplante & regulante creaturam; illud potest dici verum, non tantùm vt est actu cognitum, sed etiam vt est in se; quia secundùm esse suum, in se est exem-*

platum & conforme exemplari.

Respectus in quo cõsistit veritas rerum creatũ, non est rationis, sed realis. Obseruabis autem contra aliquos, respectum illum in quo consistit veritas hoc modo explicata, esse realem, quia est mensurati ad suam mensuram, exemplati ad suum exemplar, operis ad suam artem, & effectus ad suam causam. Vnde non respicit intellectum speculatiuum, vt quidam falsò existimant, sed potiùs intellectum practicum, quia ideæ non ponuntur in intellectu speculatiuo, sed in intellectu practico, quatenùs non sunt simpliciter rationes cognoscendi, sed rationes secundùm quas res sunt formabiles extrà, ex D. Augustino & Scoto multis in locis.

QVÆSTIO IV.

An Verum transcendens, quod est passio Entis, sit obiectum adæquatum intellectus?

In obiecto quatuor distinguntur, obiectum, ratio formalis obiecti, conditio eiusdem & proprietas.



Prænotãdum in obiecto adæquato alicuius potentiæ, multa reperiri, & distingui posse, scilicet ipsum obiectum adæquatum, rationem formalem eius, conditionem sub qua mouet facultatem, & proprietatem necessariò consequentem obiectum ipsum, ex eo quòd sit obiectum adæquatum talis potentiæ. Quo posito, difficultas est, quomodo verum, quod est passio entis, spectet ad intellectum, an vt obiectum adæquatum eius, an vt ratio formalis obiecti, an vt conditio vel vt proprietas eiusdem? Variæ sententiæ referuntur circa quæstionẽ propositam. Ægidius Romanus quodlibet. 4. q. 10. apud Doctorem Subtilem, & q. 7. apud Gabrielem Vasquez, tenet verum, esse obiectum adæquatum intellectus. Quidam alij docent veritatem, esse rationem formalem specificantem & determinantem Ens ad hoc vt sit obiectum adæquatum & proprium intellectus, quemadmodum bonitas determinat ipsum, vt sit obiectum adæquatum & proprium voluntatis. Cajetanus 1. p. q. 16. art. 3. & Gabriel Vasquez etiam 1. p. disput. 76. c. 2. & disput 77. cap. 5. dicunt veritatem esse tantùm conditionem obiecti adæquati intellectus. Quid in hac re tenendum sit, his Conclusionibus declaratur.

Prima Conclusio.

Verum non est obiectum adæquatum intellectus. Verum adæquatum intellectus. Conclusio est Doctoris Subtilis in 1. dist. 3. qu. 3. §. *His visis*. Et lib. 6. Metaphysic. qu. 3. Anthonij Andreæ ibidem, qu. 6. Caietani, & Gabrielis Vasquez locis citatis. Et ita probatur à Doctore Subtili. Omne primum & adæquatum obiectum alicuius potentiæ, vel est primum & adæquatum secundùm communitatem, vel secundùm virtutem, vel secundùm istam vtramque primitatem & adæquationem simul. At verum nullo istorum modorum est obiectum adæquatum & primum intellectus. Ergo verum simpliciter non est obiectum

Verum non est obiectum adæquatum intellectus.

Quid sit esse primũ primi-

tate cõmunitatis, & primitate virtutis. adæquatum intellectus. Prima pars minoris probatur: Verum non dicitur in quid, de omnibus per se intelligibilibus; quia non dicitur in quid de Ente, nec de aliquo inferiori per se Entis, putà de substantia vel de accidente. Nulla enim passio dicitur in quid aut de suo subiecto, aut de inferiori sui subiecti. Ergo verum iam non est primum obiectum intellectus primitate communitatis. Secunda pars probatur: Nulla passio dicitur rectè continere virtualiter suum obiectum, nec in esse reali, nec in esse intelligibili: Non dicitur etiam continere inferiora sui subiecti. V. g. rationale non dicitur continere virtualiter hominem, aut indiuidua hominis, nec in esse reali, nec in esse intelligibili: Sed verum est passio Entis, & contentorum sub Ente. Ergo nec Ens, nec inferiora Entis continet virtualiter. Ens auté & inferiora eius sunt intelligibilia: Ergo verum non continet virtualiter intelligibilia. Ergo verum non est primum & adæquatum obiectum intellectus secundùm virtutem. Ex his patet tertia pars eiusdem minoris. Ergo simpliciter verum non est obiectum primum & adæquatum intellectus.

Prætereà. Primum obiectum Metaphysicæ est Ens, vt est naturaliter prius vero. Ergo primum & adæquatum obiectum intellectus est Ens, vt est naturaliter prius vero. Antecedens patet ex dictis in Prolegomenis. Consequentia probatur: quia videtur par ratio de obiecto habitus intellectus, & de obiecto ipsius intellectus, quo ad hoc.

Obiectio ex Ægidio. Obijcit Ægidius. Distinctæ potentiæ debent habere distincta obiecta: quia ex Arist. 2. de Anima, potentię distinguuntur per actus, & actus per obiecta: Sed intellectus & voluntas sunt distinctę potentiæ: Ergo debent habere obiecta distincta. At nó erunt obiecta distincta, nisi ponatur verum, esse obiectum primum & adæquatum intellectus; sicut bonum est obiectum primum & adæquatum voluntatis: Ergo verum est obiectum primum & adæquatum intellectus.

Solutio. Respondet Doctor Subtilis maiorem vniuersim non esse veram: quod vt ostendat, dicit quòd potentiarum animæ quædam sunt disparatæ simpliciter, quædam subordinatæ; & istarum quædam sunt in eodem genere, vt sunt duæ potentiæ cognoscitiuę, putà sensus & intellectus, vel sensus particularis & sensus communis; quædam in diuersis generibus, vt duæ potentiæ, quarum altera est cognoscitiua, & altera appetitiua, vt sunt intellectus & voluntas. Potentiarum animæ quædã disparatæ, quęda subordinatæ. Potentiarum disparatarum simpliciter, obiecta sunt disparata & distincta, vt sunt obiecta quinque sensuum exteriorum. Potentiarum autem subordinatarum in eodem genere, obiecta sunt etiam subordinata; ita quòd sicut potentia superior potest habere per se actum circa quodcumque, circa quod potentia inferior: Ita obiectum primum potentiæ superioris, continet sub se obiectum primum potentiæ inferioris. Quemadmodum v. g. obiectum adæquatum sensus communis continet sub se

obiectum primum & adæquatum visus, quia potentia visiua subordinatur sensui communi in eodem genere.

Quomodo philosophandum sit de obiectis istarum vtriusq; generis facultatum.

Potentiarum autem subordinatarum in diuersis generibus, potest esse vnum & idem obiectum primum, & sub eadem ratione formali ex parte obiecti: quia si appetitiua v.g. possit in tot, in quot potest cognoscitiua, putà si voluntas velit omne illud quod intellectus intelligit; & vice versâ intellectus intelligat quidquid voluntas vult; erit æquè latè patens obiectum primum voluntatis, atque obiectum primum intellectus; sicque non erit vnde distinguantur abiecta prima & adęquata istarum duarum potentiarum. Si autem appetitiua nō feratur in tot, in quot fertur cognoscitiua, quia voluntas videtur esse tantùm finis, & mediorum ad finem, non autem necessariorum & impossibilium; tunc facilè erit distinguere obiecta istarum duarum potentiarum; cum hoc tamen semper stabit, verum non esse obiectum primum & adæquatum intellectus, sed ens, vt alibi demonstratum est. Persistendo tamen in priori hypothesi, quòd appetitiua adæquetur cognoscitiuæ in amplitudine: Respondeo cum Doctore Subtili alibi, quòd authoritas Aristotelis non vrget: Non enim vult Philosophus potentias propriè distingui per obiecta, quia obiectum est posterius potentia: prius autem nec constituitur, nec distinguitur, nec specificatur per posterius: Sed vult tantùm distinctionem potentiarum innotescere nobis per actus, & distinctionem actuum per obiecta. Vnde talis distinctio non est ex natura rei, sed tantùm quo ad nos; nec quo ad specificationem, sed tantùm quo ad innotescentiam. Itaque benè sequitur; si obiecta sunt diuersa & distincta, quòd etiam potentiæ sunt diuersæ & distinctæ; sed non è conuerso. Nec sequitur, si obiecta sunt idem, vel non differunt inter se, quòd etiam potentiæ non differant; sed est fallacia consequentis à destructione antecedentis. Plura enim requiruntur ad identitatem aliquorum, quàm ad distinctionem eorumdem. v.g. motus distinguitur penes terminos, ita quòd si termini sunt distincti, motus etiam sunt distincti: Sed non sequitur, si terminus sit idem, quòd motus sit idem; diuersi enim motus speciе possunt esse ad eundem terminum, putà circularis & rectus ad idem Vbi, ex 5. Physic.

Vel si istud adhuc non placet (videtur enim valdè difficile id quod dicit Scotus, quòd si potentia appetitiua possit in tot, in quot potest cognoscitiua, erit idem obiectum primum & adęquatum vtriusque potentiæ, sub eadem ratione formali) dici poterit voluntatem esse totius entis, non sub ratione entitatis, sed sub ratione bonitatis: Intellectū autem esse totius entis sub ratione entitatis, ex quo semper sequitur verum non esse obiectum primum & adæquatum intellectus. Veritas autem huius postremæ solutionis patebit ex dicendis tertiâ conclusione.

Secunda Conclusio.

Veritas transcẽdentalis non est ratio formalis obiecti primi intellectus

Veritas transcendentalis seu rei, non est ratio formalis obiecti primi & adæquati intellectus. In hac conclusione conueniunt adhuc cum Doctore Subtili, Cajetanus & Gabriel Vasquez locis citatis, & hac potissimùm ratione Doctoris probatur.

Veritas est tantùm proprietas entis. Sed ens prius est à nobis intelligibile sub ratione quidditatiua, quàm sub ratione alicuius proprietatis. Ergo veritas non est prima ratio intelligibilis in ente. Ens autem est primum & adæquatum obiectum intellectus. Ergo veritas non est ratio formalis obiecti primi & adæquati intellectus. Confirmatur: quia quò plus aliquid habet de entitate, plus habet de intelligibilitate; itaut intelligibilitas sequatur entitatem; non autem veritatem. Confirmatur iterum. Quia proprietas est magis extranea alicui subiecto, quàm aliquod proprium inferius eius sit ei extraneum. Sed ens non ponitur obiectum adequatum intellectus sub ratione alicuius inferioris sui. Ergo neque sub ratione alicuius proprietatis, qualis est veritas. Consequentia valet à maiori ad minus.

Probatur iterum conclusio isto argumento Doctoris in sua Metaphysica ad hominem: ex eo nimirum, quia Ægidius volebat veritatem esse tantùm Ens rationis. Primum obiectum potentiæ secundùm suam rationem formalem, est prius simpliciter ipsa potentia, vel saltem actu potentiæ. Sed verum, cùm secundùm Ægidium, dicat tantùm rationem entis in intellectu, non est naturaliter prius ipso actu: Nam non contingit cognoscere rationem entis in intellectu vt cogniti, nisi intelligendo actum intelligendi per quem sic est in intellectu. Ergo ens verum quà verum, secundùm Ægidium non potest esse primum obiectum intellectus. Ergo veritas non est ratio formalis obiecti primi intellectus.

Obiectio 1.

Obijcitur 1. Ens est commune de se ad sensibile & intelligibile, obiectum autem proprium alicuius potentiæ, est obiectum eius sub aliqua propria ratione: ergo ad hoc quòd ens sit proprium obiectum intellectus, oportet quòd determinetur & contrahatur ad ens intelligibile, per aliquam rationem, per quam excludatur ens sensibile. Sed talis ratio contrahens, videtur esse veritas, quæ dicit de se rationem manifestatiui vel intelligibilis. Ergo veritas est ratio formalis determinans ens, ad hoc vt sit obiectum primum & adæquatum intellectus. Respondet Doctor concessâ maiore, negando minorem, cùm videlicet potentia est totius illius communis sic abstracti: intellectus autem est totius entis tam intelligibilis, quàm sensibilis: quia, inquit, intellectus tanquam potentia superior, potest habere actum tam circa sensibile, quàm circa insensibile: vnde ista abstractio quæ videtur esse non appropriatio, est sufficienter appropriatio

Solutio ex Scoto.

priatio respectu potentiæ superioris, qualis est intellectus.

Obiectio 2. Obijeitur 2. Obiectum non est proprium alicuius potentiæ, nisi secundùm quòd est propriũ motiuum illius potentiæ : sed non mouet aliquid potentiam nisi secundùm quòd habet aliquam habitudinem ad eam. Ergo ens secundùm quòd absolutum, & non habens aliquam habitudinem ad intellectum, non est primum & immediatum obiectum eius. Illud autem secundùm quòd Ens formaliter habet habitudinem ad intellectum, est veritas, quia secundùm D. Anselm. Dialog. de Verit. cap. 2. tom. 1. *Veritas est rectitudo solâ mente perceptibilis*. Ergo veritas est ratio secundùm quam, Ens est primum & immediatum motiuum intellectus. Ergo veritas est ratio formalis obiecti primi, adæquati, & immediati intellectus.

Solutio. Respondet Doctor concessâ maiore, negando minorem. Quia, inquit, rationem obiecti dico esse illam formam, secundùm quam obiectum est motiuum potentiæ, sicut ratio actiui vel agendi dicitur esse illa forma, secundùm quam agens agit. Talis autem ratio obiecti non potest esse respectus ad potentiam. Et isto modo loquitur Philosophus libr. 2. de Anima: vbi assignans primum obiectum visus, dicit quòd illud cuius est visus vt obiecti, est visibile, non per se primo modo, sed secundo modo; ita quòd ipsum ponitur in ratione visibilis. Si autem formalis ratio obiecti potentiæ esset respectus ad talem potentiam; tunc obiectum primum visus, esset visibile per se primo modo; quia tunc ipsa visibilitas esset ratio formalis obiecti : & tunc facilè esset assignare prima obiecta; quia obiectum primum cuiuscumque potentiæ esset correlatiuum ad talem potentiam, putà visus visibile, auditus audibile: Quomodo tamen Philosophus non assignauit prima obiecta potentiarum; sed aliqua absoluta, putà visus colorem, auditus sonum, &c. Vndè si verum dicat formalem respectum obiecti ad intellectum, vt vult Ægidius, & de quo aliàs, sequitur oppositum propositi. Ex hoc enim sequitur quòd ratio illa non sit ratio formalis obiecti, sed aliqua alia ab ea.

Quid sit ratio obiecti motiui.

Ad D. Anselmum, dico veritatem esse rectitudinem solà mente perceptibilem, vel tanquam conditionem, vel tanquam proprietatem obiecti primi & adæquati intellectus, non autem tanquam obiectum primum & immediatum eiusdem.

Tertia Conclusio.

Veritas est vel conditio, vel proprietas obiecti primi.

Svperest vt veritas sit vel conditio, vel proprietas obiecti primi & adæquati intellectus. Nõ refert autem multum quodnam horum dicamus : Tametsi probabiliùs existimauerim esse proprietatem, quàm conditionem.

Prior pars probatur. Quia cùm verum spectet ad intellectum, & neque tanquam obiectum primum, neque tanquam ratio formalis obiecti primi eius : restat vt pertineat tanquam conditio, vel tanquam

proprietas obiecti, quia non videtur aliud assignari posse.

Caietanus loco superius citato, tenet esse conditionem obiecti. Sic enim loquitur: *Hoc interest inter bonum & verum, quòd bonum obiectum formale voluntatis, verum autem conditionem obiecti formalis significare videtur. Et propterea omnis appetitio est appetitio boni formaliter: Omnis autem intellectio, non est intellectio veri formaliter, sed rei veræ; ita quòd ly, rei, notat rem intellectam, & ly vera, conditionem quâ res intelligitur. Propter quod rationes Scoti in 1. dist. 3. qu. 3. quibus impugnat verum esse proprium obiectum intellectus, non oportet soluere, quoniam de obiecto formali loquuntur.* Idem ferè habet Vasquez 1. part. disput. 77. cap. 5. num. 14. *Deinde explicandum est*, inquit, *quâ ratione verum dicatur obiectum intellectus, sicut bonum voluntatis: id verò iuxta mentem Caietani in hoc articulo optimè intelligi potest, ita vt bonum constituatur obiectum voluntatis, tanquam ratio formalis rei volitæ; quia nihil mouet ad prosequutionem & complacentiam, nisi sub ratione boni apprehendatur: Verum autem non sit ratio formalis in quocumque obiecto cognito; hæc enim ratio formalis est entitas: sed sit conditio quædam consequens.*

Veritas est potius proprietas, quàm conditio obiecti.

Nihilominus si attentè consideretur quid sit conditio cuiuslibet obiecti, deprehendetur veritatem non posse esse conditionem obiecti primi & immediati intellectus: Quia nulla conditio spectat ad entitatem obiecti cogniti, neque tanquam subiectum, neque tanquam proprietas subiecti, vt patet discurrendo per omnes conditiones obiectorum; sed est semper aliquid extrinsecum entitati obiecti, sine quo tamen obiectum non esset proximè apprehensibile vel apprehensum; sic se habent, v. g. respectu obiectorum sensuum exteriorum, approximationes debitæ; respectu visus etiam specialiter, illuminatio aëris, &c. Veritas autem est proprietas intrinseca obiecti primi intellectus, nimirum Entis. Ergo non est tantùm conditio. Adde quòd conformiter fundamentis Caietani & Vasquez, non potest dici quòd veritas sit conditio obiecti intellectus. Quia omnis conditio pręcedit actum potentiæ actu tendentis in tale obiectum: Ponitur enim conditio, ad hoc vt eliciatur actus circa illud obiectum. At veritas obiecti ex illis, est tantùm denominatio quædam extrinseca proueniens ex veritate quæ est formaliter & propriè in intellectu, ex eo quòd intellectus apprehẽdat vel apprehenderit rem sicuti est in se. Ergo illa est posterior actu intellectus: Ergo non potest requiri ad actum intellectus, ac proindè non potest habere rationem conditionis. Et ita patet vltima pars huius conclusionis, nimirum veritatem spectare ad intellectum tanquam proprietatem obiecti eius, vt docet etiam Doct. Subtilis in 1. dist. 3. q. 3. §. *Sed contrà*. Eodem ferè modo quo mobile pertinet ad obiectum Physicæ, non tanquam obiectum ipsum, neque tanquam ratio formalis obiecti, neque tanquam conditio eiusdem, sed tanquam proprietas.

Qui dicunt veritatem rei con- Veritas

non est tantùm intelligibilitas. sistere in respectu conformitatis ad intellectum, dicunt consequenter eam nihil aliud esse, quàm ipsam intelligibilitatem rei, seu aptitudinem quæ est in re vt intelligi possit. Sed nos conformiter principiis supra positis, aliter philosophari debemus de veritate rei; vt dicamus illam non in intelligibilitate primò consistere, sed in eo quòd res ita sit, sicut debet esse conformiter suis principiis, vt dictum est. Adde quòd etiam in sententia illorum, illud quod dicunt, non est omninò verum: veritas enim videtur quidpiam aliud dicere quàm intelligibilitas: Quia intelligibilitas dicit solùm aptitudinem quæ est in re, vt concipiatur, quoquo modo concipiatur: veritas autem dicit aptitudinem vt concipiatur eo modo quo est: Quâ ratione puto Alexandrũ de Ales superiùs dixisse verum consistere in ratione æquatiui, motiui & declaratiui. Prætereà, multi ex illis sustinent veritatem esse tantùm in rebus, quatenùs possunt esse causa veri iudicij intellectus, vt Gabriel Vasquez: & iuxta hoc, veritas rei non potest esse idem quòd intelligibilitas eius: quia multa sunt intelligibilia, quæ non sunt causa iudicij, vt simplices termini, & non enuntiabilia.

QVÆSTIO V.

An veritas per priùs dicatur de veritate rei, quàm de veritate cognitionis, & quomodo?



Veritas non est vniuoca ad veritatem rei, & ad veritatem cognitionis. PRÆNOTANDVM 1. veritatem non esse vniuocam ad veritatẽ rei, & ad veritatem cognitionis; quia nulla est ratio communis vna, nullus item conceptus huic vtrique veritati ex ęquo conueniens: Quare superest vt in solo nomine conueniant, seruatâ tamen fortè proportionalitate aliquâ; itaut quemadmodum veritas cognitionis consistit in conformitate; ita etiam veritas rei consistat in quadam conformitate; sed hæc in conformitate rationis essentię rei ad sua principia; illa in conformitate reali intellectus ad rem cognitam & apprehensam. Quo posito, quęstio proposita non habet difficultatem nisi de nomine: Quia dubitari tantùm potest cuinam veritati, an rei, an cognitionis, nomen veritatis ex primæua sui significatione & impositione, sit applicatum? Tamen tùm propter eos qui tenent veritatem esse solùm in rebus per denominationem extrinsecam; tùm ad pręcedentium dictorum maiorem euidentiam, non erit inutile satisfacere quæstioni propositæ.

Prænotandum 2. negari non posse quin sit in rebus aliqua veritas per denominationem extrinsecam, à veritate quæ est in intellectu, quâ res denominatur conformis intellectui apprehendenti: sed vltra eam, quæ non potest esse passio Entis, datur alia veritas in rebus intrinseca, quâ vnaquæque res dicitur conformis sibi ipsi, seu suis principiis. Qui hanc posteriorem veritatem non agnoscunt, statim proferunt veritatem priùs esse in intellectu, quàm in rebus. Et non mirum: Quia si nulla sit in rebus veritas, præter eam quæ in illis est per denominationem extrinsecam; clarum est eam priùs debere esse in intellectu, quàm in rebus: quia quę sunt talia tantùm extrinsecâ denominatione ab aliis, posteriùs sunt talia, quàm ea quæ sunt talia intrinsecè, & quæ sunt causa & ratio cur alia denominentur extrinsecè talia. Sed admittendo istam aliam veritatem transcendentalem in rebus; aliter philosophandum est, vt videbitur inferiùs. Admittendam autem esse patet ex tertia quæstione, vbi illam probauimus authoritatibus & rationibus; quibus iterum addi possunt ea quæ habet Alexander Alensis 6. Metaphysic. prope finem: vbi referens argumenta eorum qui ponebant veritatem solùm in intellectu subiectiuè, & in rebus causaliter: tum quia veritas est adæquatio intellectus cum re; adæquatio autem est solùm in intellectu subiectiuè: tum quia hoc etiam sentire videtur Philosophus in fine lib. 6. Metaphysic. vbi dicit quòd verum & falsum non sunt in rebus sicut bonum & malum, sed in mente. Referens inquam ista, & soluens, ita loquitur: *Ad argumentum illorum qui ponunt omnem veritatem in intellectu, quia adæquatio est in intellectu, patet quòd dupliciter peccat: primò quia non loquitur de omni veritate, sed de veritate conceptus solùm, quæquidem est adæquatio conceptus ad rem extrà. Secundò peccat, quia non omnis adæquatio est in intellectu subiectiuè; & per consequens nec omnis veritas: possumus enim duplicem adæquationem ponere; vnam, quæ est ex hoc quòd essentia rei est conformis suis principijs, vel imitatur ideas diuinas; & ista causaliter est in intellectu primi; subiectiuè vero & formaliter est in essentia: Alia est adæquatio quæ est ex hoc quod noster intellectus imitatur res; & ista causaliter est in re, subiectiuè autem in intellectu concipiente; & de hac procedebat argumentum eorum. Ad dictum Philosophi, est dicendum quòd non est intentio eius quòd verum & falsum omninò sunt in anima; sed quòd non ita opponuntur sicut bonum & malum: quia bonum & malum tantùm sunt in rebus: verum autem & falsum possunt esse in rebus & in anima. Ad cuius euidentiam sciendum est quòd aliter est de voluntate, & aliter de intellectu: quia intellectus est aptus natus facere apud seipsum, rem sub entitate diminuta, quæ res apud seipsam est sub entitate completa; & ideò propter vim intellectiuam, res est apta nata habere duplex esse, scilicet in se, & in intellectu; & ideò propter hoc, habet veritatem in se, & veritatem in in-*

Vltra veritatē quæ est in rebus per denominationē extrinsecam, datur alia, quæ est conformitas rei ad sua principia.

Quomodo ex Alexandro, verum & falsum sit in intellectu; bonum autem & malum in rebus ipsis.

tellectu. Appetitus autem non est aptus natus facere, quòd res aliud esse habeat quàm in seipsa: Vnde intellectus est motus rerum ad animam; hoc est, ex hoc quòd intellectus est, res habet aliquod esse in anima; quia intellectus quodammodò omnia est secundùm entitatem diminutam: Appetitus autem est motus animæ ad res vt sunt in seipsis. Si ergo hæc sunt vera; ipsum verum quod est verum intellectus, ita est in seipso, & in re, quòd aliquo modo est in intellectu secundùm aliquem modum essendi: bonum autem & malum sunt in rebus tantùm, quia per vim appetitiuam non fiunt in anima; potius enim anima per appetitum fit in rebus, quàm res in anima. Hæc Alexander. Quibus positis, sit

Prima Conclusio.

Quomodo veritas priùs dicatur de veritate cognitionis quàm de veritate rei.

VEritas priùs dicitur de veritate cognitionis, quàm de veritate quâ res dicuntur veræ, quatenus sunt causa veritatis cognitionis. Patet, quia quod est tale per se & intrinsecè, priùs est tale, quàm quod est tale tantùm denominatione extrinsecâ. Sed actio intellectus intrinsecè & per se est vera, res autem quatenus est causa veritatis quæ est in intellectu, est tantùm vera denominatione extrinsecâ à veritate quam potest efficere, quemadmodum deambulatio sana dicitur à sanitate animalis, quam potest efficere. Ergo veritas priùs dicitur de veritate cognitionis, quàm de veritate rei, prout res vera dicitur denominatione extrinsecâ. Et hoc ad summum probant rationes eorum, qui volunt Verum per priùs dici de Vero cognitionis, quàm de Vero rei, quia non existimant aliud esse verum rei, quàm illud quo res dicitur vera denominatione extrinsecâ à veritate cognitionis quam potest efficere.

Secunda Conclusio.

Quomodo veritas priùs dicatur de veritate rei, quàm de veritate cognitionis.

VEritas priùs dicitur de veritate rei, quâ res propriè & formaliter vera dicitur, quàm de veritate cognitionis. Probatur hac vnicâ ratione: Obiectum intellectus prius est actione intellectus: Sed in illo priori est res aliqua vera secundùm se. Ergo priùs est rem esse veram, quàm actionem intellectus. Ergo veritas priùs competit rei quàm actioni intellectus. Maior est certa. Minor etiam patet ex dictis: quia ante quemcumque respectum ad intellectum, res quælibet habet suum proprium & solidum esse, secundùm quod dicitur ita esse, sicut debet esse conformiter suis principijs. Sed ex dictis suprà, in hoc consistit veritas transcendentalis, seu veritas rei, quæ est passio entis. Ergo in illo priori, in quo res quælibet præsupponitur ad actionem intellectus, veritas competit vnicuique rei.

Confirmatur hoc exemplo. Quando albedo v. g. actu inhæret Petro, verum est Petrum esse album: veritas autem illa non competit simpliciter huic complexo contingenti, propterea quòd complexum istud faciat, vel sit natum facere verum aliquod iudicium de se, vel ex

eo quòd intellectus formet istam complexionem: *Petrus est albus*: sed ex eo quia albedo actu inhæret Petro; ex quo postmodum habet quòd possit facere verum aliquod iudicium de se. Ergo veritas priùs competit huic complexo contingenti, quàm intelligatur habere respectum aliquẽ ad intellectum. Ergo veritas priùs competit veritati rei, quàm veritati cognitionis.

Addo, tantùm abesse quòd veritas rei dicatur à veritate cognitionis; quin potiùs veritas cognitionis dicitur à veritate rei: Cùm enim veritas rei consistat in eo quòd res ita sit, sicut debet esse iuxta sua principia: veritas cognitionis consistet in eo quòd intellectus rem ita apprehendit, sicuti est in se. Ergo ex veritate rei, sequetur veritas cognitionis, & non è contrà. Et hoc confirmatur hocce dicto Aristotelis in Prædicamentis: *Ab eo quòd res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Et hanc rem non obscurè insinuauit Doctor Subtilis in 1. dist. 2. q. 2. respondendo ad tertium argumentum, vt ostendit Lychetus in suis Commentarijs ad hunc locum.

Tertia Conclusio.

Cuinã veritati sit primò impositum nomen veritatis ex primæua sui significatione.

SI quæstio sit de nomine; non curo si dicatur verum ex primæua sui significatione impositum fuisse ad significandum verum cognitionis, potiùs quàm verum rei: Hoc enim fortè verum est: Tamen nunc vsus obtinuit, vt æquè diceretur de vero rei, atque de vero cognitionis: Nunc enim in Scholis, conformitas rei ad sua principia, vel ad suas ideas, si quas habet, æquè veritas dicitur, atque conformitas intellectus ad rem intellectam. In his quæstiunculis de nomine non lubet diutiùs immorari.

QVÆSTIO VII.

In quo consistat ratio Falsi?



DE Falso dicenda sunt aliqua, non quòd sit proprietas entis, sed quia Vero opponitur. Breuiter autem aperui quid sentirem de ratione eius, quæstione tertiâ, conclusione 2. respondendo ad argumentum. Tamen vt quæ à nobis eo loci dicta sunt, magis explicentur & confirmentur,

Prænotandum primò duplex esse falsum, aliud rei, aliud cognitionis, quod ex duplici vero superiùs explicato potest intelligi. Falsum duplex.

Prænotandum 2. Intellectum nostrum posse decipi in intelligendo simplicia, sicut & in apprehendendo composita: & eâ ratione dubitari potest, an intellectus dici possit falsus in apprehendẽdo simplicia, sicut falsus dicitur in apprehẽdendo composita, quando scilicet ea aliter quàm sint, apprehendit.

Prænotandum 3. dubitari maximè posse an sit aliqua falsitas in rebus, & quomodo sit in illis, an intrinsecè, an extrin-

secè, & in quo consistat? His omnibus ordine satisfaciemus.

Prima Conclusio.

Falsitas cognitionis potissimùm est in compositione & diuisione.

FAlsum cognitionis maximè propriè dicitur de intellectu componente vel diuidente. Patet ex Aristotele multis in locis; sed præsertim initio primi lib. de Interpretatione, & in fine lib. noni Metaphysic. Fauet ratio: Quia queamadmodum veritas cognitionis est conformitas intellectus ad rem intellectam, ita falsitas cognitionis est difformitas eiusdem intellectus ad rem intellectam: sed in compositione vel diuisione propriè est difformitas. Ergo falsitas propriè dicitur de intellectu componente vel diuidente. Hæc tota ratiocinatio & maximè minor, in qua consistit tota probatio conclusionis, patebit magis ex mox dicendis.

Secunda Conclusio.

Falsitas cognitionis non est in apprehẽsione simplicium.

FAlsum cognitionis propriè non est in intellectu simpliciter apprehendente. Est Aristotelis in fine libri noni Metaphysicorum. Et probatur. Non est difformitas propriè in intellectu simpliciter apprehendente ad rem apprehensam. Ergo non est falsitas. Consequentia patet. Antecedens probatur. Difformitas propriè tunc est in intellectu, cùm rem aliter quàm sit intelligit: Sed in simplicium apprehensione, res non potest apprehendi aliter quàm sit. Ergo in simplicium apprehensione seu in intellectu simpliciter apprehendente, non potest esse falsitas. Maior est clara, & habetur apud D. August. lib. 83. qq. q. 32. vbi dicit: *quisquis vllam rem aliter quàm ea res est, intelligit, fallitur.* Et ita ad difformitatẽ cognitionis, duo requiruntur, primum vt res apprehendatur; secundum, vt aliter, seu sub alia forma & sub alio modo, quàm est, apprehendatur; ita quòd alietas illa sit alietas modi, vel rationis alicuius affirmatæ de re apprehensa, quæ tamen ei non conuenit, vel negatæ de eadem per iudicium aliquod positiuum, quæ tamen ei conuenit. Minor probatur. Cùm res totaliter ignoratur, aut non apprehenditur omninò; non apprehenditur aliter quàm sit: sed quando non est veritas in simplicium apprehensione, restat quòd res illa simplex omninò non apprehendatur. Ergo in simplicium apprehensione, res non potest apprehendi aliter quàm sit. Maior patet. Minor probatur. Simplex, vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur: si totaliter sciatur; tunc intellectus est verus: si totaliter ignoretur, tunc non apprehenditur omninò. Ergo vbi non est veritas in simplicium apprehensione; restat vt sit ignorantia, & non tantùm falsitas.

Dices hæc quidem vera esse de simplicibus non habentibus plures rationes, in quas resolui possunt, quæ appellantur simpliciter simplicia, qualia sunt differentiæ vltimæ: Non tamen de simplicibus habentibus plures rationes in quas resolui possunt,

quæ tantùm dicuntur simplicia, quia non sunt actu complexa per iudicium aliquod vel compositiuum, vel diuisiuum intellectus, qualia sunt quidditates hominis, bruti, vel lapidis: Hęc enim non semper totaliter sciuntur, nec semper totaliter ignorantur: sed aliquando partim sciuntur, nimirum secundùm aliquas rationes; partim ignorantur, scilicet secundùm alias rationes.

Dico tamen quòd nec circa illa contingit falsitas, dummodò non progrediatur vsque ad iudicium: sed quâ parte sciuntur, intellectus est verus; quâ parte ignorantur, est ignarus & non falsus, quia circa rationes quæ ignorantur, intellectus habet solùm carentiam cognitionis, & non difformitatem. Vnde huiusmodi cognitio quidditatum habentium plures rationes, quarum aliæ sciuntur, alię ignorantur, aliter denominatur quàm vera vel falsa; nimirum imperfecta, inadęquata, incompleta, &c.

Obiectio. Obijcies: Superiùs dictum est esse veritatem in simplicium apprehensione: Ergo dicendum est esse quoque falsitatem: quia oppositorum eadem est ratio.

Solutio. Respondeo negando consequentiam: quia in simplicium apprehensione potest esse conformitas intellectus apprehendentis ad rem apprehensam, quando nimirum intellectus ita rem attingit, sicuti est: Non potest autem esse difformitas; quia quando intellectus simplicia non attingit vt sunt, simpliciter non attingit. Hoc totum est Aristotelis in fine lib. 9. Metaphysicor. vbi constituit duplex verum, vnum in compositione vel diuisione, & aliud in simplicium apprehensione: *Vnum*, inquit, *si componitur:* Aliud autem *si verè Ens, sic est*. Vnicũ verò constituit falsum: *Si non componitur*, inquit, (supple sicut componendum est) *falsum. Verum autem intelligere ipsa*, (supple simplicia) *Falsum verò non est* (supple in intelligendo ipsa simplicia) *nec deceptio, sed ignorantia*. Ista explicant Alensis & Scotus in suis Commentarijs ad hunc locum. Ad rationem consequentiæ, dico verum & falsum non opponi propriè, nisi in compositione vel diuisione. Quia etiam ex Aristotele, veritati apprehensionis simplicium, nullum falsum opponitur.

Quare falsum non fit in simplicium apprehensione, & tamen verum fit?

Tertia Conclusio.

Datur aliqua falsitas formaliter in rebus.

Datur aliqua falsitas intrinsecè & formaliter in rebus; difficile tamen est assignare in quo consistat. Prior pars conclusionis est contra communem sententiam Philosophorum: est tamen expressa apud D. August. lib. 2. Soliloquiorum, cap. 9. & 15. Patebit autem ex declaratione secundæ partis huius eiusdem conclusionis.

Explicantur variæ rationes in quibus ostenditur falsitatẽ rei non consistere.

Omissis igitur omnibus modis, quibus D. Augustinus tentat falsitatem aliquam assignare in rebus: Dicamus cum eo, imprimis falsitatem rei non consistere in dissimilitudine; sic enim omnia essent falsa, cũ nihil sit quod in aliquo non sit alteri dissimile. Non consistit etiam in similitudine propter eandem rationem: Vnde licet similitudo rerum sit mater falsita-

ter falsitatis, vt loquitur ipse cap. 6. non est tamen ipsa falsitas. Non consistit etiam in eo quod non sit; quia sic, nihil esset falsum, nisi quod non est. Non consistit adhuc in eo quod aliter se habeat, quàm videatur. Nam licet etiam illud falsum sit, quod aliter se habet quàm appareat nobis; falsitas tamen illa non est formaliter in re, sed in intellectu nostro rem apprehendente aliter quàm sit; quæquidem res quantùm est ex se, vera est, & nata talem sui æstimationem facere apud intellectum, qualis est in se. Est ergo falsitas huiusmodi in re, per denominationem extrinsecam à falsitate quæ est in intellectu. Addere possumus falsitatem rei non consistere in difformitate rei ad intellectum diuinum: quia non in difformitate ad intellectum speculatiuum primò: Non enim Deus intelligit res aliter quàm sint: Non etiam in difformitate ad intellectum practicum, seu ad diuinas ideas: quia quidquid est, hoc ipso quòd est aliquid, & non nihil, est conforme suæ regulæ, suæ arti, & suæ ideę; aliàs Deus aliquid irrationabiliter produceret. Non consistit etiam pręcisè in difformitate ipsius falsi, ad principia, eius rei cuius similitudinem gerit: sic enim omnia quæ sunt diuersæ naturę, & in aliquo sunt similia, essent falsa.

In quo tandem consistat falsitas rei. Proferamus iam in quo consistat, & ita loquamur cum D. August. cap. 9. *Video tentatis quantùm potuimus, omnibus rebus, non remansisse quod falsum iure dicatur, nisi quod aut se fingit esse, quod non est, aut omninò esse tendit & non est.* Et ita falsum rei erit illud propriè quod quodam conatu vel naturæ, vel artis, vel rationis tendit, aut fingit se esse id quod non est. Ita quòd ad falsum rei tria concurrere debeant. Primum, difformitas ad principia veri. Secundum, similitudo veri. Tertium denique, imitatio veri; imitatio inquam, non quæ sit simplex aliqua similitudo, sed imitatio quædam tendentiæ vel conatus; vndequaque proueniat illa tendentia seu conatus, siue à natura, siue ab arte, siue à ratione. Hęc est, meo iudicio, sententia D. Augustini, quam etiam prolixè inculcat cap. 15. vbi frequenter repetit illud esse falsum, quod ad similitudinem alicuius accommodatum est, & quod habet ad verum nonnullam imitationem. Sic ergo, si quod opus naturæ verum aliquod imitetur industriâ quadam naturæ, falsum dici poterit: Sic aurum chymicum in eo quod per artem imitatur verum aurum, falsum aurum dici debet. Sic vt cum Augustino loquar, *In scena Roscius voluntate falsa Hecuba erat.*

Huius sententiæ est noster magnus Alexander Alens. 1. part. qu. 16. mem. 1. & memb. 4. vbi docet falsitatem esse in rebus: & eâ ratione falsum subsistere in vero, quia falsum subsistit in Ente: Ens autem & Verum idem sunt: Et quòd non tantùm denominatione extrinseca, sed etiam formaliter, patet ex eius rationibus.

1 Dices omnia hæc entia esse vera, quatenùs habent vera principia eius, quod sunt? Respondeo ita esse; hac ratione tamen

BBb

etiam esse falsa, quia non habent vera principia eius quod imitantur, & quod gestiunt esse. Ideoque falsum posse consistere cum vero, aliàs non omne Ens esset verum: Et hæc Entia absolutè spectata, esse vera, quatenùs habent vera principia eius quod sunt: comparata autem ad aliud quod imitantur, & cuius similitudinem gerunt, esse falsa. Vnde habebis falsitatem rei consistere in respectu, non in entitate absoluta.

Dices iterum: Ergo falsitas erit etiam passio entis? Respondeo id negando; quia istud falsum non reperitur in omni Ente, sed in paucis rebus, vt patet.

Obserua porrò hìc, eodem modo esse philosophandum de hac falsitate rei, & de falsitate cognitionis, cuius illa est causa, atque de veritate rei, & de veritate cognitionis: Itaut quemadmodum veritas priùs est in re, quàm in intellectu; ita propter eandem rationem, falsitas priùs sit in re quàm in intellectu; falsitas inquam, quæ est in intellectu ab illa falsitate rei: Quod notanter dico, propterea quòd non omnis falsitas cognitionis est à falsitate rei, vt dicemus sequenti quæstione, & vt patet; quia quantumcumque res veræ sint ex se; tamen intellectus plerumque errat & fallitur. Vnde verò hoc proueniat, explicabitur. Illud autem quod dicimus, dumtaxat verum est; vbi contingit intellectum falli propter falsitatem quæ est in re. Quod iterum animaduerto, quia non semper intellectus fallitur, vbi res in se falsa est; cùm enim deprehendit eam esse falsam, tunc non fallitur, sed verus est, quia rem apprehendit sicuti est.

Quærit noster Alexander 1. p. q. 16. memb. 2. an falsitas sit etiam in sensu? Cui dubitationi vt satisfaciat, distinguit de sensu interiori communi, & de sensu exteriori: Et quidem in sensu interiori communi dicit esse falsitatem; in sensu exteriori, non esse. Sed hæc videri possunt latiùs apud ipsum.

Porrò de veritate signi nihil nunc dicimus: illam enim relinquimus Logicis discutiendam.

QVÆSTIO VII.

Unde prouenit quòd tam sæpè fallamur, & tam raro atque difficulter veritatem assequamur?



Nullus suauior animo cibus est quàm cognitio veritatis, inquit Lactantius lib. 1. Diuinarum Institutionum cap. 1. Tamen est in nobis adeò exigua huiusmodi cognitio, vt plerumque falsa pro veris amplectamur. Quid huius rei causæ sit, detegamus.

Prænotandum autem imprimis hìc nomine cognitionis veritatis, nos nihil aliud intelligere, quàm certam apprehensionem rerum vt sunt, siue res illæ complexæ sint, siue simplices. No- Quid sit cognitio veritatis in proposito.

mine quoque falsitatis, nihil aliud intelligere, quàm rerum apprehensionem, non vt in se sunt, sed aliter quàm sint, siue res illę sint etiam complexæ, siue sint simplices: quo pacto nomen falsitatis latiùs vsurpamus, vt significet tam errorem & deceptionem, quàm simplicem ignorantiam rerum, quas tamen scire putamus.

Difficultas in cognoscenda veritate ex duplici capite.

Prænotandum 2. causam huius nostræ difficultatis in apprehendenda veritate, assignari posse vel Theologicè, vel Philosophicè. De causa Theologica nihil impræsentiarum dico: quę fortè alia non est, quàm peccatum primi parentis, & amissio iustitiæ originalis. Restat igitur causam philosophicam inquiramus.

Duplici viâ cognoscimus res.

Pręnotandum 3. nos duplici viâ, veritatis cognitionem consequi posse, scilicet inuentione & disciplinâ: inuentione, vt primi Philosophi, qui suo studio propter mirari cœperunt philosophari: Disciplinâ, vt ij qui per authoritatem & industriam alicuius docentis, rerum veritatem assequuntur.

Tres causæ referuntur nostræ difficultatis in rebus cognoscendis.

Pręnotandum 4. nostros errores, deceptiones, falsitates, ignorantias, & difficultates in adipiscenda veritatis cognitione, referri tantùm posse ad tres radices, scilicet vel ad res ipsas, vel ad intellectum nostrum, vel ad vtrumque simul. Heraclitus apud Fonsecam, existimat referri debere in res ipsas solùm. Alij multi apud Franciscum Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 9. sect. 3. distinctione vtuntur, dicendo rerum quasdam esse nobilissimas & superiores homine, & alias minùs nobiles & inferiores homine: Et quidem respectu priorum, totam difficultatem esse refundendam in nos: Quia res illæ ex se sunt maximè cognoscibiles; & si eas non cognoscamus, hoc prouenit ex imperfectione intellectus nostri, qui non est eis proportionatus: Respectu autem posteriorum, totam difficultatem esse refundendam in ipsasmet res, quia imperfectæ sunt, & parum intelligibiles. Suarez ipse addit etiam imperfectionem nostri intellectus, itaut respectu harum rerum huius posterioris generis, radix deceptionis & difficultatis sit & intellectus nostri, & ipsarum rerum imperfectio. Alexander noster lib. 2. Metaphysic. cap. 1. text. 6. Idem omninò sentit quod authores citati apud Suarem: *Quæreret quis, inquit, vtrùm difficultas existat secundùm duos modos, secundùm quod dicit Philosophus? Dicendum quòd sic. Ad quod notandum, quòd intellectus difficultas ex hoc prouenit, quòd natura rei non bene potest attingi ab intellectu; quòd autem intellectus attingat, hoc est, quia mouetur ab obiecto; ita quòd ipsum intelligere magis est attingi, quàm attingere. Cùm enim intellectus sit potentia paßiua, intellectus est magis in moueri: Quòd autem intellectus non poßit moueri ab obiecto, hoc potest esse duobus modis; vel quia obiectum deficit à natura motionis actiuæ, & sic difficultas prouenit ex parte obiecti: Quia intellectus deficit à natura motionis paßiuæ; etiam sic difficultas est ex parte nostra. Debemus enim imaginari suo modo in intellectu, sicut in visu: quædam enim sunt quæ habent*

Variæ sententiæ referuntur.

parum de luciditate, & ista non benè possunt mouere potentiam visiuam, propter defectum sui, & propter defectum motionis actiuæ: Quædam verò sunt, quæ multũ habent de luciditate, & ista non deficiunt in motione actiua: sed ipsum passiuum non est aptum moueri à tam excellenti obiecto. Ita suo modo, quædam sunt, quæ parum habent de intellectualitate, & ista non sunt apta nata benè mouere intellectum, & in talibus est defectus ex parte obiecti, & difficultas. Quædam sunt quæ multum habent de intellectualitate, quia multum habent de entitate, sicut sunt substantiæ separatæ; & ista non deficiunt in motione actiua, sed intellectus noster non est aptus natus benè moueri à tam excellenti obiecto; & ideò difficultas hic intelligendi, est ex parte nostra, & non ex parte obiecti.

Prænotandum 5. quòd quandocumque aliquid naturâ suâ est tale, respectu cuiuscumque remanet tale. Et ita si sint aliquæ res naturâ suâ imperfectæ & parum intelligibiles, respectu cuiuscumque intellectus etiam diuini, erunt tales. Quòd si ponantur duntaxat respectu alicuius intellectus parum intelligibiles, & non respectu omnis, signum euidens est aliquid debere esse in ipso intellectu, respectu cuius dicuntur parũ intelligibiles, ratione cuius dicantur potiùs respectu eius parum intelligibiles, quàm respectu omnis intellectus. Et ita, si quæ sit difficultas ex parte rerum aliquarum, in attingenda earum veritate, ea erit in illis respectu cuiuscumque intellectus. Quòd si sit tantùm respectu intellectus nostri, necesse erit fateamur esse in nostro intellectu imperfectionem aliquam, & carentiam viuacitatis in attingendis rebus minutissimis, & valdè imperfectis, quæ, quantùm est ex se, satis possunt se manifestare intellectui perfectiori, & potenti eas penetrare. His positis, sit hęc

Prima Conclusio.

Speculatio de veritate partim difficilis, partim facilis est. Est sententia Aristotelis initio libri 2. Metaphysic. quam probat eo signo, quia nimirum neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea; sed quisque aliquid de natura dicit; & singuli quidem nihil aut parum ei addunt; ex omnibus verò collectis aliqua magnitudo fit. Quâ parte nullus eam satis consequitur, difficilis est; & quâ parte non omnes aberrant ab ea, facilis. Iterum, quâ parte singuli nihil aut parum de ea dicunt, difficilis est; quâ parte simul omnes collecti multitudinem quandam verarum propositionum efficiunt, facilis. Addit Aristoteles esse facilem ratione principiorum quæ habent ex terminis euidentiam; vt, *Totum est maius sua parte. Quodlibet est, vel non est.* Esse tamen difficilem vel ratione conclusionum quæ ab ipsis elici possunt, vel ratione habitudinis quam habent ad innumeras conclusiones, quæquidem habitudo non satis à nobis potest intelligi. Audiamus circa hæc ita pręclarè philosophantem Alexandrum: *Quæreret quis*, inquit, *vtrum veritas possit perfectè comprehendi à nobis? Dicendum est quòd non: Cuius ratio est, quia intellectus noster limitatus est; & ideò non nisi finitum cognoscit,*

Speculatio veritatis partim facilis, partim difficilis est.

& finitos modos ſcibilium; infra autem naturam veri continentur infiniti modi ſcibilium. Triplici autem viâ hoc poteſt probari: prima autem eſt; quia infra naturam veri, cadit primum Ens: ſecunda autem, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ cadunt etiam infra naturam veri: Tertia via ſumitur ex hoc quòd virtus principij reſpectu concluſionum non poteſt perfectè comprehendi à nobis. Prima ergo via eſt; quia infra naturam veri cadit primum Ens. Suppoſito enim quòd Ens primum cadat infra naturam intellectus: ſicut non poteſt comprehendi natura intellectus primi; ſic nec natura veri in toto ſuo ambitu. Item hoc patet ſecundo de ſcibili creato: Multa enim creata propter excellentiam ſui eſſe, ſunt improportionata intellectui noſtro, ad quæ non poteſt attingere, propter debilitatem ſui eſſe: Et cùm illa contineantur infra naturam ſcibilis, & illam non attingat intellectus noſter completè; non attinget etiam comprehenſionem veritatis. Tertiò patet hoc ex habitudine quam habent principia ad concluſiones; quæ habitudo eſt; quia principia ſunt virtualiter concluſiones; ſi ergo debet perfectè cognoſcere principium, oportet quòd cognoſcat totam virtutem principij: ſecundum quod ſe extendit ad omnes concluſiones. Cùm ergo non poſſit intellectus cognoſcere omnes concluſiones quæ poſſunt elici ex principio illo: quia ſecundum Philoſophum, ſunt infinitæ in potentia: Ergo non poteſt perfectè cognoſcere veritatem principij, & per conſequens perfectè attingere comprehenſionem veritatis. Sic ergo prima via ſumitur ex hoc quòd primum Ens cadit infra naturam veri. Secunda via ſumitur ex hoc, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ cadunt infra habitum veri & ſcibilis. Tertia via ſumitur ex hoc quòd virtus principij reſpectu concluſionum non poteſt perfectè comprehendi à nobis.

Sed quidquid ſit: *Non ſolùm illis agendæ ſunt gratiæ*, inquit, Ariſtot. *quorum opinionibus quis acquieſcat, & qui rerum veritatem ſunt aſſecuti; ſed etiam illis qui ſuperficie tenus dixerunt. Conferunt enim aliquid etiam iſti: habitum namque noſtrum exercuerunt. Si enim Timotheus non fuiſſet, multum melodiæ nequaquam habuiſſemus. Et ſi Phrynus non extitiſſet, ne Timotheus quidem.*

Secunda Concluſio.

Difficultas aſſequendi rerum veritatem, eſt ſolùm penes nos, & penes imperfectionem intellectus noſtri, reſpectu quarumcumque rerum, ſiuè earum quæ ſupra, ſiue earum quæ infra nos ſunt. Concluſio eſt Doctoris Subtilis, & Anthonij Andreæ lib. 2. Metaphyſic. q. 2. Et probatur imprimis authoritate Philoſophi eodem lib. 2. Metaphyſic. cap. 1. qui poſtquam dubitatiuè dixit difficultatem ipſam poſſe eſſe, vel ex parte rerum, vel ex parte noſtri, abſolutè reſoluit cauſam eius non eſſe in rebus, ſed in nobis ipſis: *Forſan autem*, inquit, *& difficultate exiſtente ſecundùm duos modos; non in rebus, ſed in nobis cauſa eius*, ſupple eſt. Sic enim ad verbum habet textus Græcus: ἴσως δὲ καὶ τῆς χαλεπότητος οὔσης κατὰ δύο τρόπους, οὐκ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀλλ' ἐν ἡμῖν τὸ αἴτιον αὐ-

Difficultas cognoſcendi res prouenit ex imperfectione noſtri intellectus.

τῆς. Et non vt sic malè versum est nuper : Cùm verò difficultas duobus sit modis, fortassis causa eius non rebus, sed nobis ipsis inest: vbi particula; fortassis, sic transposita corrumpit omninò sensum Philosophi. Subdit autem ad huius rei maiorem confirmationem : *Sicut enim vespertilionum oculi ad lucem diei se habent; sic & anima nostra intellectus ad ea quæ sunt omnium natura manifestissima.* Quaquidem comparatione satis indicat totam istam difficultatem se tenere à parte nostri. Et quidem hoc fatentur omnes respectu rerum quę supra nos sunt ; quamuis negent respectu rerum quæ sunt infra nos, & quæ sunt valdè imperfectæ, & minimæ entitatis.

Id verò etiam probatum manet ex 5. prænotato, & magis confirmatur. Quia illa inæqualitas cognoscibilitatis rerum, non ponitur respectu cuiuscumque intellectus : Nam respectu intellectus infiniti *, omnia sunt æquè cognoscibilia & cognita.

Addo intellectum Angelicum clarè videre in ijs in quibus cæcutimus : & quod respectu nostri habere videtur minimum intelligibilitatis, respectu intellectus Angelici, est valdè cognoscibile.

Addo rursus, frequenter res minimæ entitatis meliùs & veriùs cognosci à quibusdam hominibus pręstantis ingenij, quàm quæ habent multum entitatis ab alijs : quæ omnia satis demonstrant radicem difficultatis quam habemus in adipiscenda veritate rerum tenuium & imperfectarum, esse repetendam ex nobis, & non ex rebus ipsis.

Illud etiam non obscurè videtur insinuasse Sapiens Ecclesiastæ 1. vbi postquam dixit *Cunctas res esse difficiles* ; statim subdit: *Non potest eas homo explicare sermone*: quasi totam istam difficultatem refundat in nostram tenuitatem & impossibilitatem. Itaque angustiæ sunt nobis vndiq; tùm ex parte rerum quæ supra nos sunt, vel quia non possumus ad eas accedere; vel quia nimis mouent & lædunt nostrā imbecillem facultatem : tùm ex parte rerum quæ infra nos sunt: quæ tametsi, quantùm est ex se, sint satis cognoscibiles; tamen quia non nos satis mouent, vel potiùs quia non satis mouemur ab illis ; fit vt respectu nostri, non sint satis cognoscibiles. Defectus autem iste noster imprimis prouenit ex eo quia intellectus noster finitus est. Demùm quia in ordine rerum intellectualium etiam creatarum, infimum locum tenet. Addere possumus molem corporis, & sensuum sarcinam, quæ nos deprimit, quoties in rerum pulcherrimarum notitiam contendimus assurgere. Hæc attigit Diuus Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, post medium: *Cùm veritas omnis*, inquit, *& disputatio plurimùm difficultatis atque obscuritatis habeat ; ac nos velut paruo quodam instrumento res magnas efficere moliamur, humanæ videlicet sapientiæ adiumento rerum cognitionem aucupantes, ac rebus intellectilibus animum vnà cum*

sensibus admouentes, aut certè non sine sensibus, quibus vndique iactamur, atque in errorem pertrahimur, nec nudâ mente cum nudis rebus versari, atque inde ad veritatem propiùs accedere, rebusque perceptis ac comprehensis mentem informare possimus: tum verò disputatio ea quæ de Deo suscipitur, quò perfectior, eò quoque difficilior, &c.

Obiectio 1. Obijcies 1. Quemadmodum se habet visibile ad visum, ita se habet intelligibile ad intellectum: Sed inæqualitas visibilium, non petitur solùm ex inæqualitate facultatum visiuarum; sed etiam ex inæqualitate visibilium, quorum aliqua minus lucis & quantitatis habent, quàm alia. Ergo inæqualitas intelligibilium non petetur solùm ex inæqualitate facultatum intellectiuarum, quarum aliquæ sunt minùs vel magis perfectæ, quàm aliæ; sed etiam ex inæqualitate ipsorum intelligibilium, quorum aliqua sunt plùs vel minùs perfecta quàm alia. Solutio. Respondeo concessâ maiore; minorem non esse veram, nisi ex hypothesi quòd nulla dari possit facultas visiua, quæ æquè possit intueri quidquid est quoquo modo visibile: Si enim daretur aliqua facultas visiua, quæ æquè videret in tenebris, atque in luce, & æquè attingeret tenuissima corpora, atq; solidiora & maiora: tunc inæqualitas visibilium esset repetenda ex illa solùm facultate, quæ non posset æquè benè videre omnia visibilia, & non ex ipsis visibilibus, vt patet. Ergo quia dantur aliqui intellectus, quibus omnia sunt æquè intelligibilia; inæqualitas intelligibilium est petenda solùm ex illo intellectu, qui non potest æquè benè intelligere omnia intelligibilia.

Obiectio 2. Obijcies 2. Intelligibilitas tanta est, quanta est entitas vniuscuiusque rei; quia intelligibilitas sequitur entitatem: Sed entitas vniuscuiusque rei, est tanta vel tanta secundùm se: Ergo & intelligibilitas erit tanta, vel tanta secundùm se, & non per respectum ad intellectum nostrum duntaxat. Solutio. Respondeo negando maiorem absolutè; quia respectu intellectus perfectissimi, stante inæqualitate entitatum, potest esse æqualitas intelligibilitatum: quia æquè perfectè intelligit minimam entitatem, atq; maximam & perfectissimam. Ad confirmationem dico intelligibilitatem sequi quidem entitatem, non tamen sequi modum aut quantitatem eius, sed modum intellectus nostri: Itaut licet res ex se sint intelligibiles, sunt tamen plùs vel minùs intelligibiles per denominationem extrinsecam à virtute intellectus magis vel minùs perfecta.

Nulla potest afferri ratio in fauorem prioris sententiæ, quâ nimirum dicebatur totam difficultatem allatam, esse petendam ex rebus ipsis, nisi fortè dicatur nos non posse cognoscere sine speciebus, & omnes res, vel non producere species sui, vel producere nimis tenues. Sed hoc nihil est dictu: quia non posse cognoscere sine speciebus, arguit imperfectionem status nostri, & in rebus quæ species producere non possunt, non est imperfectio ex eo quòd illas non possint pro-

ducere; imò perfectionis est, quia hoc demonstrat earum rerum statum sublimem & abstractum à materia. Aliæ res quæ minùs tenues species producunt, satis sufficientes producunt ex se: sed si quæ sit insufficientia, ex parte nostri est.

Tertia Conclusio.

Radix falsitatis & erroris est in nobis.

RAdix falsitatis deceptionis & erroris, quo fallimur, decipimur, & erramus circa res quas malè apprehendimus, est solùm in nobis, & non in rebus ipsis. Probatur: quia si res ex se essent fallaces & deceptoriæ, respectu cuiuscumque intellectus essent tales: sed constat hoc esse falsum: quò enim perfectior est intellectus, eò minùs fallitur; ita quod si sit perfectissimus, nullo modo falletur aut decipietur in apprehensione rerum. Ergo res ex se non sunt fallaces & deceptoriæ; sed nos ex imperfectione nostra plerumque decipimur. Imperfectio autem illa est imprimis vis nostra intelligendi finita, & infima inter omnes vires intelligendi, insuper imperfectio sensuum, quibus vndique iactamur, atque in errorem pertrahimur, vt loquitur D. Greg. Nazianzenus.

Quarta Conclusio.

In rebus ipsis sunt occasiones deceptionis.

IN rebus ipsis sunt multæ occasiones erroris & falsitatis. Putà distantia obiecti, similitudo rerum, verisimilitudo, externa apparentia, figura & forma. Probatur, quia si hęc non essent in rebus, non tam sæpè deciperemur. Ergo tametsi radix falsitatis sit in nobis; tamen etiam occasiones aliquæ falsitatis & erroris sunt in rebus. Eâ ratione dixit D. Augustinus lib. 2. soliloq. cap. 6. & 7. similitudinem esse matrem erroris, & eas res falsas à nobis nominari, quas verisimiles deprehendimus. Ita enim præclarè & accommodatè nostro proposito loquitur: *Itaque oportet patienter feramus donec nobis cæteri sensus renuntient in verisimilitudine habitare falsitatem. Nam & in ipso auditu totidem ferè genera veniunt similitudinum* (loquutus iam fuerat de quibusdam alijs sensibus.) *veluti cùm loquentis vocem, quem non videmus, audientes, putamus alium quempiam, cui voce similis est: atq; in deterioribus vel echo testis est, vel tinnitus ille ipsarum aurium, vel in horologijs Merulæ aut Corui quædam imitatio, vel quæ sibi somniantes aut furentes videntur audire. Videturne tibi aut lilium à lilio posse odore, aut mel thymimum à melle thymino de diuersis alnearijs sapore; aut mollitudo plumarum Cygni ab anseris tactu facilè dijudicari? Quid cùm talia nos vel olfacere, vel gustare, vel tangere somniamus? Nonne similitudine imaginum eò deteriore, quò inaniore decipimur? Ergo apparet nos in omnibus sensibus siue in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli, aut etiam si non fallimur suspendentes consensionem, seu differentiam dignoscentes; tamen eas res falsas nominare, quas verisimiles deprehendimus.*

Porrò quòd dicit Suarez tom. 1. Me-

Reprehenditur Suarez.

1. Metaphysic. disput. 9. sect. 2. num. 5. 6. 7. & sequentibus, hoc esse discriminis inter verum & falsum; quòd intellectus ab euidentia rei determinatur ad verum; non determinatur autem ad falsum nisi à voluntate: quo ad istam posteriorem partem mihi non probatur. Quia tanta potest inesse rebus verisimilitudo & apparentia, vt intellectus noster non valens discernere nisi id quod apparet, ita determinetur ad illud, ac si esset verum ipsum quod inquirit. Quod sic ostendo. Quando intellectus exhausit omnes vires suas in re aliqua cognoscenda; si non potuit adhuc attingere veritatem eius, ita tamen determinatur ad assentiendum ei quod sibi apparet, ac si illud esset ipsa veritas rei quam inquirit; quia existimat nihil esse ampliùs cognoscendum in illa re. Ergo ipsum quod apparet, determinat intellectum ad assentiendum falso, & non ipsa voluntas. Nec valet si dicat euidentiam cogere & necessitare ita intellectum ad assentiendum veris, vt non possit dissentire vel non consentire: Apparentiam autem & verisimilitudinem non posse ita cogere intellectum: proindeque ipsum debere determinari per voluntatem ad assentiendum falsis: quia seclusâ necessitate, non potest determinari intellectus ad iudiciũ, nisi per voluntatem, cùm ipse liber non sit. Hoc, inquam, non valet: quia imprimis nego apparentiam seu verisimilitudinem non posse æquè cogere intellectum præsertim omnibus suis viribus exhaustum, qualem cum pono, ac cogit euidentia. Denique dico non tantam esse determinationem & necessitatem, quâ intellectus determinatur & necessitatur ad falsum, quanta est necessitas & determinatio, quâ necessitatur & determinatur ad verum. Quia determinatur ad verum immobiliter & immutabiliter; determinatur autem ad falsum mutabiliter: Vnde & veritas dicitur immutabilis, & falsitas mutabilis. Ideoque sat est quòd ponamus ipsam imbecillitatẽ & imperfectionem intellectus ex vna parte, & rerum apparentiam & verisimilitudinem, vel alias præcipuas falsitatis occasiones ex alia; vt intellectus quoquo modo determinetur ad assentiendum falsis; ad quod non plus concurreret voluntas, quàm ad iudicium quo intellectus assentitur veris.



TERTIA PARS HVIVS CAPITIS QVÆ EST DE BONO.

QVÆSTIO I.

An Bonum sit passio Entis, & in quo consistat eius ratio?



Icut maximè certum est apud omnes Philosophos, Bonum esse proprietatem Entis; ita valdè incertum est & dubium apud eosdem, in quonam consistat eius ratio. Noster magnus Alexander Alensis, qui hanc rem prolixè pertractauit 1. p. q. 17. & 18. per decem & nouem membra, statuit rationem boni in quodam respectu ad affectionem, sicut rationem pulchri in respectu ad apprehensionem, vt videre licebit q. 17. membro 2. & postmodum agendo de bono creato q. 18. membro 1. & 5. sequens in omnibus D. Augustinum lib. de Natura boni contra Manichęos, docet illud consistere in modo, specie, & ordine. *Modus autem*, inquit, *sumitur ex comparatione creaturæ ad causam efficientem, quia ipsa dat modum: Species ex ordinatione rei ad causam formalem; ordo verò ex comparatione ad causam finalem. Vnde bonum creatum dicitur, quia à bono, quia in bono, quia ad bonum. Inquantum dicitur quia à bono, habet modum; inquantum dicitur quia in bono, habet speciem: inquantum dicitur quia ad bonum, habet ordinem.* Hæc autem omnia sonant respectum aliquem, vt patet. Citatur etiam D. Thomas pro parte eorum qui statuunt rationem boni in respectu, quia 1. p. q. 5. art. 1. in corpore, statuens discrimen inter Ens & Bonum, dicit rationem Boni in eo consistere, quòd aliquid sit appetibile; & infrà, bonum dicere rationem appetibilis, quam non dicit Ens. Ratio autem appetibilitatis est ratio respectiua. Cajetanus nihilominùs eò loci sic eum interpretatur, vt dicat D. Thomam sentire rationem boni non consistere præcisè & formaliter in ipsa ratione appetibilis, sed in proximo fundaméto appetibilis: cui interpretationi fauent verba eiusdem D. Thomæ in solu-

Proponitur status quæstionis, & variæ sententiæ referuntur.

tione ad primum, vbi dicit Bonum dicere rationem perfecti, quod est appetibile. Durandus in 2. dist. 34. qu. 1. num. 22. constituit etiam rationem Boni in respectu: Postquam enim confutauit opinionem Heruæi quodlibet. 3. q. 2. art. 2. qui vult rationem formalem boni aut esse perfectionem ipsam rei, aut aliquid ad perfectionem ordinatum, ita loquitur: *Dicendum ergo quòd formalis ratio boni est ratio conuenientis; ita quòd bonitas est formaliter ipsa conuenientia, & contrahit entitatem ad partem subiectiuam, quæ est relatio, & ad talem relationem quæ est conuenientia; & sic omnis bonitas est quædam entitas, quæ est respectiua, sed non omnis entitas est quidditatiuè bonitas; ita quòd non conuertuntur essentialiter: Bonum verò ratione concretionis, importat. id quod habet talem conuenientiam, vt eius subiectum vel fundamentum: Et quia illud potest inueniri in quolibet genere, saltem in generibus absolutis; ideò bonum dicitur conuerti cum ente, non essentialiter, sed denominatiuè; formalis tamen ratio boni est respectiua, scilicet ratio conuenientiæ. Circa quod, notandum est quòd illud quod est conueniens alicui, aut est ipsi conueniens intrinsecè secundùm habitudinem causæ materialis, vel formalis, vel sicut pars quantitatiua, vt pes vel manus conueniunt homini, seu pars essentialis, vt materia & forma, nec-non & perfectiones accidentales; & talibus formaliter & primò competit ratio boni: Alia autem important conuenientiam ad rem extrinsecè, secundùm habitudinem causæ efficientis, vel alterius extrinsecæ rationis siue conditionis; & talibus conuenit secundariò & extrinsecè ratio boni; sicut sanitas dicitur bona primò & formaliter, medicina autem & vrina secundariò, quia vtrumque extrinsecè, vnum per modum efficientis, aliud per modum signi.*

Molina 1. p. q. 5. disp. vnicâ post principium, sentit rationem formalem Boni consistere in ipsa perfectione reali rei, cum relatione rationis perficientis, ad rem perfectam. Capreolus in 2. dist. 34. art. 1. conclus. 2. & 3. asserit Bonum, formaliter consistere in relatione rationis ad appetitum, quam ipse appellat rationem perfectiuam alterius. Fonseca lib. 4. Metaphysic. cap. 2. q. 7. sect. 5. dicit Bonum addere enti solam relationem rationis, eamque solam formaliter significare; & quidem istam relationem non esse relationem finis, nec appetibilis, sed conuenientis. Suarez tom. 1. Metaphysic. disput. 10. sect. 1. num. 12. dicit Bonum supra Ens, solùm posse addere rationem conuenientiæ, quæ non est propria relatio, sed solùm connotat in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem, vel coniunctionem cum tali perfectione; vnde bonitatem dicere ipsam perfectionem rei, connotando prædictam conuenientiam. Pater Eustachius à sancto Paulo, tertiâ Parte Metaphysicæ, disput. 2. q. 11. conclus. 3. statuit rationem Boni in respectu conuenientiæ Dei cum seipso, & rerum creatarum cum Deo.

Noster Ricardus à Media vil-

la in 2. dist. 1. art. 4. q. 2. vult ad rationem bonitatis concurrere simul & entitatem, & perfectionem; Ita vt bonitas sit Entitas sub ratione quâ perfecta est. Gabriel Vasquez 1. p. disput. 23. cap. 5. dicit rationem formalem bonitatis quæ conuertitur cum Ente, esse integritatem & perfectionem rei in suo esse.

Post hæc varia placita quę reperi apud citatos authores, lubet mentem Doctoris nostri breuiter subijcere. Ille itaque q. 18. quodlibeticâ §. *De Primo*, explicans in quo consistat ratio bonitatis actus moralis, statuit cum D. Augustino lib. 8. de Trinit. cap. 3. duplicem rationem bonitatis Entis; vnam absolutam, quam vocat primariam; & alteram respectiuam, quam secundariam appellat: & quidem primam dicit nihil aliud esse, quàm integritatem vel perfectionem Entis in se: Alteram verò, quam dicit esse accidentalem siue superuenientem entitati, esse integritatem conuenientiæ, vel integram conuenientiam eius alteri, cui debet conuenire, vel alterius sibi: Itaut hæc postrema bonitas respectiua, duplicem conuenientiam sibi mutuò correspondentem & connexam dicere possit, nimirum vel rei bonæ cum subiecto, cui res illa bona est & conueniens; vel ipsiusmet subiecti boni, quod eâ ratione bonum dicitur, quia habet id quod sibi conuenit. Subijcit vtriusque conuenientiæ exépla in sanitate & in pane. Sanitas enim bona dicitur, quia est conueniens animali: Panis autem bonus dicitur, quia habet saporem sibi conuenientem: & est discrimen inter hanc vtramque denominationem bonitatis, quòd prior est denominatio quasi formæ à subiecto; sanitas enim dicitur bona ab animali, quia est bonum ipsius animalis: Posterior autem est denominatio subiecti à forma: Panis enim dicitur bonus ab illa qualitate saporis sibi conueniente & inhærente. Denique vtriusque bonitatis tum absolutæ, tum respectiuæ subiicit etiam exempla ex D. Augustino, lib. 8. de Trinit. c. 3. vbi primùm dicitur *Bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Quibus verbis exprimitur bonitas absoluta & primaria, quâ aliquid bonum dicitur, cùm habet ea omnia quæ sibi conueniunt, vt sit tale vel tale Ens. Postmodùm dicitur *bonus aër, modestus, & salubris, & bona valetudo sine doloribus & lassitudine.* Quibus verbis exprimitur bonitas respectiua, quâ nimirum aliquid bonum dicitur, quia est alteri conueniés. His tamen dictis, non resoluit Doctor an vtraque ista bonitas, vel alterutra tantùm, & quænam, sit passio Entis. Imò Lichetus ad hunc locum, dicit expressè quòd non accipitur hîc bonitas Entis, siue entitatiua, prout est passio Entis; sed accipitur pro perfectione essentiali Entis in se; ita quòd talis bonitas essentialis siue perfectio, quæ est integritas vel perfectio essentialis Entis in se, importet positiuè negationem imperfectionis. An autem saltem bonitas respectiua secundaria, superueniens

Sentẽtia Doctoris Subtilis proponitur & explicatur. Duplex bonitas, vna absoluta, & altera respectiua. Bonitas respectiua per duplicem respectum explicatur.

& accidentaria, quæ consistit vel in conuenientia alicuius alteri, vel in conuenientia alicuius sibi, vt dictum est, sit passio Entis necne, non resoluit. Tataretus verò ad hunc eundem locum, dicit bonitatem illam absolutam sic explicatam à Doctore, esse passionem Entis: quid sit autem altera bonitas, non resoluit? Vt in tanta obscuritate, lucem aliquam inueniamus,

Bonitas absoluta duplex. Prænotandum 1. Duplicem esse distinguendam bonitatem absolutam; vnam scilicet quidditatiuam, & alteram purè entitatiuam. Prima nihil aliud est quàm perfectio essentialis, quidditatiua, & gradualis, seu magnitudo perfectionis vniuscuiusque naturæ: Et hæc non est passio entis, sed modus intrinsecus vniuscuiusque entis quanti, secundùm quem dicitur esse vel in hoc, vel in isto gradu essentiali & specifico entis, æquale vel inæquale alteri enti quanto, excedi vel excedere, mensurari vel mensurare, & de hac bonitate loquitur Scotus quæst. 6. quodlibet. §. *Contra ista*, cùm dicit, *Quòd bonitas essentialis quâ vna species est melior alia, non est res addita essentiæ*. Et paulò suprà: *Magnitudo perfectionis non est aliud realiter ab eo cuius est.* Iuxta quam doctrinam paulò superiùs adhuc docuerat quòd omni proprietate per possibile, vel per impossibile circumscriptâ ab essentia diuina; ipsa habet propriam magnitudinem, scilicet propriam infinitatem: habet enim gradum intrinsecum, sicut res finita habet propriam finitatem. Imò magis, sicut si circumscribas ab homine omnem proprietatem, adhuc habet propriam finitatem in ordine entium. Possumus autem huius rei rationem optimam reddere. Quia diuersæ & inæquales naturæ non sunt diuersæ & inæquales, excessæ vel excedentes per suas proprietates, vel per aliquid posterius ipsis; sed per ipsosmet suos gradus quidditatiuos & specificos, habent quòd sint æquales vel inæquales, excessæ vel excedentes. Ergo bonitas illa absoluta, quæ consistit in magnitudine perfectionis, secundùm quam res habent istam inæqualitatem gradualem inter se, non potest esse proprietas consequens naturam entis, sed est modus intrinsecus earum rerum, quibus competit excedi vel excedere, mensurari vel mensurare, & perfectionis magnitudo, quale est solùm ens quantum.

Bonitas absoluta purè entitatiua consistit in veluti possessione eorum omnium quæ conueniunt enti, vt sic. Ita quòd, quemadmodum actus moralis dicitur bonus, quando habet omnes conditiones & circũstantias, ex quibus integratur eius bonitas: ita ens dicitur bonum, quando habet id omne quod sibi conuenit. Et huiusmodi bonitas nihil aliud est, quàm perfectio entis, vel sanè parùm differt ab illa; eò nimirum quia, ens perfectum dicitur, quando habet id omne ex quo integratur, completur & perficitur; bonum verò, quando habet id omne quod sibi conuenit. Vnde si bonum absolutum hoc

modo sumptum & perfectum, distinguantur formaliter; minimâ distinctione formali distinguuntur, vt patet.

Quo-modo distin-guãtur Ens & bonum.

Quomodo autem istud bonum distinguatur ab ente, non constat apud omnes. D. Thomas, qui rationem boni constituit in quodam absoluto, vt sentit Vasquez 1. p. disput. 23. cap. 5. vult tamen quòd bonum & ens differant secundùm rationem; non solùm secundùm rationem significantem & concipientem, sed secundùm rationem significatam & conceptam, inquit Cajetanus 1. p. q. 5. art. 1. Ratio autem significata idem est quòd apud nos, ratio formalis. Durandus qui constituit bonum in ratione quadam respectiua, dicit quæstione præfatâ, num. 11. quòd differt ab ente, ratione reali, quam non format solus intellectus. Cùm tamen num. 22. explicando suam mentem, dicat conuenientiam in qua primò cõsistit ratio boni, sit conuenientia quædam intrinseca rationum pertinentium ad rem, cui dicuntur bonæ vel conuenientes: patet bonitatem hoc modò explicatam, in re ipsa non esse aliam, quàm bonitatem aliquam absolutam: Sicque etiam bonitas absoluta, in sententia Durandi, distinguetur ab ente, ratione reali quam non format solus intellectus. Et si ponamus istam bonitatem esse passionem entis, hoc necessariò fateri tenemur conformiter priùs dictis de distinctione proprietatum Entis ab ente. Sed quanquam facile sit ostendere varias rationes formales entis & boni respectiuè sumpti: quia nimirum bonum respectiuè sumptum, vltra entitatem suam, dicit respectum ad id cui est conueniens, vel saltem vt dicit Suarez, connotat inclinationem, capacitatem, & coniunctionem eius cui est conueniens: Tamen facile non est ostendere quomodo distinctas habeant rationes formales Ens, & bonum absolutè sumptum; nisi dicamus rationem entis in eo præcisè consistere, quòd sit id quod est; rationem autem boni in eo quòd id quod est, habeat id omne quod sibi conuenit: Sic enim non omninò per intellectum, sed rationibus quibusdam formalibus, & acceptis in re ipsa, distinguentur Ens & bonum.

Prenotandum 2. vel potiùs colligendum ex sententia Doctoris Subtilis superiùs explicata, Bonum non consistere simpliciter in ratione respectiua conuenientiæ, contra id quod docetur communiter, & nos etiam aliquando docuimus in Moralibus; sed in ratione absoluta & intrinseca; nimirum in eo quòd res quæ bona dicitur, habet id omne quod sibi conuenit.

Nec refert quòd vna & eadem res secundùm eandem naturam & eandem perfectionem, sit vni conueniens, & alteri disconueniens; proindeque sit vni bona, & alteri mala: Nam hoc verum est de bonitate & malitia respectiua; non de absoluta. Et licet ita se haberet, quòd aliqua res nulli planè rei esset conueniens, tamen dato quòd esset aliqnid, & non nihil, esset semper bona, bonitate suâ intrinsecâ & absolutâ.

Et hæc est expressa sententia D. Augustini lib. de Natura Boni, cap. 4. & 5. vbi docet *tamdiu rem aliquam bonam permanere, quamdiu est & corrupta non est: vbi autem corrupta est; sicut non est amplius illa natura, sic nec bona est.* His positis, sit hæc

Prima Conclusio.

Bonum est proprietas Entis.

BOnum est proprietas Entis. Probatur hac generali ratione. Illud est propria passio alicuius quod ei conuenit, & de eo dicitur reciprocè, ita vt conueniat ei soli & semper, & omnibus contentis sub eo. Sed bonum est huiusmodi respectu Entis. Minorem probat noster magnus Alexander 1. part. q. 18. memb. 6. vbi ostendit quòd vnumquodque inquantum est, bonum est, imprimis authoritate Boëtij lib. de Hebdomad. cap. 2. dicentis: *Quidquid est in eo quod est, bonum est.* Et D. Augustini 3. de libero arbitrio, cap. 15. vbi dicit, *quidquid est, sicut esse debet, bonum est.* Quibus addere possumus id quod habet lib. 83. qq. q. 24. dicens: *Omne quod est, inquantum est, bonum est.* Et lib. 8. de Trinit. cap. 3. vbi præclarè distinguens inter bonitatem entis, & bonitatem moralem, hæc habet: *Vt autem sit bonus animus, video agendum esse voluntate, non quia idipsum quo animus est, non est aliquid boni: Nam vnde iam dicitur, & verissimè dicitur corpore melior; sed ideò nondum dicitur bonus animus, quoniam restat ei actio voluntatis, quâ sit præstantior.* Fauet Arist. 1. Ethic. mihi cap. 4. in aliis impressionibus, cap. 6. & in aliis 7. vbi dicit

Distinguit hic D. Aug. inter bonitatem entis, & bonitatem moralem.

quòd bonum totidem modis dicitur, quot id quod est.

Vt autem hęc veritas clarior fiat, duo probanda sunt per ordinem. Primum: Omne Ens esse bonum. Secundum: Nihil esse bonum præter Ens, seu præter id quod est.

Omne ens est bonū.

Primum est contra Manichæos & Priscillianistas, qui vt refert D. August. lib. de hæresibus, hæres. 46. existimabant esse quasdam creaturas naturâ suâ malas, & à quodam malo principio ortas. Contra quos multa scripsit Opuscula D. Augustinus, sed præsertim librum vnum de Natura Boni, vbi cap. 1. ita loquitur: *Quia bona omnia, siue magna siue parua, per quoslibet rerum gradus non possunt esse nisi à Deo: Omnis autem natura inquantum natura est, bonum est: Omnis natura non potest esse nisi à summo & vero Deo: Quia omnia, etiam non summa bona, sed propinqua summo Bono, & rursus omnia etiam nouissima bona, quæ longè sunt à summo Bono, non possunt esse nisi ab ipso sūmo Bono.* Et probari potest illud primū ex illo primi Genesis, vbi de singulis operibus Dei, postquā facta sūt dicitur: *Et vidit quod esset bonum.* Omnibus autem conditis, dicitur: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et ratio est, inquit Abulensis ad hunc locum; *quia res dicunt duas bonitates. Prima est bonitas specialis in natura sua, cui datur quædam benedictio: Alia est bonitas quam dicit res qualibet inquantum est quædam pars vniuersi, quia vniuersum est maximum bonum creatum, quod continet quendam ordinem perfectissimum, vt dicit Philosophus 12. Metaphysic. in fine, quod entia no-*

sunt malè disponi.

Ratio autem huius rei est, quia nullum est Ens quod non habeat quidquid conueniens est suæ entitati, nimirum suos gradus entitatiuos, ex quibus constituitur in sua entitate, & qui conueniunt ei, vt talis entitas est: Ergo nullum est Ens quod non sit bonum.

Dices. Ergo omne Ens est bonum per essentiam, & non solùm Ens increatum, quia omne Ens eo ipso quòd est, bonum est; quod tamen non admittunt Theologi. Respondetur negando consequentiam; & ad rationem diceudo Deum non dici bonum per essentiam, quòd eo ipso, quia est, bonus sit: nam hoc omni Enti competit, etiam creato: Sed quia aliunde non mutuatur suam bonitatem, sed eam à seipso habet; vnde Deum esse bonum per essentiam, idem est quòd esse bonum per independentiam; vel ratione suæ essentiæ, quæ nec vt sit, nec vt bona sit, requirit aliquid aliud à se, à quo dependeat; quod cùm nulli enti creato conuenire possit, dicitur Marci 10. *Nemo bonus nisi solus Deus.*

Quomodo non omne ens est bonum per essentiã.

Dices rursus: Multa sunt Entia quæ nullam habent bonitatem, vt actus peccati & errores intellectus, & ea quæ carent perfectione sibi debita. Respondeo hęc omnia habere semper bonitatem entitatiuam, quatenùs sunt actus vitales intellectus, vel voluntatis; & ea quæ carent omnimoda perfectione sibi debitâ, modò sint entia, habent etiam bonitatem entitatiuam, sed carent solùm bonitate vel perfectione accidentali, vel alia, ad quam naturâ suâ inclinantur.

Quomodo errores & actus peccati sint boni.

Confirmatur: Quia cũ ex nostra hypothesi, ratio boni consistat in eo quòd res habeat quidquid sibi conuenit, quatenus Ens est v.g. Cùm substantia vel accidens dicantur bona, quatenùs habent id omne quod conuenit suis entitatibus; certè destructis ijs quæ sic illis conueniunt, sicut non remanent bona, sic nec remanent entia: Quò fit vt ratio boni soli enti conueniat. Hinc dixit D. Augustinus lib. 1. de Natura Boni. cap. 16. *Non ergo mala est, inquantùm natura est vlla natura; sed cuicumque non est malum, nisi minui bono: Quòd si in mundo absumeretur, sicut nullum bonum, ita nulla natura relinqueretur.* Et hac ratione docuit noster Alexander 1. p. qu. 18. membro 8. bonum creatum esse immutabiliter bonum, quia stante naturâ cuiusque rei, non potest corrumpi eius bonitas.

Non potest natura manente incorrupta, & non esse bona.

Proponi solent aliæ dubitationes, de materia prima, & de rebus mathematicis: sed parui sunt momenti apud nos: Nam quod spectat ad materiam primam, sicut nostra Schola tribuit illi propriam entitatem distinctam ab entitate formæ, ita tribuit illi propriam bonitatem distinctam à bonitate formæ. Quæ autem vel quid sit, ista bonitas declarat noster magnus Alexander 1. p. q. 18. membro 6. ad secundum. Sed præclariùs Diuus Augustinus libro de Natura boni cap. 18. *Neque enim vel illa materies, quam antiqui Hylen dixerunt*, inquit, *malum dicenda est. Non eam dico, quam Manichæus*

Quomodo materia prima sit bona.

Hylen

Hylen appellat dementissimâ vanitate, nesciens quid loquatur, formatricem corporum. Sed Hylen dico quandam penitus informem, & sine qualitate materiam, unde ista, quas sentimus, qualitates formantur, vt antiqui dixerunt. Hinc enim & silua Gracè dicitur hyle, quòd operantibus apta sit, non vt aliquid ipsa faciat, sed vnde aliquid fiat. Nec ista ergo Hyle malum dicenda est, quæ non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei priuationem cogitari vix potest. Habet enim & ipsa capacitatem formarum: Nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies vtique diceretur. Porrò si bonum aliquod est forma, vndè qui eâ prævalent, formosi appellantur, sicut à specie speciosi: Proculdubiò bonum aliquod est etiam capacitas formæ. Sicut quia bonum est sapientia, nemo dubitat quòd bonum sit, capacem esse sapientiæ. Et quia omne bonum à Deo neminem oportet dubitare, etiam istam, si qua est, materiam, non esse nisi à Deo.

His verbis ostendit quæ sit bonitas materiæ. Sed addit Alexander materiam esse bonum, quia est Ens, & quia habet modum, speciem, & ordinem suo modo. Licet enim sit ex se sine specie & forma extrinseca, habet tamen propriam speciem intrinsecam quæ consistit in eo quòd sit Ens capax formarũ. Capacitas enim materiæ est illi instar speciei, formæ, modi & ordinis.

Quomodo res mathematicæ sint bonæ. Quod spectat ad res Mathematicas de quibus loquitur Arist. lib. 3. Metaph. c. 2. non negat Philosophus eas esse bonas, sed dicit tantum eas nullam bonorum, malorumque curam habere: cuius rei ratio est, quia in immobilibus non est ratio finis & boni; idcircò in Mathematicis quæ abstrahunt à motu, nihil ostenditur per causam finalem; ideóque cùm in Mathematicis non habeatur ratio finis, nec habetur ratio boni.

Omne bonum est ens. Secundum autem sic probatur. Ratio boni consistit in eo quòd vnumquodque habeat id quod sibi conuenit, seu perfectiones sibi conuenientes, si dicamus bonum quod est passio entis, situm esse in ratione absoluta. Hoc autem intelligi non potest absque ratione entitatis; quia quod nihil est, non potest dici habere perfectiones sibi conuenientes; & magis adhuc hoc verum est, si dicamus bonum esse quod est conueniens alteri: Nam non potest dici nihil esse conueniens alteri: Ergo ratio boni soli enti conuenit.

Dices: Ex appetibilitate concluditur aliquid esse bonum: sed multis competit appetibilitas, quę non sunt entia: Ergo multis competit ratio boni, quæ non sunt entia: Ergo bonum non soli enti conuenit. Maior patet, quia appetibilitas est saltem proprietas boni: omnis autem natura concluditur à posteriori ex positione suæ proprietatis. Minor probatur. Multæ priuationes appetuntur, vt mors tum propria, tum aliorum, & quædam alia huiusmodi, quæ tamen omnia non sunt entia. Respondetur concessâ maiore, negando minorem, & ad probationem dicendo mortem & similia non appeti propter se, sed propter aliud, nimirum propter aliquod com- Quomodo mors & aliæ priuationes.

DDd

sint bonæ. modum quod habent sibi adiunctum. Adde quòd etiam multa appetuntur à nobis ex errore intellectus, quia scilicet apparent nobis bona, & tamen non sunt.

Secunda Conclusio.

Bonitas entitatiua est passio entis. BOnitas absoluta purè entitatiua est passio entis. probatur, quia vt dictum est in prænotato, omni & soli enti cõuenit, & formaliter ab eo distinguitur: quatenùs nimirum Ens dicit solùm id quod est, & ratio boni dicit idipsum quod est, habere quidquid sibi conuenit, & omne quod requiritur ad integrandam perfectionem & bonitatem suam entitatiuam: Ergo hac ratione poni potest propria passio entis. D. Thomas, noster Ricardus, & Gabriel Vasquez superiùs citati fauent huic sententiæ, imò & Durandus, qui statuens bonitatem vel in conuenientia intrinseca, vel in conuenientia extrinseca, vt vidimus; per conuenientiam intrinsecam, illud idem intelligit reipsâ quod illi qui dicunt bonum consistere in quadam ratione absoluta. Mens autem Doctoris nostri aperietur soluendo difficultates, quæ circa hanc conclusionem occurrunt.

Prima difficultas est de relationibus diuinis, quæ, hoc posito, erunt perfectæ formaliter, & bonæ; quia formaliter sunt entia, & non nihil; quod videtur aduersari doctrinæ Doctoris Subtilis in 1. dist. 8. quæst. 4. & qu. 5. quodlibeticâ.

Quomodo relationes, diuinæ bonæ sint. Respondetur relationes diuinas esse bonas & perfectas entitatiuè, non tamen quidditatiuè. Neque Scotus vnquam id negauit; imò expressè asseruit in 1. dist. 1. qu. 2. §. *Ad argumenta principalia*. Vbi soluendo argumentum istud: Nimirum quòd relationes diuinæ sunt bonæ & perfectæ; quia sunt entia: Ens enim & bonum conuertuntur ex Aristot. 1. Ethic. cap. 4. dicit negari non posse quin sint bonæ bonitate quæ conuertitur cum ente, & quæ reperitur in quolibet genere: Non autem bonitate habente rationem obiecti fruibilis. Et paulò infrà, distinguit duplicem perfectionem, vnam quidditatiuam, & aliam suppositi, & dicit ad rationem obiecti fruibilis non sufficere perfectionem suppositi, quia ipsa nec est formalis ratio agendi, nec est formalis ratio termini alicuius actionis. Vndè concludit: *Est igitur bonum non quomodocumque sumptum, sed bonum quidditatiuè sumptum terminus fruitionis, quia est perfectio quidditatiua, quæ scilicet est ratio essentialis, & non ratio suppositi:* Quibus verbis dicit Scotus in Deo esse tantùm vnam rationem fruibilis, & non tres, licet sint tres personæ, quia persona formaliter sumpta pro ratione suppositi, quod est formalis aliqua relatio, non habet bonitatem & perfectionẽ quidditatiuam, quæ tamen requiritur ad rationem formalem obiecti fruibilis; tametsi habeat bonitatem entitatiuam, & perfectionem suppositi. Affirmat ergo Scotus relationes diuinas esse bonas entitatiuè & perfectas perfectione sibi debitâ, quatenùs sunt entia.

Dices: Quare ergo negant

communiter Scotistæ relationes diuinas esse perfectas formaliter? Negant esse perfectas perfectione graduali, essentiali, quidditatiuâ, & eâ perfectione quæ est modus intrinsecus vniuscuiusque naturæ, secundùm quem dicitur illa natura esse in hoc, vel in illo gradu specifico & essentiali Entis, excedi vel excedere, mensurari vel mensurare: quia huiusmodi ratio perfectionis non conuenit eis, nisi identicè, ratione scilicet naturæ diuinæ cui identificantur. Ita Scotus qu. 5. quodlibeticâ per totam, sed præcipuè in fine.

Secunda difficultas est: an illud bonum dici debeat simpliciter appetibile? Ratio difficultatis est apud Doctorem Subtilem in 1. dist. 1. qu. 2. Ad argumenta principalia, vbi dicit bonum entitatiuum non sufficere ad rationem obiecti fruibilis; ex quo sequi videtur nec sufficere ad ratione appetibilis: quia licet non omne appetibile sit fruibile; tamen quâ ratione concludit relationes diuinas non esse bonas & perfectas, quantùm requiritur ad rationem formalem obiecti fruibilis, eâdem concludere videtur nec esse bonas & perfectas, quantùm opus est ad rationē formalem obiecti appetibilis. Ex alia parte verò, Bonum est quod omnia appetunt ex Arist. 1. Ethic. Quare dicunt Alexander & D. Thomas locis citatis, bonum addere supra ens, respectum ad affectionem, seu ad appetitum. Et cōmunis sententia est appetibilitatē esse saltem proprietatem boni, tametsi pauci concedant eam esse de essentia eius. Si esset quæstio de bono respectiuo, nulla esset hæc difficultas; quia cùm illud sit id quod est alteri conueniens: non potest id cui est conueniens, non habere inclinationem & appetitum ad ipsum. Sed difficultas non parua est de bono absolutè spectato, quomodo scilicet conueniat ei ratio appetibilitatis.

Vt autem soluatur, supponendum est non omne bonum appeti appetitu rationali; sed multa esse quæ vel appetitu sensitiuo, vel appetitu naturali appetuntur: Quo supposito nihil iam superest difficultatis ex Scoto, ex quo tantùm habetur relationes diuinas non esse appetibiles per se, appetitu rationali, scilicet, tanquam aliquid quod per se satiare possit ipsam voluntatem. Superest itaque dicamus bonum etiam absolutè sumptū, esse quod omnia appetunt; vel quia nullum est bonum in vniuerso, quod non possit alicui conuenire, proindeque appeti ab ipso, vel rationali, vel sensitiuo, vel naturali appetitu: quodque licet sit absolutum, & dicatur bonum in ordine ad se; non sit tamen capax habendi illam secundam bonitatem, quæ consistit in respectu conuenientiæ ad aliud. Vel si mauis, dicamus bonum absolutè spectatum, esse quod omnia appetunt: quia nimirum esse vniuscuiusque rei, ex quo bonum est, est ipsimet rei conueniens, ac proinde appetibile ab ea: vnumquodque enim appetit suum esse, & conseruationem eius. Et sic relationes diuinæ erunt etiam appetibiles ab essentia diuina, non appetitu

Bonū appetitur duplici appetitu.

Quomodo bonum entitatiuum sit appetibile.

voluntario seu libero, sed appetitu naturali; quia essentia diuina ex sua naturali fœcunditate postulat existere in tribus suppositis; quod cùm obtinere non possit absque relationibus notionalibus; fit vt appetitu naturali appetantur ab essentia diuina, tanquam rationes sine quibus non posset stare personarum Trinitas in ipsa.

Quomodo relationes diuinæ sint appetibiles.

Tertia Conclusio.

Bonum respectiuum quod consistit in conuenientia, quâ aliquid dicitur conueniens alteri, potest etiam poni propria passio entis. Veritas huius conclusionis satis patebit, si probauerimus nihil esse in toto hoc vniuerso, quod non sit conueniens alicui, siue illa conuenientia sit relatio, siue sit connotatio, quâ id quod bonum dicitur, vltra suam perfectionem, connotat inclinationem & appetitum alterius ad ipsum, vt satis probabiliter ponit Suarez. Hoc autem probari potest discurrendo per singula entia: Nam imprimis Deus est conueniens creaturis; non quòd sit earum formalis bonitas: Sicut enim creaturæ habent suum proprium esse, distinctum ab esse Dei, quo formaliter sunt, licet dependenter à Deo; Ita habent suam propriam bonitatem distinctam à bonitate Dei, etsi dependenter à Deo, quâ formaliter bonæ sunt: sed quia est earum causa efficiés, finalis, & exemplaris, à qua pendent, ad quam ordinantur, & quam imitantur: quod præclarè declarauit noster magnus Alexander 1. p. q. 18. membro 6. his verbis: *Causa prima, sicut dicit Philosophus, magis est essentialis causato quàm alia causa, quod tamen intelligendum est sic, non quòd causa prima sit de esse causatorum, sed quia causata nulla nisi ab ipsa sunt, nec nisi per ipsam sunt, & seruantur, nec nisi vt ad ipsam sunt, habent esse & bonitatem, sicut dicit Dionysius, Bonum est in quo omnia subsistunt, in quo omnia seruantur, & ad quod omnia ordinantur. Hinc est quòd vnumquodq; inquantùm est à bono, & in bono, & ad bonum, est: & hac est bonitas in creatura, esse à bono, in bono, & ad bonum.*

Bonũ respectiuum potest etiam poni proprietas Entis.

Præclara doctrina magni Alexãdri.

Dices ex hoc sequi Deum mutuari suam bonitatem à creaturis; quia non dicitur bonus nisi per respectum ad illas. Respondeo nullum inconueniens hinc sequi, si concedamus Deum mutuari illam bonitatem, quâ dicitur bonus creaturis, ab ipsis creaturis, quia huiusmodi bonitas supra bonitatem absolutam & intrinsecam diuinam, nihil addit nisi respectum rationis ad ipsasmet creaturas. Nihilominùs satiùs est dicamus modum illum loquendi, esse procul arcendum à Deo: & bonitatem quâ Deus dicitur bonus creaturis, nihil aliud esse quàm ipsammet perfectionẽ & bonitatem intrinsecam diuinam, quatenus connotat vel dependentiam, vel inclinationem, vel imitationem quę sunt in rebus creatis, ad eandem perfectionem & bonitatem diuinam.

Obiectio

Solutio

Deus non dicitur bonus dependenter à creaturis.

Denique tametsi nullę creaturę sint Deo conuenientes, saltem tanquam aliquid illi commodum, & vnde vtilitatem,

Quomodo quidquid est, sit

aliquo pacto, alteri conueniens.

delectationem, & honestatem aliquam intrinsecam emendicet; nihilominùs nulla est creatura quæ non sit alicui alteri bona & conueniens: Nec enim opus est vt quælibet cuilibet; sed sufficit si quælibet alicui sit conueniens: Sic v. g. substantia est conueniens accidenti, tanquam proprium fulcrum eius: vice versâ, accidens est conueniens substantiæ, tanquam ornamentum & venustas eius. Et ita discurrendo per singulas entitates, etiam vsque ad minimas, & eas quæ magis turpes & inutiles esse videntur, comperietur eas esse alicui alteri, aliquo modo, conuenientes, vt sunt etiam ipsæ proprietates & modi rerum. Et quamquam id omne quod est in mundo, non aliâ ratione bonum diceretur, nisi quia confert ad bonitatem & perfectionem vniuersi: hoc videtur sufficere vt bonum existimetur.

Et hæc dicta sint propter communem doctrinam, & propter authoritatem Doctoris Subtilis, qui q. 18. quodlibeticâ, statuit duplicem bonitatem superiùs assignatam, quanquam non resoluat an vtraque, vel alterutra, & quæ-nam, sit passio Entis. Nihilominùs probabilius est de mente eius, bonum transcendens consistere in quadam ratione absoluta, nimirum in ipsa perfectione intrinseca vniuscuiusque rei, vt patet ex his quæ habet in 1. dist. 3. q. 5. in 2. dist. 34. q. vnicâ, in 4. dist. 49. qu. 2. quanquam in primo agat præsertim de bono creato, quod negat consistere in respectu, non quidem conuenientiæ, sed respectu ad bonum increatum. Verum ista clariora fient ex dicendis, sequenti quæstione.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ratio Boni consistat in modo, specie, & ordine?



Sta questio mouetur propter singularem doctrinam quam tradit D. Augustinus libro de Natura Boni, cap. 4. quem sequitur noster Alexander 1. p. q. 18. membro 1. sicut & Alexandrum sequitur, paucis verbis immutatis, eximius eius discipulus D. Thomas 1. p. q. 5. art. 5. Sic enim loquitur D. Augustinus: *Nos Catholici Christiani Deum colimus, à quo omnia bona sunt, siue magna siue parua: à quo est omnis modus, siue magnus siue paruus: à quo omnis species, siue magna siue parua: à quo omnis ordo, siue magnus siue paruus. Omnia enim quantò magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tantò magis vtique bona sunt: Quantò autem minùs moderata, minùs speciosa, minùs ordinata sunt; minùs bona sunt. Hæc itaque tria, modus, species, & ordo, vt de innumerabilibus taceam, quæ ad ista tria pertinere monstrantur, tanquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis, siue in spiritu, siue in corpore. Hæc tria vbi magna sunt, magna bona sunt; vbi parua sunt, parua bona sunt; vbi nulla*

Ponitur eximia doctrina D. August.

sunt, nullum bonum est. Et rursus, vbi hæc tria magna sunt, magnæ naturæ sunt; vbi parua sunt, paruæ naturæ sunt; vbi nulla sunt, nulla natura est. Omnis ergo natura bona est.

Modus, species & ordo idem quòd mensura, numerus & pondus. Prænotandum autem primò pro solutione huius quæstionis, quòd quando D. Augustinus, Alexander, & D. Thomas locis citatis, & Scotus in 1. dist. 3. qu. 5. §. *Quantum ergo ad secundum*, dicunt modum, speciem, & ordinem competere omnibus rebus, intelligendi sunt de rebus creatis, vt expressè docent Alexander & Scotus. Modus enim, species, & ordo idem sunt quòd mensura, numerus, & pondus, in quibus Deus omnia disposuit, vt habetur Sap. 1. *Mensura enim omni rei modum præfigit: & numerus omni rei speciem præbet; & pondus omnem rem ad quietem & stabilitatem trahit*, ait idē D. August. 4. super Genesim ad lit. Nisi fortè dicamus cum Alexandro in fine illius membri primi, in hoc differre, quia mensura, numerus & pondus dicunt dispositionem ipsius rei, prout est in fieri, vt patet in cæmentarijs, qui cùm faciunt suum opus, mensurant, numerant & ponderant quotquot sunt necessaria ad faciēdum: Et quia Sapient. 1. sermo est de rebus secundùm suum fieri, vt colligitur ex hoc verbo, disposuisti; Ideò habetur ratio mensuræ, numeri & ponderis: Modus autem, species & ordo propriè dicunt dispositionem rei, vt iam facta est: vnde quia D. Augustinus loquitur de conditionibus rerum vt iam factæ sunt, habet rationem modi, speciei, & ordinis.

Reum aliæ creatæ, aliæ cōcreatæ. Prænotandum 2. ex eodem Alexandro ibidem, rerum alias esse creatas absolutè & per se; alias esse concreatas seu creatas in alijs, & virtute aliarum Creatæ absolutè sunt naturæ & species rerum; concreatæ sunt modi, proprietates, & rationes referendi earum.

Prænotandum 3. præsentem quæstionem non tam esse de bono entitatiuo & transcendentali, quod est propria passio Entis; quàm de bono essentiali, specifico, & graduali vniuscuiusque naturæ: De quo agimus; tùm quia iuuabit ad planiorem intelligentiam boni entitatiui; tùm ne peccemus, & legendo tùm Patrum, tùm Scholasticorum authoritates, intelligamus de quo bono locuti fuerint.

Prænotandum 4. esse controuersiam inter Scholasticos, an hæc tria, modus, species & ordo; vel vnitas, species, & ordo, de quibus loquitur Diuus August. 6. de Trinit. capit. 10. vel mensura, numerus & pondus, de quibus Sapient. 1. dicant aliquid respectiuum; vel aliquid absolutum? Alexander vult quòd dicant respectum; quia explicat illa tria in creatura, per esse à bono, in bono & ad bonum. Vult Doctor Subtilis in 1. distinct. 3. qu. 5. aliqua eorum saltem dicere quid absolutum.

Prima Conclusio.

Bonū quidditatiuum consistit in Ratio Boni essentialis & quidditatiui, quod est modus intrinsecus vniuscuiusque naturæ & speciei, consistit in

modo specie & ordine.

modo, specie, & ordine, seu in mensura, numero & pondere. Vltra authoritates Scripturæ, & Diui Augustini, ita declaratur his verbis eiusdem Diui Augustini 4. de Genesi ad literam: *Fateamur ergo dictum esse omnia in mensura, & numero, & pondere disposita; tanquam dictum esset ita disposita, vt haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cuiusque generis mutabilitate mutarentur augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, leuitate & grauitate.*

Iterum ita declarari potest, ex Doctore Subtili. Qualibet essentia & natura creata est circumscripta certis propriæ perfectionis limitibus, ita vt determinatos habeat gradus suæ entitatis. Insuper isti gradus sunt constantes & permanentes, ita vt nec minui, nec augeri possint. Tumdemum, qualibet natura constans huiusmodi certis, determinatis, & constantibus gradibus, non debuit remanere otiosa: quia omne esse est propter operari. Et hinc habetur modus, species & ordo, siue mensura, numerus, & pondus vniuscuiusque rei: Modus & mensura quidem, in eo quòd sit circumscripta certis limitibus suæ perfectionis, & determinatis gradibus suæ entitatis: Numerus & species, in eo quòd gradus illi sint constantes, & nec minui nec augeri possint; aliàs mutarentur rerum species: Quemadmodum enim ex 8. Metaphysic. vnitas addita numero, variat speciem numeri; ita gradus specificus & quidditatiuus additus alicui naturæ, variat omninò speciem eius: pondus denique & ordo, in eo quòd vnaquæque natura ordinata est ad aliquam operationem.

Alia expositio modi, speciei & ordinis ex D.Aug.

Prætermitti non debet quòd D. Augustinus 6. de Trinit. cap. 10. per speciem intelligit etiam varias qualitates tùm corporeas, tùm spiritales, quibus ornamur: *Et aliquâ specie formatur*, inquit, *sicut sunt figuræ & qualitates corporum, ac doctrina vel artes animarum.* Et subdit: *& ordinem aliquem petit aut tenet* (supple quidquid diuinâ arte factum est:) *sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atque mores aut delectationes animarum.* Vbi per ordinem intelligit propriam inclinationem vniuscuiusque rei ad id quod sibi magis naturale est, vt est propria operatio eius.

Obiectio ex Alexãdro & eius discipulo, D.Th.

Obijcit 1. Alexander, & post ipsum D. Thomas: Modus, species & ordo bona quædam sunt: Si ergo ratio boni consistit in modo, specie, & ordine; oportet quòd modus etiam habeat modum, speciem & ordinem; & similiter species & ordo; & ita procedetur in infinitum. Respondent modum, speciem, & ordinem esse bona aliorum, seu rationes quibus alia bona sunt: illa autem seipsis bona esse: & quidem hoc commune est omnibus iis quæ sunt rationes aliorum, vt nimirum sint tales seipsis, qualia sunt alia per ipsas.

Solutio

Modus, species & ordo reperiuntur in creatis per se, non

Addit Alexander modum speciem & ordinem reperiri duntaxat in iis quæ per se & absolutè creata sunt; non in iis quæ sunt concreata, seu in iis quæ non sunt tam entia, quàm modi entium. Vndè quemadmodum, v.

in concreatis. g. substantia subsistit quidem per subsistentiam: Ipsa tamen subsistentia non subsistit per aliam subsistentiam: Sic omnia absolutè creata, facta sunt in modo, specie & ordine; ipse tamen modus non est factus in modo: Sicut etiam, vt exemplo D. Augustini vtar, omnia corporalia facta sunt in colore: color tamen non est factus in colore.

Addit iterum Alexander dici posse, secundùm D. Augustinum, quòd cùm Deus disposuerit omnia in numero, pondere & mensura; numerum, pondus, & mensuram disposuisse in seipso, qui est numerus sine numero, pondus sine pondere, & mensura sine modo; & sic non procedetur in infinitum, sed stabitur in ipso Deo.

Obiectio 2. ex iisdem. Obijcit 2. Alexander, & post ipsum D. Thomas authoritatem D. Ambrosij lib. 1. Exameron, cap. 9. vbi dicit lucis naturam esse, vt non in numero, non in mensura, non in pondere, vt alia creatura, creata sit. Vnde sequitur non omnia esse creata in numero, pondere, & mensura. Respondent D. Ambrosium esse intelligendum de luce, secundùm virtutem & actiuitatem suam; non secundùm entitatem: quia secundùm entitatem est facta in numero, pondere & mensura, sicut & cætera: At secundùm actiuitatem, non habet modum nec mensuram, quia ad omnia corporalia se extendit, & in omnibus apparet virtus eius.

Solutio.

Quomodo lux sit facta sine modo.

Secunda Conclusio.

HÆc tria, modus, species, & ordo; seu mensura, numerus & pondus non possunt omnia dicere formaliter respectum; sed horum aliqua saltem dicunt quid absolutum. Est sententia Doctoris nostri in 1. distinct. 3. q. 5. §. *quantum ergo ad secundum articulum.* Ibi enim Scotus contendit rationem vestigij Sanctissimę Trinitatis, quod est in omni creatura, non consistere in solo respectu: atque consequenter cùm in mensura, numero & pondere, seu in modo, specie, & ordine, consistere possit istud vestigium, præsertim in mensura & modo, si non sub ratione similitudinis, saltem sub ratione proportionabilitatis, quatenùs nimirum limitatio producti repræsentat potentiam illimitatam producentis; hinc docet ista tria non dicere solùm respectum. Et postmodum §. *Ad rationes pro opinione,* respondet omnibus obiectionibus quæ videbantur ostendere ipsum esse creaturarum, & bonitatem earum esse formaliter respectum ad summum bonum. Et post multa, concludit quòd nec esse creaturarum, nec bonitas earum, quæ consistit in perfectione absoluta & intrinseca earumdem, dicit formaliter respectum ad creatorem; quamquam & entitas & bonitas cuiuscumque entis creati sit dependens à Deo creatore: *Licet enim*, inquit, *omne bonum creaturæ, sit bonum per participationem; non sequitur tamen quod huiusmodi participatio sit de essentia illius boni.* Itaque ratio boni

Vnumquodq; horum scilicet modus, species & ordo non dicit respectū.

boni creati; ac consequenter ratio modi, speciei & ordinis non consistit formaliter & pręcisè in eo quòd Ens creatum sit à bono, in bono, & ad bonum, vt vult noster Alexander.

Quomodo species seu numerus nō dicit respectum.

Et quidem imprimis hoc clarum est de specie seu numero, per quem intelligitur ipsa quidditas rei constans suis proprijs gradibus, quibus nec crementum nec decrementum competit; quæ licet sit dependens à Deo; dependētia tamē illa nō ingreditur definitionem seu speciem eius, tanquam gradus seu vnitas specifica illius; vt constat exemplo hominis, qui non definitur quidditatiuè per dependentiam, quam habet ad summum bonum, tametsi dependeat ab ipso.

An modus dicat respectū.

Res tamen non ita clara est de modo: Dicunt enim multi modum esse id per quod intelligitur commensuratio effectus in ordine ad causam, vt habeat eum scilicet modum & limitem, quem ei causa præfixit: Nihilominùs verius est modum dicere circumscriptionem & limitationem formalem vniuscuiusque rei intra proprios gradus; quæ limitatio licet sit à causa prima, non est tamen formaliter respectus ad causam primam.

Ordo seu pōdus dicit respectū.

Quod spectat ad ordinem, in sententia omnium, præterquam Gabrielis Vasquez 1. part. disput. 23. cap. 5. dicit respectum ipsius naturæ, vel ad suum finem, vel ad suā operationē, vel ad id quod sibi magis naturale est. Vult Alexander quòd dicat respectum ad suum finē. Vult Scotus ex D. August. quòd ad suam operationē. Vult D. Thom. quòd ad vtrūque; & vtrumque mihi probatur; quia vtrumque est bonum cuiusque naturæ: Itaque per ordinem significabitur perfectio accidentalis vniuscuiusque rei, & inclinatio naturalis ad suum bonum, quæ à Salomone appellatur pondus: quia vt corpora ponderibus; ita quælibet res innatâ propensione, in suum proprium bonum fertur. Cetera de Bono habentur in Moralibus.

QVÆSTIO III.

An detur malum aliquod transcendens, & in quo consistat eius ratio?



EX dictis de Bono, facile erit philosophari de Malo. Tamen ad vberiorem propositæ quęstionis intelligentiam; & ad remouendam omnem ambiguitatem & æquiuocationem,

Duplex malum naturæ & moris.

Pręnotandum 1. Multiplex esse Malum, nimirum naturæ & moris: Malum naturæ est vel ipsa totalis corruptio rei, vel saltem defectus aliquis eius, vel id quod est disconueniēs alteri, vt dicemus. Malum moris est carentia rectitudinis, quæ deberet inesse actionibus liberis humanæ vel angelicæ voluntatis: Ex quo malo, quatenùs scilicet omittitur, vel committitur contra legem Dei, sequitur aliud duplex, scilicet malum culpæ, & malum pœnæ. Malum culpæ est ipsamet caren-

Malum moris duplex scilicet culpæ & pœnæ.

tia rectitudinis, quatenùs est offensa Dei. Malum pœnæ est pœna illa, cui Deus propter malum culpæ, nos adiudicat, vt fiat satis iustitiæ eius. Occasione mali naturę, de quo solo nobis est hìc agendum; multi prolixas disputationes instituunt de malo moris, item de malo culpæ & pœnæ, quas ad Philosophos Morales, & ad Theologos, præsertim ad Doctorem Subtilem in 1. dist. 34. 35. 36. & 37. remittimus.

Malum naturæ multiplex. Prænotandum 2. Malum naturæ esse duplex, scilicet absolutum & respectiuum: Absolutum iterum duplex, scilicet simpliciter, & secundùm quid. His positis, sit

Prima Conclusio.

Quid sit malum naturæ. Datur malum aliquod naturæ transcendens & absolutum: Quod sic tamen non debet intelligi, quasi illud existat in rerum natura; quomodo solemus dicere dari Angelos, cœlos, aut elementa: Sed quia datur eo modo quo solemus dicere dari priuationes. *Mali enim natura nulla est; sed amissio boni, mali nomen accepit*, inquit D. August. 11. de Ciuit. c. 9. *Nec malum est existens, neque est aliquid; sed est perfectionis, bonique proprij & accommodati priuatio*, inquit D. Dionys. c. 4. de Diuinis Nominibus. *Nec aliquid aliud est malum, nisi boni priuatio sicut tenebra luminis*, inquit D. Damascenus lib. 4. de Fide, cap. 2. Dixi absolutum; quia malum respectiuum non consistit in sola priuatione, vel negatione, vt dicemus.

Nullũ datur primum aliquod principium malum. Hinc conuincitur error Manichæorum & Priscillianistarum, qui dicebant res aliquas esse malas ex se, & à quodã principio malo. Nam quidquid est & existit positiuè, est Ens; omne Ens autem est bonum: quò fit vt nihil positiuum quà tale, possit esse malum. Ergo nulla res ex se, mala est. Quòd verò nullum sit principium malum, à quo res vlla sit, pluribus in locis docet Diuus Augustinus contra Manichæos; & ita demonstrat Doctor Subtilis in 2. dist. 34. quæst. vnicâ. *Ad aliam quæstionem, inquit, quâ primò quærebatur de causâ peccati; dico quòd peccatum eo modo, quo potest habere causam, est à bono. Quod probatur, quia nullum est primum malum: alioquin illud careret in se summa perfectione nata sibi conuenire: Sed nulli nata est conuenire summa perfectio nisi summo bono in natura: Igitur summum malum esset summum bonum in natura, & ita Deus; quia nihil aliud à Deo, est summum bonum in natura. Et ad hanc hæresin, nimirum quâ dicitur esse aliquod summum malum, quod sit principium omnium malorum, sequuntur multa alia inconuenientia, non tantùm contra fidem, sed etiam contra Philosophiam; quia destruit seipsam, & includit contradictionem. Quia si ponatur summum malum primum ex æquo ad primum bonum; oportet quòd illud sit necesse esse, & omninò independens & impartitum; & tamen ista non conueniunt Enti nisi perfectissimo, quod repugnat.* Hæc Scotus.

Secunda Conclusio.

Quid sit ma- Malum naturæ seu transcendens absolutum, sim-

lum naturæ simpliciter & secundùm quid.

pliciter, est corruptio totalis vniuscuiusque rei: Secundùm quid autem, est corruptio vel priuatio alicuius perfectionis conuenientis & debitæ vnicuique rei. Ista conclusio desumitur omninò ex Diuo Augustino lib. de Natura Boni, cap. 4. 6. & 8. vbi dicit malum nihil aliud esse quàm corruptionem vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis: & malam naturam dici quæ corrupta est; nam incorrupta vtique bona est. Et quidem quod spectat ad priorem partem conclusionis, ita suadetur. Quamdiu vnumquodque est adhuc & existit; tamdiu bonum est. Ergo malum absolutum simpliciter non est, nisi vbi res est omninò corrupta. *Corruptio autem si omnem modum, omnem speciem, omnem ordinem rebus corruptibilibus auferat, nulla natura remanebit*, inquit D. August. Et inferiùs. *Quæ si omninò detrahantur & penitus consumantur, ideò nullum bonum erit, quia nulla natura remanebit.*

Secunda pars clara est. Quia malum secundùm quid in concreto, illud est quod caret aliquo sibi debito & cõuenienti; sic enim, v. g. malum equum dicimus, qui caret vel oculis, vel alia perfectione sibi conuenienti: Ergo ratio mali absoluti secundùm quid, consistit in priuatione alicuius conuenientis. Et de hoc malo intelligendi sunt Doctores, cùm dicunt illud habere subsistentiam in bono: quia priuatio vel carentia illa perfectionis debitæ, est in aliquo ente. Ergo in bono, quia omne Ens est bonum. *Quòd habet nonnullum modum, & speciem, & ordinem, in quacumque extremitate, adhuc aliquod bonum est*, inquit D. August. cap. 8. *Omnis natura quæ corrumpi potest, etiam ipsa aliquod bonum est: Non enim posset ei nocere corruptio, nisi adimendo & minuendo quod bonum est*, inquit idem cap. 6.

Obseruabis autem quòd hæc postrema acceptio mali est frequentior quàm prima: quia malum absolutum simpliciter nihil est: Nomine autem mali non solemus intelligere ipsum nihil simpliciter, sed priuationem, vel defectum, vel obliquitatem in aliquo subiecto: Ergo solemus intelligere malum secundùm quid, cùm de malo loquimur.

Quare malum non sit proprietas Entis.

Et ex hoc quidem intelligitur vlteriùs, quare malum absolutum non sit proprietas Entis. Quia imprimis malum absolutum simpliciter non potest esse proprietas Entis, cùm ipsum nihil sit omninò. Malum etiam secundùm quid non potest esse proprietas entis; tum quia multa sunt entia, quæ nulla carent perfectione sibi conuenienti & debita: Tùm quia ijs quæ carent perfectione sibi conuenienti, proprium non est carere: sed potius improprium & alienum ab eorum natura.

Tertia Conclusio.

Quid sit malum respectiuum.

Datur malum aliquod respectiuum; ipsumque consistit in disconuenientia, quâ aliquid est alteri disconueniens. Hæc conclusio patet ex eis quæ dicta sunt de Bono: & seruatâ proportione eodem modo explicari potest illud malum respectiuum, quo superiùs explicatum est bonum respectiuum,

Dico igitur quòd quia res omnes vniuersi habent & diuersas formas, & diuersas proprietates, & qualitates, & habitudines, & inclinationes; fit vt quæ conueniunt vni, non conueniant alteri, & quæ sunt conseruatiua vnius, sint alterius corruptiua & destructiua. Sic se habet calor v. g. respectu ignis, & respectu aquæ. Etenim igni conuenit, & aquæ non: Ideoque dicitur bonus igni, & malus aquę; quia nimirum aqua habet formam & qualitates habentes repugnantiam cum calore; quò fit vt ista malitia respectiua nihil aliud sit propriè, quàm perfectio tùm substantialis, tùm accidentalis vniuscuiusque rei, prout connotat repugnantiam, quam aliud habet ad ipsam. Dixi, substãtialis, (de accidentali enim res clara est) quia etiam vna substantia per seipsam immediatè potest esse disconueniens alteri; nos enim ponimus etiam substantiam immediatè agere, & non tantùm mediis accidentibus: quo posito fieri non potest vt substantia agens non sit disconueniens alicui, putà ei in quam agit, vt cùm generat v. gr. tunc enim etiam corrumpit aliud; sicque est disconueniens rei corruptę.

Hinc colligitur malum respectiuum non in priuatione præsertim, sed in re positiua, putà vel in substantia, vel in qualitate, vel in alio quopiam disconuenienti consistere: Quò fit vt rectè dixerint Patres bonum & malum opponi priuatiuè; quia de malo absoluto vel simplici, vel secundùm quid sunt intelligendi: Rectè etiam dixerit Philosophus bonum & malum opponi contrariè, quia de malo respectiuo est audiendus. Malum respectiuum non in sola priuatione consistit.

Rursus hinc colligitur nec istud malum respectiuum, esse passionem entis; quia non omni enti conuenit: Deus enim, v. g. ex se nulli rei est disconueniens: sed omne quod existit, pondere quodam naturæ fertur in ipsum tanquam in suum finem, præsertim creatura rationalis vt Angeli, & nos, qui dicere possumus & debemus: *Fecisti nos Domine ad te; & ideò inquietum est cor nostrum donec quiescat in te.* Et hæc de proprietatibus Entis simplicibus & incomplexis. Quare etiam malum respectiuum non sit proprietas Entis.

QVARTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE EODEM ET distincto.

PRÆFATIVNCVLA.



Iam aggredimur agere de proprietatibus Entis complexis vel disiunctis, inter quas prima occurrit idem & distinctum. Ratio autem huius ordinis potiùs voluntarius est, quàm ex rebus ipsis petitus. Et quamquam aliqui hanc proprietatem pertractent, vbi de vnitate disserunt: Tamen multis placet esse proprietatem Entis distinctam ab vnitate. Fauere videtur Aristoteles 5. Metaphysic. cap. 9. Vbi ex professo agit de eodem & diuerso; nomine diuersi, intelligens distinctum. Fauet etiam ratio; quia quicquid est & existit, est alteri idem vel distinctum ab eo.

Occasione autem huius proprietatis, disputabimus fusè de varijs identitatibus & distinctionibus rerum, præsertim de identitate & distinctione formali, propter quam solam, tot olim extiterunt Formalisantes in his Scholis, qui nouam quandam confingentes scientiam, & in ea omnes conditiones veræ & propriæ dictæ scientiæ reperire nitentes; inter pauca bona & vera quæ dixerunt; tot nodis, difficultatibus, & barbarismis Doctrinam Doctoris Subtilis implicuerunt, vt eam omninò ingratam, iniucundam & inaccessam reliquerint. Clarè & dilucidè quo ad fieri poterit, mentem eiusdem Doctoris his in rebus aperire contendemus, eò vel maximè quia huiusmodi distinctionum & identitatum cognitio ad omnem planè disputationem tùm Philosophiam, tùm Theologicam maximè necessaria est.

QVÆSTIO I.

Quot & quæ sint distinctionum & identitatum genera?



Varia sententia referuntur.

TOTA controuersia ferè cōsistit in verbis: Non erit tamen inutile eā aperire. Aliqui igitur contendunt non esse plures duabus distinctionibus, scilicet reali & rationis; distinctionem tamen rationis diuidunt in distinctionem rationis ratiocinatæ, & distinctionem rationis ratiocinantis; nomine distinctionis rationis ratiocinantis, intelligentes eam quæ fit in rebus, solo opere intellectus; & nomine distinctionis rationis ratiocinatæ eam quę habet fundamentum aliquod in re, cuius ratione vel occasione, intellectus aliqua distinguit, quam propterea vocant distinctionem rationis cum fundamento in re. Addunt alij distinctionem mediam, quam vocant ex natura rei; & eorum quidam existimant non ita propriè debere vocari formalem, quia nomen distinctionis formalis, inquiunt, est valdè æquiuocum, & conuenit etiam sæpè rebus realiter distinctis, putà si specie differant: quæ enim specie differunt, formaliter etiam differunt; Ideóque censent esse appellandam modalem, quia reperitur præsertim inter rem, & modum eius. Alij indifferenter appellant eam vel formalem, vel ex natura rei. Quod spectat ad mentem Doctoris Subtilis, certum est eum imprimis statuere aliquod genus distinctionis medium inter distinctionem realem, & distinctionem rationis; quo genere distinctionis distinguuntur ea quæ nec omninò separari possunt abinuicem, nec omninò etiam per intellectus operationem distinguuntur; sed quæ habent ex se distinctas rationes seu definitiones, qualia sunt subiectum & propria passio, animalitas & rationalitas, & vniuersim omnes gradus Metaphysici. Quo nomine autem vocari debeat ista distinctio, non adeò curat Doctor Subtilis; frequentiùs tamen eam appellat distinctionem ex natura rei, quatenus nimirum ea omnia quæ sic vel sic se habent ante actum intellectus, dicuntur talia ex natura rei. Vltra hæc, habet Scotus aliquod genus distinctionis negatiuum, quam vocat non identitatem formalem aliquorum. Quid autem sit, an scilicet distinctio formalis non mutua; an potius distinctio ex natura rei in reipsa, dicetur. Noster Ioannes de Bassolis meminit etiam alicuius distinctionis, quam vocat essentialem, & quam explicat Lichetus in 2. dist. 1. q. 4. §. *Ad quæstionem*: Non tamen ad mentem illius authoris, qui nomine distinctionis essentialis, nihil aliud intelligit quàm distinctionem realem maiorem. Statuunt nostri Scotistæ, præsertim ij quos vocant Formalizan-

tes, septem distinctionum genera, scilicet realem, rationis, formalem, ex natura rei, essentialem, se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè.

Et quia error eorum qui tot multiplicarunt distinctiones & identitates, si quis fuit, ex eo ortum habuit, quia non satis consideratum est quid esset discriminis inter differens & distinctum, & inter vnum, & idem. Ideo,

Quomodo differāt vnitas & identitas.

Prænotandum quòd quamuis ex Aristotele 5. Metaphysicor. cap. 9. Identitas sit vnitas quædam ipsius esse; nihilominùs in hoc vnitas & identitas differunt, quantùm ad præsens institutum attinet, quòd vnitas potest esse proprietas consequens naturam, vt est vna in multis, vel multa prout in aliqua natura vel conceptu conueniunt: Identitas autem non sic; quippe quæ nec respicit vnum in multis, nec multa in vno, sed vel duo prout sunt inter se indistincta; vel vnum & idem prout est à seipso indistinctum; quæ etiam vt sic vix concipi potest quin concipiatur esse respectus aliquis, saltem rationis. Similiter differens & distinctum in eo differunt, quòd differens dicatur tale, respectu alterius cum quo habet conuenientiam aliquam in aliquo aliunde; a quo tamen differt etiam per aliquid: distinctum verò abstrahat à conuenientia, & dicat solùm distinctionem sui ab eo à quo dicitur distinctum: Quod certè valdè notandum est; quia multi confundentes ista, grauiter errant in hac materia. Hoc posito, sit hęc

Conclusio.

Datur mediū aliquod genus distinctionis inter realem & rationis.

Vltra duo distinctionum genera, scilicet realis & rationis, est admittendum medium quoddam. Probabitur ex dicendis, sequentibus quæstionibus, simulque resoluetur quid dicendum sit de alijs distinctionum, & etiam identitatum generibus, & quomodo tùm in re ipsa, tùm in modo loquendi, hæc omnia sint vsurpanda iuxta mentem Doctoris Subtilis.

QVÆSTIO II.

Quid sit distinctio realis?



Distinctio realis multiplex.

PRÆNOTANDVM duobus modis nos Philosophari posse de distinctione reali; Primò nimirum vt ea dicatur distinctio realis, quæ est in rebus ante actum intellectus; & hoc sensu distinctio etiam formalis seu ex natura rei dici potest realis. Secundò, vt ea solùm dicatur distinctio realis, quæ propriè est inter rem & rem actu, & quæ potiùs respicit existentias, quàm essentias vel formales rationes rerum; & de hac postrema solùm procedit quæstio, vt potè quæ etiam sola distinctio realis nuncupari solet. Hoc posito, sit

Prima Conclusio.

Quid sit distinctio realis.

DIstinctio realis ea est, quâ distinguuntur illa, vel quorum vnum potest existere altero non existente; vel quæ existunt separata à se inuicem, tametsi neutrum possit existere absque alio; vel quæ sunt separabilia; vel quæ se habent ad modum separabilium; vel tandem quorum vnum verè & propriè est producens, & aliud productum. Quicquid aliàs ab alijs dicatur, vel dictum sit, hæc est mens Doctoris Subtilis. Et quidem quod spectat ad priorem partem conclusionis, videri potest id quod habet in 2. dist. 1. q. 4. vbi docet relationem esse distinctam realiter à fundamento, quia fundamentum potest existere sine relatione. Probat autem illud sufficere ad distinctionem realem, quia impossibile est vnum & idem realiter existere simul, & non existere; quò fit vt si fundamentum existat, non existente relatione, non sint idem realiter fundamentum & relatio. Et addit, si hoc negetur, non relinqui vnde possit distinctio entium probari. Ideóque cùm omnis contradictio sit fundamentum alicuius distinctionis; ipsa quæ sic cadit super existentias, est fundamētum distinctionis realis; quodquidem fundamentum negari non potest, nisi negetur primum principium. Confirmat autem suam sententiam ex Philosopho, qui probauit materiam esse aliam rem à forma, quia manet eadem sub oppositis formis; & locum esse aliud à locato, quia idem locus manet cum diuersis locatis.

Colligit Doctor Subtilis aliqua distingui realiter, ex eo quòd sint separata vel separabilia.

Hæc sunt verba Doctoris in 2. dist. 1. qu. 4. Contra istam opinionem arguo sic. Primò nihil est idem realiter, a, sine quo, a, potest esse realiter sine contradictione: Sed multæ sunt relationes, sine quibus fundamenta possunt esse sine contradictione. Ergo multæ sunt relationes, quæ non sunt realiter eædem cum fundamento. Probatur Major; quia quòd idem ens realiter, sit realiter, & non sit realiter, videtur esse oppositum primi principij, ex quo principio videtur statim concludi diuersitas entium; quia si de aliquibus duobus dicantur contradictoria, eodem modo quo dicuntur de eis, videntur esse non idem in esse, siue non idem Ens. Confirmatur istud: quia si illa Major negetur, non videtur relinqui, vnde possit distinctio entium probari. Diceretur enim à proteruo non tantùm quòd in vno supposito plures naturæ, vt substantia & accidentia sint eadem, sed quòd Sortes & Plato, vel Sortes & lapis, vel album, non differunt realiter. Et si arguatur contra eum, quòd Sortes potest esse Sortes, non existente lapide; & per hoc concludatur distinctio vnius ab alio: vel Sortes potest esse Sortes, & non esse albus; & per hoc concludatur distinctio subiecti & accidentis: negabitur consequentia; quia proteruus negabit tibi propositionem cui innitetis, & cui innituntur istæ consequentiæ; quam propositionem etiam tu negas. Hanc etiam propositionem: Illa sunt distincta realiter,

realiter, quorum vnum potest manere sine altero, negaret proteruus: negatâ verò istâ, perit tota doctrina Philosophi 7. Topic. quâ docet quòd propositio, vel problema faciliter destruitur per contradictionem inuentam, sed difficiliter construitur. Si autem negetur propositio ista, non videtur posse destrui; quia si non destruitur per contradictionem; nec per aliquam aliam oppositionem, aut saltem non faciliter: & facillimè videtur posse sustineri, quia nullus locus secundùm eum, vel ab eo, assignatus, videtur efficax ad destruendum aliquid, si iste locus destruatur. In ista etiam via Philosophi, fundatur illa de motu, siue mutatione, ad probandum distinctionem quâ vtitur Philosophus, ad probandam materiam esse aliam rem à forma, quia manet eadem sub oppositis formis; quâ etiam vtitur Philosophus 4. Physic. ad probandum locum esse aliud à locato, quia idem locus manet cum diuersis locatis.

Huic eidem sententiæ subscribit Durandus in 1. dist. 3. num. 14. Vbi dicit illa quæ sic se habent, quòd vnita possunt separari, sic quòd vnum remaneat in integritate naturæ suę, sine alio, differre realiter. Est autem Aristotelis 7. Topicorum, capite 1. loco 15. Vbi sic habet: *Amplius si potest alterum sine altero esse, non erit idem.* Cui fauere etiam videtur D. August. 6. de Trinitate, cap. 6. Vbi postquam dixit in vnoquoque corpore, aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura; talem probationem subiungit: *Potest enim & diminutâ magnitudine, manere idem color, & eadem figura; & mutato colore, manere eadem magnitudo, & eadem figura; & figurâ eâdem non manente, tammagnum esse, & eodem modo coloratum.*

Quod spectat ad secundam, tertiam, & quartam partem conclusionis, videri potest id quod habet idem Doctor Subtilis in 2. dist. 2. q. 2. Vbi dicit distinctionem aliquorum, quorum vnum propriè inest alteri, non concludi nisi vel ex separatione actuali, vel potentiali, vel nisi sint talia, quæ sic se habeant adinuicem, sicut aliqua alia, quorum vnum est separabile ab alio. Fauet ratio, quia omne quod est, est vnum; omne autem vnum, est indiuisibile, ac per consequens inseparabile à seipso; quò fit, vt si aliqua sint separata, vel separabilia; iam non vnum ens, sed duo distincta realiter censeantur. Et quidem iuxta hanc Doctrinam, causa & effectus, & correlata distinguntur realiter, tametsi non contingat vnum illorum existere sine altero, eo scilicet vel solo titulo, quia existunt separata ab inuicem.

Similiter iuxta hanc doctrinam, quæcunque sunt simul vnita, eo ipso quòd ab inuicē possunt separari, vt corpus humanum & anima rationalis existens in illo, distinguntur etiam realiter.

Restat quarta pars conclusionis, quæ nonnihil obscuritatis habere videtur; nihilominùs clara erit exemplo motus cœli, qui concluditur distingui realiter à cœlo, licet nondum ab eo separatus fuerit; quia cœlum & *Quæ se habent ad modum separabilium, distin-*

guũtur realiter. motus eius se habent ad inuicem sicut aliqua alia, quorum vnum est separabile ab alio. Quod addidit Scotus, quia secundùm Philosophum 7. Metaphysicorum, cap. de partibus definitionis, parabola Socratis minoris vel iunioris (Platonem intelligit) multos seduxit à veritate, dicentis, quòd si non est circulus nisi in ære, non propter hoc esset æs in definitione circuli: & à simili inferentis, quòd non oportet carnes esse in definitione hominis, licet homo non sit sine carnibus: Dato inquam, quòd esset incompossibilis separatio istorum ab inuicem; si tamen ista sic se habeant ad inuicem, sicut aliqua alia, quorum est possibilis separatio; concluditur ista esse distincta. Putà si ex ratione propria circuli & trianguli, carnis, & ligni, concluditur circulum sic se habere ad lignum, sicut triangulum ad carnem: & probatur separabilitas ex vna parte; concluditur distinctio ex alia: & dato quòd sit inseparabilitas ab vna parte, hoc non est ex propria ratione, sed ex aliquo extrinseco. Quibus verbis intendit Doctor Subtilis, quòd licet circulus esset inseparabilis à ligno, si tamen eodem modo circulus se habeat ad lignum, quo triangulus ad carnem; dato quòd triangulus distinguatur realiter à carne, circulus quoque distinguetur realiter à ligno, quãtumuis ponatur inseparabilis ab ipso: talis enim inseparabilitas non ex ipsa intrinseca natura rerum, sed aliunde prouenit.

Producens & Vltima pars conclusionis ponitur expresè propter distinctionem realem diuinarum personarum; nam nec vna potest existere alterâ non existente, nec sunt propriè separatæ, vel separabiles à se inuicem, propter vnitatem essentiæ: *Nec substantiam separantes*, inquit D. Athanasius in Symbolo: nec etiam se habent ad modum separabilium; vnde restat vt eâ ratione realiter distinguantur, quia vna est producens & altera producta, iuxta id quod habet D. Aug. primo de Tinitate cap. 1. *Qui autem putat eius esse potentiæ Deum*, inquit, *vt seipsum ipse genuerit, eò plus errat, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritalis nec corporalis creatura; nulla enim omninò res est, quæ seipsam gignat, vt sit.* Et hanc quidem notam realis distinctionis tradunt omnes nostri: Scotus in 1. dist. 2. q. 2. Lychetus in 2. dist. 1. q. 4. & omnes formalizantes; quibus subscribit Fonseca lib. 5. Metaphysic. cap. 6. q. 6. sect. 1. productum distinguũtur realiter.

Dicit Magister Formalitatum distinctionem realem esse illam, cuius extrema habent aliã & aliam realitatem formaliter positiuam actualis existentiæ, vel subsistentiæ. *Dicitur notanter*, inquit, *aliam & aliam realitatem, propter subiectum & propriam passionem, quæ non realiter distinguuntur, quia non habent nisi vnam realitatem existentiæ. Dicitur realiter positiuam, propter negationes & priuationes. Dicitur actualis existentiæ, propter quidditates diuersarum specierum: quia quidditas vt quidditas, non habet existentiam per se. Dicitur vel saltem subsistentiæ, quia in diuinis est tantum vna existentia, licet sint tres subsistentiæ.* Si

hoc probetur, non reclamo; tamen aliqua sunt hìc dubia: quia puto me alibi ostendisse ex mente Doctoris Subtilis, tres esse existentias relatiuas in diuinis: sed de hoc aliàs.

Addunt adhuc Formalizantes ea distingui realiter quæ sunt in diuersis subiectis: sed suppositis ijs quæ diximus, hoc est superfluum: quæ enim sunt in diuersis subiectis, sunt separata; ratione autem separationis, iam satis distinguntur realiter.

Obiectio. Obijci solùm potest contra hanc doctrinam id quod habet Doctor Subtilis in 3. distinct. 2. quæst. 2. & dist. 22. quęst. vnicâ, vbi docet totum esse aliam entitatem à partibus, non solùm separatis, sed etiam vnitis; constat autem, nec totum existere posse sine partibus simul iunctis, nec vice versâ, partes simul iunctas absque toto; constat etiam nec ista esse separata ab inuicē, nec separabilia, nec se habere ad modum separabilium, nec tandem vnum esse propriè producens, & aliud productum; ex quo concluditur deesse aliquam notam realis distinctionis, quam prętermisimus in conclusione.

Solutio. Falsum est de mente Scoti totum distingui realiter à partib⁹ simul iunctis. Respondetur nihilominùs nullam notam realis distinctionis à nobis prętermissam fuisse; atque consequenter falsum esse quòd in sententia Doctoris Subtilis, Totum distinguatur realiter à partibus simul iunctis. Cùm enim in 1. dist. 1. qu. 4. & in 2. dist. 1. qu. 5. & alibi passim doceat omne prius naturaliter, posse esse sine suo posteriori absque contradictione, si non sit ei idem: sequeretur partes vnitas posse esse sine Toto, quia sunt priores eo naturaliter: Ideoque etiam quia non possunt esse sine eo, fit vt sint ei idem realiter; quod expressiùs adhuc docuit 1. Physic. qu. 9. vbi disertè habet Totum & partes vnitas esse idem realiter. Decepti sunt autem ij omnes qui hactenus existimauerunt de mente Scoti, Totum essentiale distingui realiter à partibus vnitis, ex eo fortè, quia Scotus in 3. dist. 2. qu. 2. permixtim probat distinctionem Totius, tùm à partibus vnitis, tùm à partibus diuisis: Nam tertia ratio procedit de toto & partibus diuisis; in qua tamen sola disertè dicit totum & partes non esse idem realiter. Audiatur: *Tertiò*, inquit, *potest argui à simili de corruptione secundùm argumentum Philosophi 7. Metaphysic. in fine; quia manent a, & b, & non manet, ab. & idem realiter non potest manere, & non manere: Ergo, ab, est aliud realiter ab a & b. Igitur cùm sic in omnibus compositis per se rationi partium non repugnet, vt illæ maneant, & Totum non maneat; aliqua erit entitas propria ipsius totius alia ab entitatibus partium.* Patet quòd ista ratio procedit de Toto, & de partibus diuisis, quæ distingui realiter nemo negat. Aliæ rationes probant quidem Totum esse aliam entitatem à partibus vnitis: Sed non inde concluditur Totum distingui realiter à partibus vnitis: Familiaris enim est nostro Scoto vsus alietatis entitatum, vbi de distinctione formali vel ex natura rei loquitur. Itaque censeo de mente Scoti, Totum essentiale esse quidem aliam en-

titatem à partibus vnitis; non tamen propterea propriè distingui realiter à partibus vnitis, saltem distinctione illâ reali, quam explicat & approbat Scotus: Sed distingui solùm formaliter vel ex natura rei; non quidem formaliter conceptibiliter seu metaphysicè, quo genere distinctionis distinguuntur gradus metaphysici; sed formaliter entitatiuè seu physicè; quo modo distinguuntur gradus physici inseparabiles. Et hoc quidem videtur satis expressisse idem Doctor in 3. dist. 22. qu. vnicâ, his verbis: *Modò ad propositum contra Magistrum dico, quòd Christus in triduo non fuit homo, quia licet habuit partes naturæ vnitas sibi, non tamen habuit naturam humanam sibi vnitam; natura enim humana non est partes, nec partes vnitæ, vt probaui distinct. 2. huius. Vnde humanitas non dicit solùm respectum vnionis partium, vltra partes: non enim illud quo homo formaliter est homo, est relatio: est autem homo formaliter homo humanitate. Dico igitur quòd homo habet vnitatem quandam & entitatem aliam ab istis partibus etiam vnitis, non tamen partialem entitatem, quæ cum istis faciat compositum: tunc enim procederetur in infinitum. Et illud totum siue forma totius, non fuit vnita Verbo in triduo; ideò tunc verbum non fuit homo: & quamuis illud totum non sit sine vnione partium, tamen vnio illa vel relatio non est formalis ratio illius totius.*

Quibus verbis intendit solùm inter partes vnitas & totum, non esse identitatem formalem: Nam quid aliud indicant ista: *Non enim illud quo homo formaliter est homo, est relatio?* Et ista: *Vnio illa vel relatio non est formalis ratio illius totius?* Itaque si hæc verba, & hactenus à nobis dicta cum his quæ tradidit Doctor Subtilis de distinctione reali sapiens lector conferat, videbit an rectè nec ne iuxta mentem illius, philosophati fuerimus de distinctione Totius à partibus vnitis.

Secunda Conclusio.

IDentitas realis aliquorum non rectè infertur, ex eo quòd vnum non possit existere sine altero, sed vel ex eo quòd non sint separata, vel quòd sint inseparabilia, vel quòd se habeant ad modum inseparabilium. Hæc patent ex dictis præcedenti conclusione; ampliùs tamen declarantur: Et quidem quod spectat ad primam partem, plerumque ex eo quod vnum non possit existere sine altero, arguitur tantùm vel posterioritas naturaliter, vel simultas in existendo, vel dependentia essentialis eius ad alterum: Sed hæc omnia stant cum distinctione reali: Ergo ex eo quòd vnum non possit existere sine altero, non rectè infertur identitas realis ipsorum. Maior probatur; quia cùm dicitur vnum non posse existere sine altero, significamus duo existentia; ac proindè duas res, quæ tamen non aliâ ratione sic se habent, vt vna non possit existere absque alia, nisi vel quia vna est posterior naturaliter altera, quam proindè necessariò prærequirit ad sui existentiam; vel quia sunt simul naturâ & correlata; vel quia vna dependet essentialiter ab alia, vt creatura à Deo. Minor pa-

Quomodo inferatur identitas realis aliquorum ad inuicē.

tet. Hæc enim omnia distinguuntur realiter.

Hinc fateor me numquam intelligere potuisse illam propositionem Licheti, in 2. dist. 1. qu. 4. & nostrorum Formalizantium: *Illa sunt idem realiter, quæ sic se habent, quòd est impossibile vnum existere sine altero, & hoc ex natura intrinseca extremorum, vel alterius extremi*. Nec enim etiam ex illa modificatione, sequitur quòd talia extrema, talem existentiam includant vnicam & realem, vt dicit Lichetus: Nam ex Doctore Subtili in 2. distinct. 1. quæst. 5. §. *Ad quæstionem istam igitur*, & ex rei veritate, lapis non potest esse sine dependentia ad Deum, ac per consequens sine Deo, & hoc ex ratione intrinseca lapidis, ex eo nimirum quia lapis naturâ suâ est Ens creatum, finitum, & dependens; neque tamen propterea lapis & Deus sunt idem realiter; quare etiam nullibi Scotus intulit realem identitatem aliquorum, ex eo simpliciter quòd vnum non possit existere sine altero; sed addidit semper, si illa sic se habeant, quòd vnum propriè insit alteri: Quod quidē cum illa modificatione verum est; quia si vnum propriè insit alteri, & sine eo non possit existere, signum est illa esse inseparabilia; ex inseparabilitate autem, optimè infertur identitas realis: Vnde etiam dicunt Formalizantes illa esse idem realiter, quæ sic se habent, quòd vnum non potest esse sine alio, seu vnum est impossibile separari ab alio, absque contradictione.

Ex eo quòd vnum nō possit existere absque altero, non rectè cōcluditur identitas realis.

Quod spectat ad aliam partem, dico quòd quæ nec sunt separata, nec separabilia, nec se habent ad modum separabilium, habere debent vnam existentiam, ac per consequens debent esse vna res, & non plures à se mutuò distinctę. Et iuxta hoc, mihi valdè probatur, quod habet idem Lichetus ibidem: *Identitas realis*, inquit, *formaliter sumpta propriè fundatur super identitatem existentiæ, sic intelligendo quòd existentia quæ est immediatum fundamentum realis identitatis, sit talis existentia, quòd non dicit plures existentias, quarum vna possit intelligi esse sine alia*: *Et hoc dico: quia in eadem existentia reali, super qua fundatur identitas realis, possunt intelligi plures existentiæ ex natura rei distincta, qua fundantur super distinctis realitatibus ex natura rei inclusis in essentia cuius est existentia, super qua immediatè fundatur identitas realis; & similiter possunt esse plures existentiæ formaliter distinctæ, secundùm formalitates inclusas in essentia, ad quam vt gradus intrinsecus immediatè consequitur existentia, quæ est immediatum fundamentum identitatis realis.*

Obseruandum tamen quòd inseparabilitas, ex qua concluditur identitas realis, debet prouenire ab aliquo intrinseco, & non ab extrinseco. Nam, v. g. Motus cœli est inseparabilis à cœlo, neque tamen cœlum & motus eius sunt idem realiter, quia inseparabilitas illa est ab extrinseco mouente, & non ab ipso cœlo, quod ex se est indifferens ad motum, & ad quietem.

Inseparabilitas ex qua cōcluditur identitas realis, debet esse ab intrinseco.

Obijcies tamen contra priorem partem conclusionis: Ex eo quòd vnum possit existere sine

Obiectio.

alio, infertur distinctio realis: Ergo ex eo quòd vnum non possit existere sine alio, inferri debet identitas realis. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; quia plura desiderantur ad identitatem, quàm ad distinctionem aliquorum: Adde quòd vnum posse existere sine altero, non est adæquata ratio distinctionis realis. Hoc exemplo ita declaratur. Quicquid habet quatuor pedes, currere potest: Ergo quicquid non habet quatuor pedes, currere non potest. Non sequitur; tùm quia habere quatuor pedes, non est adæquata potentia currendi; tùm quia plura desiderantur ad non posse currere, quàm ad posse currere; quia ad posse currere, sufficit habere duos vel quatuor pedes; ad non posse currere antem, oportet omninò carere pedibus. A simili, ad hoc vt aliqua distinguantur realiter, sufficit vna ex conditionibus allatis priori conclusione distributiuè vel subiunctiuè; ad hoc autem vt sint eadem realiter, requiritur collectiuus concursus negationis earumdem conditionum.

Solutio.

Plura desiderantur ad identitatem, quàm ad distinctionem aliquorũ.

Porrò vt in hac re clarè mentem nostri Doctoris aperiam; optimam notam identitatis realis insinuauit in 2. dist. 2. quæst. 5. §. *Ad quæstionem istam*, vbi dixit quòd quoties vnum inest propriè alteri, si ipsum alterum cui inest non possit esse sine eo quod inest, signum est illa esse eadẽ realiter; quia ista impossibilitas essendi sine eo, non potest prouenire nisi vel ex dependentia essentiali vnius ad alterum; vel ex prioritate naturali; vel ex simultate in existendo: At ponendo ipsum cui aliud inest, non posse esse sine eo quod inest, non ponitur impossibilitas essendi sine eo, ratione dependentiæ, vel ratione prioritatis, aut simultatis naturalis in existendo; quia quod inest, potiùs dependet, & est posterius eo cui inest, non autem ipsum cui istud aliud inest: Ergo si ipsum cui aliud inest, non possit esse absque eo quod inest; signum est ipsum esse ei idem realiter.

Ponitur optima notaidẽtitatis realis ex Scoto.

Ex his omnibus dictis, facile erit colligere cum qua distinctione, sit compossibilis identitas realis. Est enim compossibilis cum distinctione rationis, & cum distinctione formali; quia quæ non sunt separata, nec separabilia, nec se habent ad modum separabilium, possunt separari per intellectum, & possunt suis propriis rationibus distingui, vt patet de subiecto, & sua propria passione.

Cum qua distinctione sit cõpossibilis identitas realis.

Tertia Conclusio.

DVplex assignari potest distinctio realis, scilicet mutua & non mutua: & vtraque iterum triplex, scilicet actualis, potentialis, & virtualis. Declaratur. Distinctio realis non mutua est ea quâ distinguuntur aliqua sic, quòd vnum potest existere sine altero, non tamen ipsum alterum sine primo: Sic distinguuntur res & aliqui modus eius. Mutua est ea, quâ distinguuntur ea quæ possunt esse mutuò sine seinuicem. Actualis ea est, quâ distinguuntur actu separata. Potentialis, quâ distin-

Quotuplex sit distinctio realis. Nõ mutua, mutua eaq; actualis, potentialis, virtualis.

guntur separabilia. Virtualis, quâ distinguuntur ea quæ se habent ad modum separabilium. Horum omnium exempla facilè possunt haberi ex dictis.

QVÆSTIO III.

Quid sit distinctio rationis?

Duplex distinctio rationis.



RÆNOTANDVM, 1. ex Doctore Subtili in 1. dist. 2. q. 7. §. *Sed hic restat*, duplicem esse distinctionem rationis, nimirum rationis sumptæ pro quidditate, secundùm quod quidditas est obiectum intellectus; secundò rationis sumptæ pro ratione formata ab intellectu. Priori modo, distinctio rationis est eadem ac distinctio formalis, seu ex natura rei, de qua agemus sequenti quęstione. Posteriori modo, distinctio rationis ea est, de qua procedit præsens quæstio.

Iterum alio modo duplex. Prænotandum 2. vulgatam esse diuisionem distinctionis rationis, in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, vel, vt loquuntur nostri, rationis ratiocinabilis: Sed de priori tantùm sumus hìc dicturi, & sequenti quæstione resoluemus quid sit illa distinctio rationis ratiocinatæ.

Differunt vnum, & idem; Prænotandum 3. vel potiùs repetendum ex prænotato primę quæstionis, differre vnum, & idem, nec non differens, & distinctum, vt intelligatur nos hìc non quærere vnitatem seu conuenientiam rationis, loco identitatis, & nos nolle recurrere ad illas tenebras formalizantium, vbi dicitur communiter decem summa Genera, quinque Vniuersalia, & Deum & creaturam esse eadem, ratione; quatenus conueniunt in ratione vniuersalis, vel in alia ratione formata ab intellectu, putà in ratione subiecti, vel prædicati. In his enim propositionibus, inquiunt, *Deus est bonus. Creatura est Ens*, Deus & creatura sunt subiectum, & eo titulo dicuntur esse idem ratione, quia conueniunt in illa ratione subiecti, formata ab intellectu. Hæc, inquam, non placent, sicut nec videntur ad propositum, ea omnia quæ ad istam identitatem vel distinctionem rationis referunt de relationibus rationis; quia licet correlata rationis, sint distincta ratione; aliud est tamen loqui de distinctis ratione, & aliud de relationibus rationis. Ne igitur hæc omnia confundamus, sed vt omnia suis locis tractemus, quærimus hìc solùm quid sit & in quo consistat distinctio, atque consequenter identitas rationis? His positis, sit

Item differens, & distinctum.

Prima Conclusio.

DIstinctio rationis ea est, quâ distinguntur aliqua solùm per actum intellectus, siuè ille actus sit rectus, siue collatiuus. Explicatur, simulque probatur. Multa sunt quæ nec realiter, nec vllo modo ex natura rei distin-

Explicatur distinctio rationis.

guntur: Intellectus tamen quâ pollet virtute, potest inter illa statuere discrimen aliquod, & quidem actu recto, vt distinguendo v. g. humanitatem ab homine, & vniuersim abstracta omnia à concretis; vel actu comparatiuo, vt comparando v. g. hominem ad seipsum, & formando propositionem identicam, in qua idem homo sit prædicatum & subiectum; tunc enim vt subiectum, distinguetur à seipso, vt est prædicatum. Et non solùm istud; verùm etiam quoties intellectus format aliquod, vel aliqua entia rationis, toties inter ipsum Ens rationis, & Ens reale in quo formatur, ac etiam inter duo, vel plura Entia rationis, intercedit distinctio rationis. Sic v. g. inter animal & genus, & inter genus & speciem est distinctio rationis.

Quid sit distinctio rationis grãmaticalis.

Rursus est aliqua distinctio rationis grammaticalis, vt inter vnam & eandem rem diuersis tantùm vocibus grammaticalibus, putà homo & hominis significatam: & hæc quidem non obscurè habentur apud Doctorem Subtilem in 1. dist. 2. q. 4. §. *Sed restat vlterior difficultas.* Ex quibus constat distinctionem rationis eam esse, quâ distinguntur aliqua solâ operatione intellectus, vel rectâ, vel comparatiuâ.

Obiectio. Solutio

Obijcitur contra istam distinctionem rationis: Omnis distinctio quæ non sumit robur à re, est vana: distinctio rationis est huiusmodi. Ergo. Respondeo negando maiorem: Nam confert etiam ad exactam rerum cognitionem, vt nos sciamus quæ ex natura rei distincta sunt, & quę tantùm beneficio intellectus, qui nec etiam inutiliter aliqua re indistincta distinguit, non affirmando quidem esse distincta distinctione oppositâ eorum indistinctioni; tunc enim erraret: sed stante eorum reali indistinctione, solâ suâ actione & negotiatione quasi separando illa, vt faciliùs in suis operationibus incedat: Nam v. g. intellectus in hac secunda operatione sua, Homo est homo, cæcutiret, ni hominem quasi separaret à seipso, cùm eum nunc subiectum, nunc prædicatum efficit.

Adquid valeat distinctio rationis.

Secunda Conclusio.

IDentitas rationis est quâ aliqua sunt idem omninò, vel aliquid est idem sibi ipsi etiam in ordine ad intellectum concipientem. Conclusio ista patet ex præcedenti, & ampliùs declaratur: Multa sunt quæ intellectus semper eodem modo format & concipit, vt est ratio generis, v. g. quatenus eam format & concipit in ordine ad suas species, non mutando illum respectum omninò: In istis autem clarum est esse identitatem rationis. Igitur identitas rationis est quâ aliqua sunt idem, vel aliquid est idem sibi, etiam per actionem intellectus formantis eûdem conceptum omninò de illis vel de illo.

Quid sit identitas rationis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

An sit admittenda aliqua distinctio media inter realem & rationis, & quæ, & quid sit?



Æc quæstio est valdè celebris in Schola Doctoris Subtilis, & vna ex maximè controuersis inter nos, & Diui Thomæ discipulos. Negant enim Thomistæ dari mediam illam distinctionem: nos verò dari contendimus. Sed quia dicitur communiter Doctorem Subtilem non satis apertuisse mentem suam super hac re, & verba eius vt potè obscura & ambigua tùm peperisse contentionem inter discipulos eius, tùm reliquisse locum dubitandi quænam mens eius fuerit. Idèo

Proponitur mens Doctoris Subtilis.

Prænotandum 1. Doctorem Subtilem potissimùm ostendere voluisse dari distinctionem aliquam in rebus, quæ nec esset omninò efficta per intellectum, nec esset etiam realis, qualis est ea quæ reperitur inter duas res habentes distinctas existentias, & separatim vel separabiliter existentes, vt videri potest apud ipsum in 1. dist. 8. q. 4. & dist. 13. q. vnicâ. An autem esset appellanda ista distinctio vel rationis, vel virtualis, vel formalis, vel ex natura rei, vel non identitas, declarauit, iuxta conditionem & exigentiam rerum in quibus reperitur, hoc vel illo nomine esse appellandam.

Declarantur varij gradus metaphysici in eadem natura.

Prænotandum 2. in vna & eadem re, reperiri multas formalitates, seu multas rationes conceptibiles & definibiles, vt in homine v. g. rationem substantiæ, animalis, rationalis, risibilis, & alias; quæ rationes non sunt tantùm plures & distinctæ propter pluralitatem & distinctionem conceptuum formalium mentis; cùm potiùs plures sint conceptus intellectus, quia plures sunt huiusmodi rationes conceptibiles; quia intellectus per actionem suam, non format istas rationes in homine; sed illas iam formatas reperit; & illas solùm intelligit varijs & distinctis conceptibus. Nec dici debet illas rationes esse inadæquatas tantùm apud intellectum nostrum, hominem imperfectè & inadæquatè concipientem: quem si actu adæquato intelligeret, in illo apprehenderet vnicam duntaxat rationem correspondentem ei adæquatè: istud inquam dici non debet; quia cùm homo non sit simplex aliqua à parte rei entitas; quantumcumque adæquatè concipiatur, concipi non potest nisi sub varijs & distinctis rationibus inadæquatis, adæquatis tamen in ordine suo, constituentibus illam adæquatam entitatem eius. Declaratur in hunc modum: Rationale & risibile v. g. ante quamcumque operationem intellectus, sunt variæ & distinctæ rationes conceptibiles & definibiles, seu distincti conceptus obiectiui à parte rei: quia à

parte rei, rationale est principium ratiocinationis, & risibile principium risus. Nec dici debet vnam & eandem entitatem esse horum duorum effectuum productiuam: Nam licet hoc verum sit realiter, verum tamen non est formaliter: quia vnum & idem formale principium eliciriuum proximum alicuius actionis, manens omninò idem formaliter ex natura rei, natum est semper elicere idem: Ergo à parte rei non potest vnicum principium formale proximum esse eliciriuum actus ratiocinandi simul, & actus ridendi. His positis, sit

Prima Conclusio.

Datur aliqua media distinctio inter distinctioné realem, & rationis. Probatur simul. partis authoritatibus Philosophi.

ADmittenda est in rebus distinctio media inter distinctionem realem, & distinctionem rationis. Habet iam ista conclusio claritatem aliquam ex praenotatis; & ampliùs probatur, imprimis ex Philosopho, qui absque dubio hanc distinctionem agnouit 7. Metaphysic. text. 33. vbi dicit: *Sicut se habet tota definitio ad totum definitum; Ita partes definitionis ad partes definiti:* Definitum autem non potest concipi habere partes, nisi admittatur ista distinctio media, per quam plurificentur & distinguantur istae partes; putà genus & differentia. Praetereà 3. Metaphysic. text. 10. vbi dicit genus esse extra rationem differentiarum, quas neque ipsum participat, nec ab eis participatur: ex quo sequitur differentias esse distinctas istâ distinctione mediâ à genere; si enim à parte rei essent idem, certè differentiae participarét ipsum. Item 1. & 4. Physic. & 1. de Generatione, & in Praedicamentis capite de Qualitate, & 4. Metaphysic. cap. 2. & 4. Topicorum cap. 1. & multis alijs in locis, quibus loquens de quibusdam quae non sunt distincta, vt res & res, sicut sunt v. g. Ens & vnum, calor vt est dispositio, & vt est patibilis qualitas, virtus & iustitia, & alia; dicit illa esse distincta ratione, scilicet quidditatiuâ, vel aliâ distinctione, quam satis significat nec esse realem, nec rationis simpliciter. Multi graues Philosophi existimant etiam admittendam esse istam distinctionem ex mente D. Thomae, opusculo de principiis indiuiduationis cap. 2. & alibi passim: Sed quidquid sit de mente eius, videntur sanè omnes Theologi eam supponere, cùm dicunt quòd si Deus constaret genere & differentiâ, non esset simplex; sed constaret pluribus partibus: Si enim genus & differentia in rebus creatis non essent distincta ex natura rei; falsum esset hoc: Si autem ponantur distingui; clarum est quòd non aliâ distinctione, quàm istâ mediâ distinguuntur; quia non realiter distinguuntur, vt patet. Ergo iam inter genus & differentiam est admittenda illa distinctio.

Et certè noster Magnus Alexāder 1. p. qu. 13. membro 2. agnouit etiam istā distinctionem inter Ens & vnum, & alias proprietates Entis.

Quare admittatur à Scoto

Admittitur autem praecipuè à Scoto, propter compositionem metaphysicam, propter gradus metaphysicos, propter sub-

distinctio formalis. iectum & propriam passionem, & alias similes realitates non habentes distinctas realiter existentias, & inseparabiliter existentes.

Obiectio. Multa proponuntur argumenta aduersus hanc distinctionem; sed istud est principium; Omne Ens est reale, vel rationis: Ergo omnis distinctio est realis, vel rationis : quia proprietas omnis sequitur conditionem sui subiecti. Ergo non est admittenda distinctio media inter distinctionem realem, & distinctionem rationis.

Solutio. Quomodo omnis distinctio sit realis, vel rationis. Respondeo distinguendo antecedens; nimirum omne Ens esse reale, id est pręter opus intellectus; vel rationis, id est, per opus intellectus. Et hoc sensu, concedo consequentiam, nimirum omnem distinctionem esse realem, id est pręter opus intellectus, vel rationis, id est, per opus intellectus : Sed inde non sequitur non dari mediam hanc distinctionem inter distinctionem realem , & distinctionem rationis: Quia licet hęc distinctio media, sit realis, modo nunc explicato , quatenùs scilicet est pręter opus intellectus ; non est tamen realis eo modo, quo illa quæ est inter rem & rem; quia non est tam inter rem & rem, quàm inter realitatem & realitatem , seu inter varias formalitates , & conceptus obiectiuos. Itaque iuxta hanc doctrinam, omnis distinctio est realis, vel rationis; quia omnis distinctio est, vel pręter opus intellectus , vel per opus intellectus: Duplex tamen est distinctio pręter opus intellectus, scilicet inter rem & rem, & inter varias rationes, vel definitiones, vel quidditates. Aut si mauis: Omnis distinctio est realis, vel rationis, sumendo rationem vel pro quidditate , vel pro consideratione intellectus, vt docet Fonseca 5. Metaphysic. cap. 6. q. 7. sect. 3.

Ista doctrina non placet Gabrieli Vasquez 1. part. disput. 116. cap. 5. num 25. Sed nihil habet, quo illam impugnet.

Non placet etiam Suario tom. 1. Metaphysic. disput. 7. sect. 1. num. 16. & 20. & lib. 1. de Essentia Dei cap. 10. num. 4. Huius ratio est , quia quæcumque sunt distincta à parte rei, comparantur adinuicem vel tanquam res & res , vel tanquam res & modus eius: Existimat enim cætera omnia solâ ratione distingui. Sed hæc ratio nulla est; quia dantur aliqua quæ actu distinguuntur, quæ tamen non comparantur adinuicem tanquam res & res, vel tanquam res & modus rei : sed tanquam duæ formalitates, vt iam sępè dictum est. Confutatur Suarez.

Secunda Conclusio.

Admissâ vnitate huius mediæ distinctionis; non erit inutile decernere quonam magis apto nomine possit exprimi. Imprimis itaque habemus ex Doctore Subtili in 1. dist. 2. qu. 1. §. *Sed restat hic vlterior difficultas*, vocari posse distinctionem rationis, non quidem rationis formatę ab intellectu , sed rationis sumptæ pro quidditate rei. Et hoc quidem congruit modo loquendi Philosophi, quia ea quę distinguuntur hac mediâ distinctione, vocat distincta ratione, Quomodo sit appellāda nostra distinctio media. Quâ ratione vocari possit distinctio rationis.

vt 1. Physic. cap. 2. text. 21. vbi expressè docet album & musicum, & alia similia concreta, quæ significant accidentia realiter distincta, esse vnum subiecto, ratione autem diuersa; & eodem 1. Physic. cap. 7. text. 6. non entia distingui ratione ab ente; quibus locis, ratio sumitur pro quidditate, vel definitione, & non pro consideratione intellectus: Tamẽ ad vitandam æquiuocationẽ, & ne rationem intelligentem pro ratione quidditatiua sumamus; satius est vt ab hac voce abstineamus.

Nõ rectè vocatur distinctio modalis.

Vocatur à quibusdam distinctio modalis, quia reperitur potissimùm inter rem & modum eius; sed eo pacto quo illi explicant hanc suam distinctionem modalem; non tantùm in modo loquendi, sed etiam in reipsa discrepant à nobis. Dicunt enim distinctionem modalem intercedere inter rem & modum, sine quo res ipsa potest existere; sic v. g. inquiunt, distinguitur natura substantialis, à sua subsistentia, & quantitas extra subiectum, à seipsa existente in subiecto. Hanc autem distinctionem non agnouit Scotus vt mediam inter distinctionem realem, & distinctionem rationis; sed potiùs vt speciem distinctionis realis, non quidem qualis est ea, quæ est inter rem & rem, sed qualis est ea, quę est inter separabilia, saltem non mutua, cùm in extremis allatis, vnum extremorum distinctorum, possit existere sine altero, quantumuis ipsum alterum non sit res, sed tantùm modus rei. Non inficiamur quidem hanc distinctionem vocari rectè posse modalem; sed nihil habet commune cum hac nostra distinctione media, quæ vt sit, non requirit aliud, quàm plures realitates, plures formalitates, vel plures conceptus obiectiuos etiam inseparabiles in eadem entitate.

Vocatur à Scoto distinctio formalis, & ex natura rei.

Vocatur communiter à Scoto, distinctio formalis, & distinctio ex natura rei (neque enim ipse distinxit inter distinctionem formalem, & distinctionem ex natura rei, vt constat ex his quæ habet in 1. dist. 8. qu. 4. & dist. 13. qu. vnicâ, & alibi passim) distinctio formalis quidem, quia est inter formas Metaphysicas, seu formalitates, & rationes conceptibiles; ratio enim vniuscuiusq; rei dici potest forma vel formalitas eius: Distinctio verò ex tura rei, quia est in rebus secluso opere intellectus, & ratione ipsius naturæ rerum, quæ sic se habent, vt constituantur multis rationibus, quarum vna non sit altera ex se.

Istud nomen distinctionis formalis non placet quibusdam; quia inquiunt, est valdè æquiuocum: Distinctio enim formalis potest dici tam de distinctis realiter, quàm de distinctis solâ ratione, quatenùs illa distinguuntur, vel distingui possunt essentialiter, & hæc per rationes formales & præcisas ab intellectu. Sed cùm rationabilitas huiusmodi nominum non aliter probari possit, quàm ex communi modo loquendi; ista improbatio non est sufficiens: quia iis quæ distinguuntur realiter & essentialiter conuenit propria distinctio, communiter dicta realis & essen-

tialis : & iis quæ distinguuntur ratione, conuenit etiam propria, communiter appellata distinctio rationis. Nomen autem distinctionis formalis peculiariter impositum est ad significanda ea quæ hac media distinctione distinguuntur.

Quòd distinctio realis dici possit distinctio ex natura rei.

Obseruabis autem primò circa nomen distinctionis ex natura rei, ea omnia quæ realiter distinguuntur, dici posse distingui ex natura rei, quatenùs omnis distinctio realis petitur ex ipsa natura rerum; tamen nostram mediam distinctionem peculiariter appellari distinctionem ex natura rei, ad distinctionem distinctionis rationis, quatenùs vtraque reperitur inter ea quæ separari non possunt abinuicem, quorum tamen aliqua apprehenduntur tantùm vt distincta, alia autem ex suis rationibus distincta sunt.

Distinctio formalis est eadē cum distinctione ex natura rei.

Obseruabis secundò non esse opus vt distinguamus distinctionem ex natura rei, à distinctione formali : Nam apud Scotum sunt vna & eadem. Adde quòd nulla est necessitas huiusmodi multiplicationis distinctionum. Quòd enim dicunt nostri Formalistæ ea distingui ex natura rei, de quibus verificari possunt duo contradictoria, transeat : tamen si verificari possunt secluso opere intellectus, tunc distinctio ex natura rei, erit distinctio formalis : si non nisi per opus intellectus, erit solùm distinctio rationis. Legi poterit de hac re, noster Fauentinus in suo breui Tractatu de formalitatibus, cap. vltimo.

Tertia Conclusio.

Explicatur distinctio formalis.

TAmetsi ex dictis facile sit concludere quid sit ista nostra distinctio media, quæ vel formalis, vel ex natura rei nuncupari potest : Tamen id clariùs, breuiter tamen, iam explicandum est. Distinctio formalis seu ex natura rei est distinctio plurium rationum inseparabilium in eadem entitate, quarum vna ex natura sua, & ex propria quidditate non est altera; hâc distinctione distinguuntur omnes gradus metaphysici alicuius speciei, vel etiam indiuidui, vt genus & differentia; item subiectum & propria passio. Hinc colligitur identitatem formalem seu ex natura rei, esse vel ipsammet vnitatem alicuius vnius rationis indiuisibilis à seipsa, vel identitatem plurium rationum concurrentium ad eumdem conceptum formalem ex natura rei. Ita quòd quemadmodum illa distinguuntur ex natura rei, quæ non sunt de eodem conceptu formali à parte rei ; ita illa sunt eadem ex natura rei, quæ sunt de eodem conceptu formali à parte rei, siue quæ habent eandem conceptibilitatem ex natura rei. Ex quo intelliges seuerè nimis interpretatos fuisse verba Doctoris Subtilis in 1. dist. 2. qu. 7. aliquos ex discipulis eius, vbi dicit : *Voco autem identitatem formalem, vbi illud quod dicitur sic idem, includit illud cui sic est idem, in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo.* Ex quibus aliqui, vt Sirectus, Mauricius, Valonus, & alij multi, de-

Explicatur identitas formalis, & exponitur locus Scoti.

ducunt quod inferius est idem formaliter suo superiori, quia includit ipsum in primo modo per se: Sed superius non est idem formaliter suo inferiori, quia non includit ipsum, sed potiùs includitur in ipso: v. g. inquiunt, homo est idem formaliter animali: quia homo includit animal: Animal autem non est idem formaliter homini, quia non includit hominem. Alij verò, vt Trombeta in suis formalitatibus, volunt quòd superius sit idem formaliter inferiori, & non è contrà; & ad verba Scoti dicunt quòd aliquid dicitur duobus modis idem alteri formaliter; primò, per identitatem formalem in ipso existentem: secundò, quia alterum est sibi idem formaliter, quemadmodum relatorum, v. g. aliqua sunt talia per relationem in ipsis existentem; alia autem per relationem in aliis existentem, quo modo Deus dicitur creator, per creationis relationem in creatura existentem. Primo modo, superius, & quidquid est de ratione & essentia alterius, est idem ei de cuius ratione & essentia est: Secundo verò modo, inferius & includens aliud in sua ratione, est idem superiori & incluso. Verùm existimo cum Fauentino in suo Tractatu de Formalitatibus, cap. 8. neutram istarum duarum opinionum esse veram, & ad mentem Doctoris Subtilis. Nam imprimis falsum est, inferius esse idem suo superiori formaliter, quia inferius accidit suo superiori; omne autem quod accidit, extraneatur à ratione eius, cui accidit. Quod spectat ad superius, est quidem idem formaliter suo inferiori, in quo includitur, & de cuius ratione est, ex Doctore in 4. dist. 11. Sed ex hoc non concluditur identitas formalis superioris & inferioris, saltem mutua, quia identitas formalis mutua, est eorum quæ identificantur in eodem conceptu formali: Itaut ista identificatio sit tam à parte vnius, quàm à parte alterius; quod tamen non reperitur in proposito, cùm inferius non identificetur suo superiori, quantumuis superius identificetur suo inferiori: & hæc mutua identitas formalis non potest esse nisi plurium rationum solâ ratione distinctarum, vt sunt rationes generatiuitatis, generationis, & paternitatis in eadem relatione constitutiua personæ Patris diuini, secundùm Scotum, si modò identitas ista concipiatur à nobis vt est veluti relatio quædam: potest enim etiam concipi vt est vnitas alicuius vnius rationis, & indiuisibilitas eiusdem à seipsa.

Inferius non est idem formaliter suo superiori, sed potiùs vice versâ superius est idem formaliter inferiori.

Hæc omnia confirmari possunt authoritate Doctoris Subtilis, in 2. dist. 1. qu. 5. §. *Ad quæstionem istam*, circa finem, vbi dicit relationem non esse eandem formaliter fundamento; & supponit hoc manifestum ex intellectu eius quod dicitur formaliter idem: *Quia*, inquit, *per se ratio respectus non includit formaliter rationem absoluti, nec absolutum per se includit formalem rationem respectus.* Quibus verbis patet identitatem formalem, secundùm Scotum, non esse solùm inclusionem alicuius gradus superioris; sed inclusionem mu-

tuam, quâ plures rationes solâ ratione distinctæ, conueniunt in eadem conceptibilitate, & ratione formali.

Iam operæpretium est, resoluamus an hæc nostra distinctio sit eadem cum ea, quâ vtuntur Thomistæ, & quam communiter appellant distinctionem rationis ratiocinatæ. Dico imprimis non esse eandem cum distinctione virtuali; quia nostra distinctio est actualis, vt patet ex dictis: est enim inter plures rationes, quarum vna ex natura rei actualiter non est alia: v. g. est distinctio formalis inter naturam hominis, & risibilitatem, quæquidem rationes sunt actuales, & actualiter vna non est alia: Distinctio autem virtualis non est actualis, vt docetur communiter.

Dico secundò, non esse eandem cum distinctione rationis cum fundamento in re, saltem hoc modo explicata; quia distinctio nostra præcedit omnem actum intellectus: Illa autem sic explicata concernit operationem intellectus.

Nostra distinctio media non est virtualis, nec rationis cũ fundamẽto in re, sed potest esse rationis ratiocinatæ.

Dico tertiò posse esse eandem cum distinctione rationis ratiocinatæ, vel rationis significatæ, quo genere & nomine distinctionis frequenter vtitur Caietanus: Ratio enim significata videtur esse ipsa ratio quidditatiua, & formalis vniuscuiusque rei: & certè hoc modo videtur eam accepisse Caietanus. Si igitur in hoc nobiscum consẽtire voluerint, benè venerint; si autem aliam quamdam distinctionem, in qua sit opus actione intellectus, imaginari sibi voluerint, cum eis non sentimus.

Quarta Conclusio.

Quid sit non identitas.

Datur vltrà distinctionem formalem, non identitas, quę est diuersitas alicuius rationis formalis & proprij modi intrinseci eius. Cùm enim modus intrinsecus non habeat propriam formalitatem distinctam à formalitate rei cuius est modus; non potest intercedere propria distinctio formalis inter rationem formalem rei, & modum intrinsecum eius, sicut v. g. inter rationem Entis & rationem Infiniti. Et hâc non identitate, censentur esse non idem, omnes rationes formales, & modi intrinseci earum. Est tamen super hac non identitate non parua difficultas in litera Scoti. Dicit enim in 1. dist. 2. q. 1. §. *Sed hic restat*, inter essentiam diuinam, & relationes, intercedere tantùm non identitatem: *Nunquid igitur*, inquit, *debet concedi aliqua distinctio? Respondeo, Melius est vti ista negatiua: Hoc non est formaliter idem, quàm hoc est sic vel sic distinctum. Sed nonne sequitur: A & B non sunt idem formaliter. Ergo sunt formaliter distincta? Respondeo quòd non oportet sequi: quia formalitas in antecedente negatur, & in consequente affirmatur.* His verbis apertè dicit Scotus inter essentiam diuinam, & relationes reperiri solùm non identitatem.

Examinantur difficultates in Litera Scoti circa non identitatem.

Quare etiam Herrera in 1. disp. 14. q. 1. conclus. 2. docet inter essentiam diuinam, & relationes, inter eandem essentiam & attributa, ac etiam inter attributa adinuicem comparata, non aliam

reperiri distinctionem, quàm ipsam formalem negatiuam, seu non identitatem. Negat enim hæc omnia distingui formaliter positiuè seu formaliter actualiter; sed vult solùm distingui formaliter negatiuè, & formaliter virtualiter seu aptitudinaliter.

Dicit Bargius ideò Scotum dixisse inter essentiam diuinam, & relationes intercedere duntaxat non identitatem; quia nondum determinauerat an relationes haberent suas proprias formalitates, vel potiùs essent modi essentiæ diuinæ. Sed hæc solutio non satisfacit, quia nusquam Scotus dubitauit quin attributa diuina haberent suas proprias formalitates; & tamen illud idem dixit de attributis, quod de relationibus respectu essentiæ, vt constat ex ijs quæ habet in 1. dist. 8. q. 4. §. *Ad quæstionem. Est igitur*, inquit, *aliqua non identitas formalis sapientiæ & bonitatis.* Non est etiam probabilis in via Scoti, Doctrina Herreræ; quia quantumuis dixerit Scotus essentiam diuinam & relationes esse non idem formaliter; tamen resolutoriè non dixit distingui tantùm virtualiter; immò verò post multa, tandem contrarium resoluit: *Breuiter igitur dico*, inquit, *omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sint malè dicta, sed quia non oportet eis vti; dico quòd in essentia diuina, ante actum intellectus, est entitas a, & est entitas b, & hæc non est formaliter illa. Ita quòd intellectus paternus considerans à & considerans b, habet ex natura rei, vndè ista compositio sit vera; a, non est formaliter b; non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa a, & b.* Cùm igitur non identitas formalis intercedat tantùm inter rationem formalem alicuius, & modum intrinsecum eius: quare Scotus ponit etiam hanc non identitatem inter essentiam & relationes, & inter essentiam & attributa, ac etiam inter ipsamet attributa?

Quare Scotus vsus sit nomine non identitatis in diuinis.

Dico quòd Scotus potiùs vsus est voce non identitatis, quàm distinctionis, non quòd vox distinctionis, sit penitus abijcienda; sed ne videretur ponere aliquam relationem realem inter essentiam & relationes, & inter cetera prædicta; Hoc enim potiùs significare videtur vox illa distinctionis, quàm vox non idétitatis. Adde quòd vox distinctionis, ni benè intelligatur, videtur primâ fronte derogare vnitati & simplicitati diuinæ: Abstinuit ergo ab ea voce solùm propter periculum falsi & mali intellectus, cùm aliàs etiam eâ sanè intellectâ frequenter vsus sit. Frequenter enim dicit: *Ista autem distinctio, siue non identitas*, &c. Addit noster frater Ioannes de Bassolis Scoti discipulus in 2. dist. 22. q. 4. art. 2. distinctionem ex natura rei, sumi duobus modis, quantùm ad præsens institutum attinet: Primò, vt est relatio realis inter extrema realiter distincta: Secundò, vt est negatio vnitatis aliquorum quæ non sunt apta facere vnum: & sic potius non identitas quàm distinctio dicenda est. Priori modo, distinctio non est in diuinis; saltem inter ea quæ superiùs attulimus. Posteriori modo est; & hac

hac fortè ratione Scotus potius est vsus voce non identitatis, quàm distinctionis. Adde quòd timidè valdè loquebatur de hac distinctione, quippe quam primus excogitauerat, & quam tamen existimabat esse necessariam pro intelligenda reali pluralitate, distinctione, & productione diuinarum personarum. Non enim poterat imaginari Scotus, quâ ratione Verbi diuini productio esset generatio, & Spiritus sancti non esset; nisi ponendo intellectum diuinum, & voluntatem diuinam esse aliquo modo distincta, vel saltem non eadem, ante intellectum. Et hoc sufficit illi, vt scilicet defendere possit Trinitatem personarum diuinarum non videri quasi fictam ab intellectu, si ponantur intellectus & voluntas diuina nullo modo distingui ante intellectum. Qualiscumque ergo sit illa distinctio, quæ reperitur in diuinis, modò sit aliquo modo ante intellectum, hoc sufficit Doctori Subtili. Quod notari debet, vt intelligatur Gabrielem Vasquez & aliquos alios modernos, ipsum seueriùs reprehendisse, quàm mereretur. Illis aliquando cum omni modestia satisfaciemus, Deo dante.

Porrò ad vberiorem intelligentiam eorum omnium quæ ad hanc distinctionem vel non identitatem formalem pertinent; Dico illam habere latitudinem & gradus; ita vt alia sit distinctio formalis maior, alia minor, alia minima: Quod ex varijs rationibus rerum non erit difficile intelligere: Nam rerum aliæ habent definitiones integras, completas, & perfectas; & inter illas intercedit distinctio formalis maior, seu quidditatiua. Alia habent solùm rationes formales, & non completas definitiones, vt singuli gradus Metaphysici, & inter illas intercedit distinctio formalis simplex, & minor comparatione distinctionis quidditatiuæ. Aliæ habent ita tenues rationes, vt vix à nobis discerni & distingui possint, vt sunt rationes perfecti, & boni transcendentalis; & inter illas intercedit distinctio formalis minima.

Distinctio formalis habet gradus.

QVÆSTIO V.

An sit admittenda aliqua distinctio essentialis, & quid sit?



SI quid sit controuersiæ circa hanc quæstionem, tota ferè consistit in verbis. Nam in re ipsa, idem omnes omninò sentiũt. Varijs tamen distinctionibus applicant distinctionem essentialem. Noster Ioannes de Bassolis ea quæ distinguuntur realiter separabiliter, appellat distincta essentialiter. Doctor Subtilis suam distinctionem formalem, plerúmque etiam appellat distinctionem essentialẽ, quatenus nimirum distinctæ formalitates sunt distinctæ rationes quidditatiuæ & essentiales suo modo. Tamen vt quid de quæstione proposita, tenendum sit, habeamus,

Prænotandum 1. aliud esse, aliqua esse vnũ essentialiter; & aliud, Differunt

aliqua esse vnum, & aliqua esse idē.

aliqua esse idem essentialiter. Aliqua esse vnum essentialiter, est illa conuenire in aliqua vna ratione essentiali; Quo pacto duo indiuidua alicuius naturæ specificæ, putà Petrus & Paulus, dici possunt esse vnum essentialiter, quia nimirum conueniunt in vna natura specifica, scilicet in natura humana, quæ quidem est in illis vna per negationem diuisionis heterogeneæ, vt dictum est superiùs. Aliqua esse idem essentialiter, est illa identificari vni & eidem essentiæ, vel saltem simul concurrere ad constituendam aliquam essentiam. Primo modo, homo & rationale sunt idem essentialiter, quia identificantur vni essentiæ: rationale enim identificatur essentialiter homini, & homo identificat sibi & in sua ratione essentiali, rationale. Secundo modo, animal & rationale sunt idem essentialiter, quia concurrunt ad constituendā vnam essentiam, scilicet essentiam hominis. Tamen identitatem essentialem potiùs in priori, quàm in posteriori sensu vsurpamus, cùm de ea loquimur. Et quidem iuxta hanc doctrinam, distinctio essentialis erit duplex; vna opposita vnitati, & altera opposita identitati. Prior erit distinctio multorum indiuiduorum alterius & alterius speciei, vel plurium specierum alterius & alterius generis, quippe quæ non cōueniunt in aliqua vna natura. Posterior erit distinctio pluriū graduum, vel rationum, vel entitatum, quę non sunt natę coalescere in identitatem alicuius essentiæ, vel concurrere ad constituendam aliquam vnam essentiam, vt sunt ratio parietis, & albedinis.

Quid sit identitas essentialis negatiua.

Prænotandum 2. ex Lycheto in 2. d. 1. q. 3. §. *Ad quæstionem istam*, dari adhuc aliud genus identitatis essentialis, quā vult speciem specialissimam & propriam passionem eius, esse idem essentialiter. Et hanc identitatem existimo esse negatiuam, scilicet non distinctionem aliquam, ortam ex defectu essentialitatis alterius extremi, nimirum propriæ passionis; quæ cū non sit essentia, sed proprietas essentiæ, non poterit esse extremum alicuius positiuæ distinctionis: Et ideò species specialissima & proprietas eius eatenus, meo iudicio, erunt idem essentialiter, quatenus sunt non distincta essentialiter.

Prænotandum 3. totam hanc quæstionem posse procedere vel de rebus secundùm quid, & in esse possibili, vel de rebus simpliciter & in esse reali. His positis, sit hæc

Vnica Conclusio.

Explicatur distinctio essentialis.

Admittenda est aliqua distinctio essentialis, ea nimirum quæ opponitur identitati essentiali, estque in rebus creatis, simpliciter & secundùm suum esse reale, spectatis, eadem ac distinctio realis. Prior pars probatur: Videmus enim multa distingui essentialiter hoc pacto, nimirum ea omnia vel quæ non possunt identificari essentialiter, vel quæ non concurrunt, nec possunt concurrere ad constituendam aliquam vnam essentiam, vt sunt lapis & equius, Petrus & Paulus, paries & albedo, &c. Ergo datur distinctio essentialis hoc modo explicata. Altera pars probatur: Quia in rebus creatis secundùm suum esse reale, spectatis, quæ distin-

guuntur essentialiter hoc pacto, distinguuntur etiam realiter, & vice versâ, vt patet in exemplis allatis. Ergo distinctio essentialis hoc modo explicata, est eadem ac distinctio realis.

In rebus creatis, quæ distinguuntur essentialiter, distinguũtur realiter.

Dixi in rebus creatis: quia in diuinis distinctio realis non est eadem ac distinctio essentialis; imò cum summa identitate essentiali, stat distinctio realis inter personas, vt docent Theologi, & nos etiam aliquando docuimus in quodam Tractatu de Trinitate.

Dixi in rebus creatis secundùm suum esse reale spectatis. Quia si ad distinctionem realem, non modò sufficiat distinctio inter rem & rem, quocumque modo se habentem; sed requiratur distinctio inter rem & rem existentem: Ad distinctionem autem essentialem, sufficiat distinctio inter quidditatem & quidditatem, quocumque modo se habeant: Patet non omnem distinctionem essentialem esse realem, etiam in rebus creatis vel creandis: quia inter duas quidditates possibiles, putà inter naturam equi, & naturam Leonis, est distinctio essentialis hoc pacto; non tamen distinctio realis: quia quidditates illæ ex hypothesi non sunt existentes. Tamen illa restrictio aut modificatio necessaria non est: quia quo pacto illæ quidditates distinguuntur essentialiter; eodem etiam seruatâ proportione distinguuntur realiter, nimirum, realiter possibiliter: quia quantumuis nondum existant, tamen possunt existere, & quidem existentijs distinctis.

Quid sit identitas essentialis.

Ex his manifesta est satis identitas essentialis, quæ, propriè loquendo, erit vel identitas vnius simplicis essentiæ cum seipsa, vel identitas aliquorum plurium in eadem essentia.

De distinctionibus se totis subiectiuè, & se totis obiectiuè, nihil dico: videntur enim mihi, vt Fabro Fauentino, superfluæ. Non enim hic agimus de vnitate & diuersitate rerum, ad quam tamen illæ distinctiones pertinent; sed de distinctione & identitate earum.

Et hæc de eodem & distincto.



QVINTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE NECESSARIO VEL contingenti; seu de necessitate vel contingentia.

PRÆFATIVNCVLA.

Necessarium vel cōtingens est proprietas disiuncta Entis



Ecessarium vel contingens, seu necessitas vel contingentia statuitur communiter inter proprietates complexas, seu disiunctas Entis, & de eâ loquitur præsertim Doctor Subt. in 1. dist.39. §. *quantum ad primum dico*; vbi hæc habet: *Quantum ad primum dico quòd istud disiunctum, necessarium vel possibile* (possibile enim hìc idem est quod contingens) *est passio Entis circumloquens passionem conuertibilem cum Ente; sicut sunt multa alia illimitata in Entibus: Passiones autem Entis conuertibiles, vt communiùs immediatè dicuntur de Ente, quia Ens habet conceptum simpliciter simplicem; & ideò non potest esse medium inter ipsum, & suam passionem, quia neutrius est definitio; quæ possit esse medium. Si etiam sit aliqua passio Entis non prima, difficile est videre per quam priorem, vt per medium,*

Quomodo nulla passio Entis possit demonstrari de Ente.

possit concludi de Ente: quia nec facile est videre ordinem passionum Entis: Nec si ille ordo cognosceretur, viderentur passiones assumptæ ab eis, pro præmissis, esse multùm euidentiores conclusionibus. In passionibus autem disiunctis, licet illud totum disiunctum non possit demonstrari de Ente: tamen communiter sumpto illo extremo, quod est minus nobile; de aliquo Ente potest concludi, & aliud extremum quod est nobilius de aliquo alio Ente. Sicut sequitur: Si aliquod Ens est finitum: Ergo aliquod Ens est infinitum. Et si aliquod Ens est contingens: Ergo aliquod Ens est necessarium; quia in talibus, non posset Enti particulariter inesse imperfectius extremum, nisi alicui Enti inesset perfectius extremum, à quo dependeret. Sed nec isto modo videtur posse concludi extremum imperfectius talis disiunctionis: Non enim si perfectius est in aliquo Ente; necesse est imperfectius esse in alio Ente: & hoc, nisi illa extrema disiuncta, essent cor-

relatiua, sicut causa & causatum. Igitur non potest ostendi de Ente, per aliquod prius mediũ disiunctum, hoc, scilicet necessarium, vel contingens. Nec etiam ista pars disiuncti, quod est contingens, posset ostendi de aliquo, supposito necessario de aliquo: Et ideò videtur ista, Aliquod Ens est contingens, esse vera primò, & non demonstrabilis propter quid. Inde Philosophus arguens contra necessitatem futurorum, non deducit ad aliquid impossibilius hypothesi, sed ad aliquod impossibile nobis manifestius, scilicet quòd non oportet nec consiliari, nec negatiari. Et ideò negantes talia manifesta, indigent pœna vel sensu, quia secundùm Auicen. 1. Metaphysic. c. vltim. negantes primum principium, sunt verberandi vel exponendi igni, quousque concedant quòd non est idem comburi, & non comburi, vel vapulare, & non vapulare; & ita etiam isti qui negant aliquod Ens contingens, exponendi sunt tormentis, quousque concedant quòd possibile est eos non torqueri.

Quomodo sint affiendi ij qui negant primũ principium.

Supposito itaque ex hac authoritate, necessarium vel contingens, esse proprietatem disiunctam Entis; quod etiam ex eo confirmari potest, quia omne Ens est necessarium vel contingens; restat vt præcipuas difficultates, quæ circa illam occurrunt apud Doctorem Subtilem, excitemus.

QVÆSTIO I.

Quid sint necessitas & contingentia?



Hic indifferenter vtimur concretis, vel abstractis, quibus idem semper significamus, scilicet proprietatem prędictam disiunctam Entis; cùm tamen aliàs concreta ipsa non proprietatẽ illam, sed partes subiectiuas entis significare possint, quarum aliæ sunt necessariæ, & aliæ contingentes.

Necessitas & contingentia triplex, scilicet Logica, Physica, & Metaphysica, & quid sit.

Prænotandum itaque pro solutione quæstionis, triplicem assignari posse necessitatem, vel contingentiam, nimirum Logicam, Physicam & Metaphysicam. Necessitas & contingentia Logica sunt modi propositionum, quibus dicuntur necessariæ vel contingentes: Necessariæ quidem, propter necessariam & intrinsecam habitudinem extremorum illarum, cuiusmodi est hęc; *Homo est animal.* Contingentes verò, propter extrinsecam, accidentariam, & contingentem connexionem extremorum illarum, cuiusmodi est ista; *Petrus currit*, & de hac necessitate, vel contingentia, loquitur Aristoteles in libris de Interpretatione.

Mitto contingentiam propositionum esse duplicem, vnam prouenientem ex habitudine extrinseca extremorum, petita ex

causis inferioribus; alterā prouenientem ex habitudine extrinseca eorumdē extremorum, petita ex causā supernaturali, scilicet ex voluntate diuina: Propositiones contingentes priori contingentiā, sunt istæ, v. g. *Petrus currit*: *Paries est albus*, & similes. Propositiones contingentes posteriori contingentiā sunt istæ, v. g. *Verbum caro factum est*: *Christus mortuus est*, & similes, de quibus latè differit Doctor Subtilis in Prologo Sententiarum.

Circa autem huiusmodi propositionum contingentiam, quædam difficultates possunt excitari, præsertim ista; An scilicet duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, vna fit determinatè vera, & altera determinatè falsa? Sed hæc non sunt nostri instituti: difficultates enim illas alibi excitauimus, & resoluimus, nimirum in Logica, & in quodam Tractatu de scientia Dei, fortè etiam quandoque typis mandandis.

Necessitas, vel contingentia Physica est modus vel proprietas aliqua rerum, præsertim causarum & effectuum naturalium. Nam rerum naturalium præsertim causarum, quædam sunt necessariæ, quædam contingentes. Necessariæ, quæ naturaliter, determinatè, & semper eodem modo causant, cuiusmodi sunt, v. g. cœli, elementa, & cet. Contingentes verò, quæ vel indeterminatè, vel rarò & contingenter, vel liberè & voluntariè causant, cuiusmodi sunt fatum, fortuna, & voluntas creata. Et hinc sequuntur effectus necessarij & contingentes. Necessarij, ij scilicet qui sunt à causis necessariò agentibus; contingentes verò, qui sunt à causis agentibus indeterminatè, contingenter vel liberè.

Circa hanc necessitatem vel contingentiam, multa disputantur, quæ tamen hic examinari non possunt; tùm quia alibi solent discuti, nimirum vel in Physicis, vel in Moralibus; tùm quia hoc pacto, confunderemus omnes scientias, & nullus restaret locus discernendi, quæ ad Metaphysicam, quæ ad Physicam, & quæ ad Moralem disciplinam spectarent. Nihilominùs quia Scotus habet aliqua de contingentia voluntatis creatæ in 1. dist. 39. quæ nonnihil difficultatis & vtilitatis habent; ideò occasione contingentię Metaphysicæ, illa non prętermittemus.

Porrò ad necessitatem Physicam reuocari possunt omnes modi necessitatis, vel necessarij, quos refert Arist. 5. Metaphysic. cap. 5. Primus est, quo id dicitur necessarium, sine quo non contingit viuere tanquam concausa, vt respirare, & alimentum animali necessarium est. Secundus, vt id dicatur necessarium sine quo bonum non contingit, aut esse aut fieri, siue aliquid mali repellere, aut eo priuari, vt biberę potionem medicatam, necessarium est, vt non ægrotet. Tertius, vt id dicatur necessarium, quia est violentum. Vis enim seu violētia necessitas quędam est. Quartus denique, vt id dicatur necessarium quod non contingit aliter se habere. Videri possunt Doctor Subtilis & Alexander

Multiplex necessarium ex Arist.

in hunc locum.

Superest itaque vt de necessitate, vel contingentia Metaphysica, aliquid concludamus.

Conclusio.

Quid sit necessitas vel contingentia Metaphysica.

Necessitas vel contingentia Metaphysica est modus, vel proprietas disiuncta entis, quâ significamus omne Ens esse necessarium, vel contingens: Nomine Entis necessarij intelligendo solùm Ens primum, cui repugnat non esse, & quod non potest aliter se habere: Nomine verò Entis contingentis, intelligendo omne aliud Ens ab Ente primo; quippè cui non repugnat non esse, & quod potest aliter se habere. Hoc modo philosophatur de necessario & contingenti Doctor Subtilis in 4. dist. 49. qu. 6. §. *Hic duo sunt videnda*, vbi habet: *Concedo ergo quòd nihil aliud à Deo, habet esse formaliter necessarium, sed simpliciter contingēs.* Et ratio est, quia omne aliud præter Deum, non solùm est mutabile ab esse minùs vel magis perfecto, ad esse magis vel minùs perfectum; verumetiam est mutabile à non esse ad esse, & ab esse ad non esse; vndè eâ ratione, non necessarium, sed contingens seu possibile dici debet.

Solus Deus est Ens necessarium.

Itaque hoc pacto, solus Deus est Ens necessarium, quià scilicet est independens, immutabile, & indefectibile omninò; & adeò solus est Ens necessarium, vt repugnet duo esse entia necessaria tali necessitate, vt ostendit Scotus subtiliter in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Quantum ad tertium articulum*, his verbis: *Si duæ naturæ*, inquit, *sint necesse esse, aliquibus rationibus proprijs realibus distinguuntur; & dicantur, a, & b, Istæ rationes aut sunt rationes formaliter necessariò essendi, aut non; si sic; & præter hac, illa duo per illud in quo conueniunt, sunt formaliter necessaria: Ergo vtrumque duabus rationibus formalibus erit necesse esse, quod est impossibile; quia cùm neutra illarum rationum per se includat aliam, vtrâque illarum circumscriptâ, esset necesse esse per alteram; & ita, esset aliquid necesse esse per illud, quo circumscripto, non minùs esset necesse esse. Si verò per illas rationes quibus formaliter distinguuntur, neutrum formaliter sit necesse esse: Ergo illæ rationes non sunt formaliter rationes necessariò essendi; & ita sequitur quòd neutrum includitur in necesse esse; quia necesse esse nihil includit, quod non sit necesse esse, vel ratio necessariò essendi.* Et ita patet quòd non possunt esse duo necesse esse.

Omne aliud præter Deum, est contingēs.

Et hinc habetur omne aliud à Deo, esse contingens contingentiâ oppositâ tali necessitati, quod ideò dicitur contingens, quia contingenter se habet ad existentiam, eâ nimirum ratione, quia sicut productū est, sic annihilari potest. Dicitur quoque possibile, vel quia cùm non sit, potest tamen esse, seu non habet repugnantiam vt sit; vel cùm sit, potest annihilari, & non esse. Sed de hac possibilitate sumus fusiùs dicturi sequenti Parte.

QVÆSTIO II.

Vtrùm necessaria habeant causam sui esse?



HAnc quæstionem sub iisdem terminis mouet Doctor Subtilis, lib. 5. Metaphysic. q. 3. & ibidem Anthonius Andreas q. 4. Et hoc quidem propter aliquod dictum Philosophi innuentis partem affirmatiuam, & propter authoritatem Philosophorum ponentium substantias separatas esse necessarias, & tamen eas habere causam sui esse docet fides.

Prænotandum autem 1. aliud esse, necessaria habere causam sui esse; & aliud necessaria esse producta, vel necessarium aliquod esse productum; nam potest aliquod necessarium esse productũ, & tamen non habere causam sui esse, sumendo causam propriè, vt patet de diuinis personis productis, quæ sunt entia necessaria, producta quidem, non habentia tamen causam sui esse, quia persona producẽs in diuinis, est principium quidem personæ productæ, non tamen causa.

Prænotandum 2. Duplicem esse necessitatem, scilicet complexam, & incomplexam. Necessitas complexa est necessitas alicuius propositionis necessariæ, cuiusmodi est hæc: *Corpus est substantia*. Necessitas incomplexa est necessitas alicuius simplicis entitatis seu naturæ; & hæc est iterum duplex, scilicet simpliciter, & secundùm quid. Necessitas incomplexa simpliciter, est necessitas Entis immutabilis, indefectibilis, & cui repugnat omninò non esse. Necessitas incomplexa secundùm quid, est necessitas Entis immutabilis, & indefectibilis, tùm intrinsecè, tùm per extrinsecam potentiam finitam: defectibilis tamen per potentiam superiorem & infinitam. Priori necessitate incomplexâ, solus Deus necessarius est, vt dictum est præcedenti quæstione: Posteriori verò, multa alia Entia præter Deum, sunt etiam necessaria, putà substantiæ spiritales & cœli. Et quidem, si hoc pacto posuerunt Philosophi aliquos effectus primæ causæ, esse necessarios; rectè dixerunt: si autem posuerunt, vt posuisse videntur, esse necessarios priori necessitate; decepti sunt, vt multis ostendit Doctor Subtilis loco citato, & nos etiam breuiter inferiùs dicemus. His positis, sit

Prima Conclusio.

ENs necessarium simpliciter non habet, nec potest habere causam sui esse. Hoc probat Doctor Subtilis in 1. dist. 2. qu. 1. Quia Ens necessarium simpliciter est independens, & primum effectiuum. Ergo non potest habere causam efficientem priorem & superiorem, à qua dependeat. Confirmat istud hâc ratiocinatione Doctor Subtilis.

Ens necessarium simpliciter nõ habet causam sui esse.

Si Ente necessario simpliciter daretur aliud prius, à quo esset effectiuè; idem dici posset de

ipso

ipso priori, atque de illo; sicque procederetur in infinitum, quod tamen repugnat ex 1. Posteriorum, 8. Physicorum, & 12. Metaphysic. præsertim in causis essentialiter ordinatis. Quòd si entis necessarij simpliciter, nulla detur causa efficiens; nulla quoque dabitur causa finalis, quia causa finalis non causat nisi quia metaphoricè mouet efficiens. Ergo ex negatione causæ efficientis, sequitur negatio causæ finalis. Nulla item dabitur causa materialis, nullaque formalis; quia istæ causæ intrinsecæ supponunt extrinsecas à quibus disponantur & aptentur, ad constituendum compositum. Ergo Ens simpliciter necessarium, nullam prorsus habet causam sui esse.

Secunda Conclusio.

Entia necessaria secundũ quid, habent causam sui esse.

ENtia necessaria secundùm quid, habent causam sui esse. Probatur, quia illa sunt entia possibilia, & contingentia simpliciter. Item sunt entia dependentia & mutabilia. Item illa non sunt prima effectiua, sed sunt effectibilia & effecta. Ergo habent causam sui esse. Conclusio ista principaliter suadetur ex fide; quâ credimus nihil esse in tota rerum vniuersitate, præter Deum, quod non sit effectum ab ipso.

Si intelligẽtiæ per impossibile essent entia necessaria; non tamen

Et hæc quidem dicta sunt iuxta mentem Theologorum: Vlteriùs tamen Doctor Subtilis q. 7. quodlibeticâ in fine, sustinet quòd etiam si per impossibile, Intelligentię essent Entia necessaria simpliciter: nõ inde tamen sequeretur illas esse Entia à se; sed cũ hoc, sta[illegible] esset illas habere causam sui esse. Vbi certè multa perpendit & examinat subtilissima, scitu dignissima, & pro cõciliandis multis locis Aristotelis, valdè necessaria. Concedit autem imprimis hanc fuisse mentem Philosophorum, vt Intelligentię essent entia necessaria simpliciter, vt patet ex 12. Metaphysic. sed quia, inquit, nulli authori imponenda est sententia falsa, vel multùm absurda, nisi habeatur expressè, vel sequatur euidenter ex dictis eius; & cùm Intelligentias esse Entia à se, sit non tantùm falsum, vt patet; sed etiam valdè absurdum; quia oppositum eius potest demonstrari; nec istud legatur expressè apud Aristotelem; non videtur hoc illi rationabiliter imponi.

inde sequeretur eas non habere causam sui esse.

Intelligentiæ nõ sunt entia à se ex Philosopho.

Probat verò Intelligentias non esse entia à se; sed esse causabiles vel causatas, tùm authoritatibus Aristotelis, tùm quibusdam rationibus. Et primò quidem authoritatibus hoc pacto.

Aristoteles 12. Metaphysicor. concedit omnia habere ordinem essentialem inter se; & magis adhuc habere ordinem essentialem ad vnum primum. At infinitum intensiuè, & illud quod habet esse à se, non potest esse subordinatũ essentialiter alicui alteri, nec sicut ad finem; quia bonum infinitum non est propter aliud bonum; bonum autem totius vniuersi vtroque modo se habet, scilicet & in ordine Entium inter se, & in ordine eorum ad optimum separatum; nec infinitum & Ens à se potest esse subordinatum alteri vt princi-

paliori agenti, qui habet virtutem actiuam infinitam.

Præterea eodem 12. Metaphysic. dicit Philosophus quòd entia non volunt malè disponi. Vnde concludit; *Vnus ergo princeps.*

Ratio efficax Scoti ad probãdum intelligentias nõ esse entia à se.

Ratio autem potissima Doctoris, quam affert ad probandam hanc veritatem, hæc est: Non possunt esse duæ naturæ intellectuales simpliciter infinitæ; sed quæcumque natura intellectualis, si est à se, sine incausata, ipsa est simpliciter infinita. Ergo non possunt esse plures naturæ intellectuales simpliciter incausatæ. Prima est incausata, alioquin non esset prima. Ergo quælibet alia est causata. Maiorē multis probat in 1. dist. 2. q. 1. Sed quæstione illâ 7. quodlibeticâ tangit hanc præcipuè probationem. Quia vtraque, inquit, illarum intelligeret alteram perfectissimè, tantùm scilicet quantùm ipsa est intelligibilis & comprehensibilis; similiter vna diligeret aliam, quantùm ipsa est diligibilis; & sic etiam vtraque seipsam comprehenderet & diligeret; & ita, vtraque tam secundùm intellectum, quàm secundùm voluntatem beatificaretur, tam in seipsa, quàm in alia. At est impossibile eandem potentiam simul comprehendere duo obiecta adæquata, quoniam vtrũque obiectum toti virtuti potentię totaliter adæquatur; imò nec vna potentia potest habere duo obiecta æquè prima; essentia autem vnius esset primum obiectum sui intellectus. Ergo non essentia alterius; sed nec ipsa essentia alterius esset obiectum secundarium istius intellectus, quia non est entitas posterior essentia eiusdem, cùm istæ essentiæ sint æquè infinitæ; nec per consequens erit posterior ea in intelligibilitate: potentiam etiam ita perfectè comprehendere essentiam alterius, sicut propriam, est impossibile; præcipuè quando natura propria non includit eminenter naturam alterius, nec dependet essentialiter ab illa altera, nec est eiusdem speciei cum illa: Quæ omnia vera sunt in proposito, de Deo scilicet, & Intelligentijs.

Minorem autem huius syllogismi, scilicet quòd natura quæ est à se, est infinita probat ex intentione Philosophi, qui ex eo concludit primum mouens esse infinitæ potentiæ, quia est à se potens; & ideò habet plenitudinem potentiæ.

Quando ergo probatur secundùm intentionem Aristotelis, Intelligentias non esse causatas; quia secundùm ipsum, sunt formaliter necessariæ. Dico, inquit Scotus, quòd ipse non posuit ista inter se repugnare, nimirum esse causatum, & esse formaliter necessarium, cùm dicat 2. Metaph. *Sempiternorum principia semper esse verissima, necesse est: quia sunt alijs causa veritatis.* Sempiterna ergo quæ ipse posuit formaliter necessaria, concessit habere principia. Item 5. Metaphysic. cap. de Necessario. Nihil prohibet necessariorum quorundam esse alteras causas. Hoc etiam patet in veritatibus principij & conclusionis. Ergo simul stare possunt aliquid esse simpliciter necessariũ, & illud habere causam sui esse.

Simul stant aliquid esse necessarium simpliciter, & posse habere causam sui esse.

Causatum nõ est à se. Cùm arguitur. Causatum est de se non Ens, & possibile esse propriè? Dicendum esset, inquit, quòd non est de se Ens, vel potiùs non est à se Ens; ita quòd causato non oportet quòd competat aliqua non entitas, sed negatio modi essendi, qui est esse à se: Et ista negatio est compossibilis necessario, licet negatio entitatis non sit compossibilis ei.

Quomodo causatum sit possibile. Quod etiam dicitur, quòd causatum est de se possibile, si intelligatur de potẽtia quæ est differentia entis opposita actui, talis potentia non necessariò inuenitur in causato, nisi quod causatur cum nouitate. Non est autem necessaria apud Aristotelem, connexio causationis & nouitatis, sicut nec apud illos Theologos, qui dicunt Deum potuisse producere aliquid ab æterno; est tamen omne causatum possibile, hoc est obiectum potentiæ causatiuæ; sed ista possibilitas licet repugnet necessitati à se, non tamen secundùm Aristotelem repugnat necessitati formali.

Habere potentiam infinitam non est adæquata ratio non habendi magnitudinẽ; sed habere intellectualitatem cũ immaterialitate. Aliqui Theologi & Phil[illegible]phi apud Scotum, nituntur ostendere secundùm intentionem Philosophi, Intelligentias esse entia à se; quia illæ non habent magnitudinem. Philosophus autem 12. Metaphysicor. dicit primam causam seu primum mouens non habere magnitudinẽ, quia habet potentiam infinitam: Ergo à simili, si Intelligentiæ non habent magnitudinem; habent potentiam infinitam: Ergo sunt entia infinita: Ergo non habent causam sui esse. Sed ad hoc acutè respondet Scotus, habere potentiam infinitam esse quidem causam carentiæ magnitudinis, non tamen causam adæquatam; sed intellectualitatem & immaterialitatem. Dico, inquit, quòd negatio potest per tot media propter quid, de aliquo concludi, quot possunt esse in ipso causæ repugnantiæ ad affirmationem oppositam; & si aliquid vnum sit causa adęquata repugnantię, illud erit medium adęquatum ad ostendendum talem negationem. Infinitas autem intensiua est vna causa repugnantię ad habere magnitudinem; sed non est adæquata: habere autem intellectualitatem sine materia est ratio adæquata. Ista autem duo oportet coniungi, scilicet intellectualitatem & immaterialitatem ad habendum medium sufficiens; quia sicut non sufficit intellectualitas sola secundùm mentem Aristotelis, vt patet in homine; sic nec immaterialitas, sicut patet in cœlis, qui secundùm Philosophum, non habent materiã. Et post multa, sic concludit. Ex istis habetur secundùm medium ad remouendum magnitudinem, quod est esse intellectuale sine materia. Et istud est medium adæquatum respectu prædicati. Quando ergo dicitur cap. 4. scilicet duodecimi Metaphysic. Quòd oportet tot substantias esse sine magnitudine, propter causam prædictam; hoc debet intelligi de illa causa adæquata, quæ scilicet est intellectualitas sine materia, cuius mentionem fecerat Philosophus in principio 3. & 4. capitis; non autem debet referri ad illam propositionem, quæ tacta est in fine, de infinitate potentię. Nec hoc videtur destruere sen-

tentiam literæ, cùm intellectualitas immaterialis sit propria causa, imò adæquata respectu prædicati: Hoc autem quod est habere infinitam potentiam, vel non est eius causa, vel non est adæquata; quia prædicatum omni intelligentiæ conuenit; medium autem conuenit soli Deo, cui honor est & gloria, in sæcula sæculorum.

Tertia Conclusio.

Quædam necessaria complexa habent causam sui esse.

Quædam necessaria cōplexa habent causam sui esse.

QVædam necessaria complexa habent causam sui esse. Patet de conclusionibus necessarijs, quarum causa sunt ipsa principia complexa, quæ-quidem non habent causam sui esse, quando sunt omninò prima & indemonstrabilia, qualia sunt ista: *Quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte, &c.* Sed hæc omnia patent ex aliàs dictis.

QVÆSTIO III.

Unde oriatur rerum contingentia?



PRÆNOTANDVM, I. vel potiùs repetendum ex priori quæstione, multiplicem esse contingentiam, scilicet logicam, physicam, & metaphysicam. De duplici tamen potissimùm sumus impræsentiarum dicturi, scilicet de contingentia metaphysica, & de contingentia physica, præsertim actionum voluntatis creatæ; siquidem voluntas creata, inquantùm est libera & indifferens, tùm contrariè, tùm contradictoriè, elicit suas actiones contingenter. Ostendit autem quomodo id fiat Doctor Subtilis in 1. d. 39. §. *Quantùm ad primum dico:* vbi multa præclara habet, quæ hîc præmitti non debent. Dicit ergo quòd voluntas creata quatenus est actus primus, libera est ad oppositos actus; libera est etiam mediantibus illis actibus oppositis, ad opposita obiecta, in quę tendit; & vlteriùs ad oppositos effectus, quos producit. Prima libertas habet necessariò aliquam imperfectionem annexam, quia vt sic habet potentialitatem passiuam, & mutabilitatem respectu illorum oppositorum actuum, quos potest recipere, & à quibus potest immutari. Secunda autem libertas est sine imperfectione, imò est necessaria ad perfectionem: quia omnis potentia perfecta potest tendere in omne illud, quod est natum esse obiectum eius: Ergo voluntas perfecta potest tendere in omne illud quod natum est esse volibile. Libertas igitur tunc est sine imperfectione, cùm versatur simpliciter circa opposita obiecta, cui vt sic, accidit vt oppositos effectus producat. Et hinc habetur ratio tertiæ libertatis, quæ distinguitur à prima; quia si voluntas per impossibile nihil efficeret extrà, non produceret oppositos effectus, eliceret tamen oppositos actus, ex eo quia tenderet in opposita. Istam autem libertatem, addit Scotus, concomitatur vna potentia ad opposita manifesta. Licet enim non sit

Quomodo voluntas creata sit libera acutè explicat Scotus.

in ea, potentia ad simul velle, & non velle; quia hoc posse, non est posse; tamen in ea, est potentia ad velle, post non velle, siue ad successionem oppositorum actuum: & ista potentia est etiam manifesta in omnibus alijs mutabilibus, ad successionem oppositorum, à quibus successiuè possunt immutari. Tamen est & alia potentia in voluntate, non ita manifesta absque omni successione. Ponendo enim voluntatem creatam habere esse tantùm in vno instanti; & ipsam in illo instanti habere hanc volitionem; non tamen propterea necessariò tunc habet eam. Probatur: Si enim in illo instanti, haberet istam volitionem necessariò; cùm non sit causa nisi in illo instanti, in quo causaret eam: certè voluntas simpliciter in eo instanti in quo causaret dictam volitionem, necessariò causaret illam: Nam voluntas non est modò causa contingens, ex eo quia præexistit ante istud instans in quo causat, & vt sic, præexistens potest causare vel non causare: Quia sicut hoc Ens quando est, est necessarium vel contingens; ita causa quando causat, tunc causat necessariò vel contingenter. Eapropter, ex quo, in illo instanti causat hoc velle, & non necessariò; ideò contingenter causat illud. Est ergo potentia huius causæ ad oppositum eius quod causat sine successione; & ista potentia est potentia prioris naturaliter vt actus primi ad opposita, quæ sunt posteriora naturaliter vt actus secundi: actus enim primus consideratus in illo instanti, in quo est prior naturaliter actu secundo, ita ponit illum in esse, tanquam effectum suum contingenter, quòd vt prior naturaliter, posset æquè ponere aliud oppositum in esse. Hanc etiam potentiam realem actiuam priorem naturaliter ipso quod producitur, concomitatur potentia logica, quæ est non repugnantia terminorum; voluntati enim vt est actus primus, etiam quando producit hoc velle, non repugnat oppositum elicere; tùm quia causa contingens est, respectu sui effectus; & ideò non repugnat sibi oppositum, in ratione effectus: tùm quia vt subiectum est, contingenter se habet ad istum actum, quia subiecto non repugnat oppositum sui accidentis per accidens. Libertatem igitur voluntatis nostræ inquantum est ad oppositos actus, concomitatur potentia tàm ad opposita successiuè, quàm ad opposita pro eodem instanti: hoc est quòd alterutrum possit ponere in esse, absque altero. Et ista potentia secunda, est causa realis actus priùs naturaliter, quàm potentia Logica; sed quarta potentia non concomitatur istam, scilicet ad opposita simul, quia illa potentia nulla est.

Quomodo voluntas sit libera etiam cùm actu operatur.

Ex his potest declarari distinctio huius propositionis; voluntas volens, a, potest non velle, a. hæc enim in sensu compositionis est falsa, quate nus nimirum significat possibilitatem huius compositionis; voluntas volens a, non vult a. Est autem vera in sensu diuisionis, quatenùs significat possibilita-

tem ad opposita successiuè: quia voluntas volens pro a, potest non velle pro b. Sed si etiam accipiamus propositionem de possibili vnientem extrema, pro eodem instanti, putà istam; voluntas non volens aliquid pro,a, potest velle illud pro,a; adhuc ista est distinguenda, secundùm compositionem, & diuisionem; & in sensu compositionis, falsa est, scilicet quòd sit possibile voluntatem esse simul volentem pro a, & non volentem pro a: In sensu verò diuisionis est vera, quatenùs scilicet significatur quod illi voluntati, cui inest velle pro a, posset inesse non velle pro a.

Et ad intelligendum istam secundam distinctionem quæ est obscurior, dicit Scotus quòd in sensu compositionis, est vna categorica, cuius subiectum est istud; voluntas non volens pro a, & prædicatum, volens pro a: & quòd tunc attribuitur hoc prędicatum possibiliter, huic subiecto, cui tamen repugnat; & per consequens conuenit illi impossibiliter aliquid, quòd denotatur possibiliter conuenire; & eâ ratione, ista propositio categorica, est falsa in sensu composito: In sensu diuisionis autem, sunt duæ propositiones categoricæ enunciantes de voluntate, duo prędicata; in vna, de inesse, & in altera, de possibili; & istæ duæ propositiones verificantur simul pro eodē instanti; quia eidem voluntati in eodem instanti, conuenit non velle a, cum possibilitate ad oppositum, scilicet ad velle a.

Dicet tamen aliquis, falsum esse quòd sit aliqua potentia pro aliquo instanti, ad oppositum eius quod inest, in illo instanti; quia ex primo de Interpret. *Omne quod est, quando est, necesse est esse*: Respondeo tamen ita esse: & ad propositionem allatam, dico eam posse esse, vel hypotheticā vel categoricam: & quidem vt est hypothetica, particula illa, *necesse est*, potest denotare vel necessitatē consequentiæ, vel necessitatem cōsequentis; si necessitatem consequentiæ, vera est: si necessitatē cōsequentis, falsa; patet in hac propositione; *quando Petrus currit, necesse est Petrum currere*; particula illa, *necesse est*, denotando necessitatem consequentiæ, vt sit sensus; si Petrus currit, necesse est vt currat; reddit propositionem veram; eadem autem particula denotando necessitatem consequentis, vt sit sensus; quando Petrus currit; necessarium est Petrum currere, hoc est, necessariò cursus conuenit Petro, vel Petrum currere, est Ens necessarium; reddit falsam propositionem. Vt verò est categorica; potest esse, vel de prędicato temporali, vel de subiecto temporali: Si de subiecto temporali, falsa est propositio; si de prædicato temporali, vera. Patet in his syllogismis: *Omne quod est, quando est; necesse est esse. Sed Petrus est, quando est: Ergo necesse est esse Petrum.* Conclusio falsa est; minor autem vera erat: Ergo maior falsa erat, & non aliâ ratione, nisi quia est de subiecto temporali, hoc est de subiecto in quo includitur particula, *Quando est.* Sic autem; *Omne quod est: quando est, necesse est esse. Sed*

Explicatur propositio illa. Omne quod est, quādo est, necesse est esse.

Propositio allata vel est hypothetica, vel categorica.

Categorica, vel est de prędicato vel de subiecto tēporali.

Petrus est: Ergo quando est, necesse est esse. Vera est conclusio, & non aliâ ratione, nisi quia sequitur ex prædicato temporali, seu determinato per particulam, *quando est*: Ergo ex propositione allata, non habetur voluntatem non posse pro eodẽ instanti, velle aliquid, pro quo vult oppositũ eius.

Nõ agimus hîc de certitudine cognitionis futurorum cõtingentium.

Prænotandum 2. nos hîc non quærere, vnde oriatur determinata veritas, ac per consequens infallibilis certitudo actionum contingentium voluntatis creatæ. Hoc enim spectat ad Theologosin 1. dist. 39. vbi determinant quomodo Deus certò, infallibiliter, & immutabiliter cognoscat futura contingentia; & nos etiam resoluimus istam difficultatem in quodam Tractatu de Scientia Dei; vbi diximus voluntatem diuinam constituere futura contingentia in quadam determinata veritate, vel nimirum connectendo simplices terminos quos exhibet intellectus diuinus, vel determinando propositionem, quam duntaxat neutram repræsentauerat idem intellectus; quam postmodum veritatem determinatam non potest certò & infallibiliter non cognoscere Deus. Ista tamen doctrina Scoti, vt ibidem annotauimus, non sic est intelligenda, quasi sola voluntas diuina determinet absolutè & simpliciter talem futuritionem talium contingentium, sine omni præuisione determinationis ipsiusmet voluntatis creatæ: Nam in 1. dist. 41. §. *Sed hoc videtur*, docet Deum non determinasse efficaciter Petrum amare, nisi prævidendo quòd ipse Petrus vellet amare.

Legatur Faber Faent. in 1. disp. 4. c. 5. Et Pater Cauellus in suo Scholio in §. viso de contingentia in 1. dist. 39.

Ita etiam sentiunt nostri moderni, apud quos gauisus sum me reperisse illud idem, quod antè docueram. His positis, sit

Prima Conclusio.

Contingentia Metaphysica non aliunde prouenit quàm ex ipsamet entitate & natura rerum. Probatur; quia quemadmodum Ens necessarium simpliciter, ex se, est tale & non per aliud; ita Ens contingens & possibile ex se, & naturâ suâ, est tale, & non per aliud: Ita vt ex se repugnet illi esse aliud Ens, quàm cõtingens, mutabile, & defectibile. Nihilominùs si quæratur vndè sint res illæ cõtingentes? Responderi poterit esse & ab intellectu diuino, & à voluntate diuina, & à potentia diuina: ab intellectu quidem, cognoscibiliter; à voluntate verò, determinatè; & à potentia, realiter. Ex hoc tamen non sequitur contingentiam rerum esse ab aliquo ex his principiis; quia tametsi Ens contingens, & Ens possibile sint idem; non eo tamen modo philosophandum est de contingentia, atque de possibilitate; quia possibilitas non prouenit tantùm ex rebus ipsis, sed etiam quasi causaliter & originatiuè ab intellectu diuino, vt dicemus sequenti parte: Contingentia autem nullâ ratione dici potest esse ab intellectu diuino, qui quantumuis possit producere res in esse possibili; non potest tamen eas producere in esse contingenti; sed eo ipso quòd productæ sunt, quoquo modo productæ sint, siue cognoscibiliter, siue realiter; ex se habent quòd sint contingentes; ita quòd contingentia

Quid sit contingentia Metaphysica.

non sit veluti proprietas aliqua extracta à necessitate, tanquam ab altera proprietate Entis; quemadmodum possibilitas est veluti proprietas extracta ab impossibilitate, cui opponitur.

Secunda Conclusio.

Vnde contingentia Physica, præcipuè actionum humanarum.

Contingentia Physica, vel moralis actionum voluntatis creatæ proximè & immediatè est ab eadem voluntate creata; remotè verò, primariò tamen à voluntate diuina, vel à potentia diuina dante esse voluntati creatæ. Prior pars patet; quia voluntas creata ex doctrina Doctoris Subtilis, superiùs insinuata, est naturâ suâ indifferens ad oppositos actus, opposita obiecta, & oppositos effectus; ita vt indifferenter & indeterminatè possit hunc vel illum actum elicere, hoc vel illud obiectum respicere, hunc vel illum effectum producere: Ergo contingens est quòd hunc potiùs quàm illum actum eliciat; contingens inquam, contingentiâ petitâ ex ipsa natura facultatis.

Altera pars etiam patet; quia quicquid est causa causæ, est causa causati: Ergo cùm Deus sit causa effectiua voluntatis creatæ; erit etiam causa effectiua contingentiæ actuum qui eliciuntur ab illa.

Mitto & alio titulo, dici posse Deum esse causam immediatam contingentiæ actionum voluntatis creatæ, quatenùs scilicet immediatè concurrit ad illas, tanquam causa prima, à qua necessariò & essentialiter dependet omnis causa secunda, etiam dum actu operatur.

Sunt & alia quædam contingentia Theologica, nimirum non tantùm operationes Dei ad extrà; sed præcipuè opera Verbi incarnati, vt incarnatio, vita, mors, &c. quorum omnium nulla alia causa poni potest, quàm voluntas diuina.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm primâ causâ necessariò agente, essent effectus contingentes in rerum natura?



Referuntur variæ sententiæ.

De hac re duplex est opposita sététentia. Prima est D. Thom. 1. part. qu. 12. art. 13. ad primum; Caietani, & omnium ferè Thomistarum ibidem, ac etiam 1. part. qu. 19. art. 8. Altera est Doctoris Subtilis variis in locis; sed præsertim in 1. dist. 2. qu. 1. §. *Ostenso esse.* dist. 8. qu. 5. §. *Istis rationibus.* Et dist. 19. §. *Quantùm ad primum.* Item omnium Doctorum nostræ Scolæ. Suarez autem inter cæteros, doctissimè suo more, hanc quæstionem resoluit tom. 1. Metaphysic. disput. 19. sect. 3. cum quo nullam aliam litem habemus, præter quàm quòd rationibus Doctoris Subtilis veritatem huius rei confirmat, & tamen ipsum impugnat quasi aliter senserit, & id quidem ex defectu

defectu intelligentiæ doctrinæ ipsius.

Deus nõ agit necessariò ad extrà: tamen admitti potest hæc hypothesis impossibilis, & quare.

Prænotandum itaque 1. hypotesin quæstionis esse impossibilem; quia non modò Deus non agit ad extrà ex necessitate naturæ, sed nec agere potest, quia modus ille agendi repugnat illi, & derogat summæ dignitati & perfectioni eius: Imperfectionis enim est naturam intellectualem esse determinatam ad operandum. Nihilominùs familiare est non modò Philosophis, sed etiam Theologis, positis quibusdam hypothesibus impossibilibus, inquirere quid contingeret, vel non contingeret? Quatenùs cognoscatur hoc vel illud, esse rationem huius vel illius, per locum intrinsecum, vel per locum extrinsecum. Sic, v. g. solemus quærere an Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, dato quòd non procederet ab ipso? Licet enim sit impossibile Spiritum sanctum non procedere à Filio; tamen quia partem affirmatiuam hypothesis sustinemus in nostra Schola; ideò ostẽdimus distinctionem Spiritus sancti à Filio, non colligi ex processione eiusdem ab ipso, per locum intrinsecum, sed tantùm per locum extrinsecum. Sic itaque debemus inquirere an rerum contingentia proueniat ex eo quòd Deus operetur ad extrà liberè, per locum intrinsecum, necne; ita quòd si ageret necessariò, tolleretur omnis rerum contingentia.

Quæstio proposita habet triplicẽ sensum

Prænotandum 2. quæstionem propositam hypotheticam posse habere triplicem sensum. Primus est: Si in prima causa non esset libertas in agendo; an posset esse in aliqua causa secunda? Secundus est: Si per impossibile, Deus ageret ex necessitate naturæ, & non plus ageret, neque alium concursum aut motionem præberet voluntati liberæ creatæ, quàm modò præbet; an tunc tolleret contingentiam actionis, & impediret vsum libertatis? Tertius est: Si maiori quodam impetu, & maiori motione ageret; an tunc tolleretur contingentia rerum? Hæc prænotat Suarez loco citato: Quo prænotato & posito; respondet iuxta priorem & posteriorem sensum, nullam fore rerum contingentiam, fore tamen iuxta secundum: tamen Scotum non processisse neque iuxta priorem, neque iuxta posteriorem sensum, sed iuxta secundum. Hinc grauiter reprehendit illum; sed immeritò vt ostendemus; quia rationes Scoti procedunt iuxta posteriorem sensum. Quare miror virùm aliàs profundissimum & eruditissimum ita leuiter animaduertisse doctrinam tanti Doctoris, quam adeò grauiter impugnat.

ex Suario.

Deus nõ potest agere necessariò ad extrà & non agere maiori motione quã nunc agat.

Prænotandum itaque 3. Doctorem Subtilem voluisse Deum non aliter posse agere ad extrà, nisi maiori conatu & maiori motione, supposito quòd necessariò ageret. Vnde apud ipsum, secundus sensus quæstionis positus à Suario, non habet locum; & ratio eius est: quia *Omnis causa necessariò agens, agit secundùm vltimum potentiæ suæ; quia sicut non est in potestate sua agere, & non agere; ita nec intensè, nec remissè agere. Ergo*, inquit, *si prima causa necessariò causat; causat*

quicquid potest causare. Et illud quidem etiam probat Suarez loco citato, num. 12. vbi sic loquitur: *Hac est conditio naturalis agentis, vt agat quantùm potest, quia non habet facultatem temperandi suam actionem, seu magis vel minus illam applicandi, quia hoc non fit nisi per potentiam liberam.* Ex qua doctrina, destruitur secundus sensus quæstionis. Quia si hæc sit conditio naturalis agentis, vt agat, quantùm potest; dato quòd Deus sit agens naturale, aget ad extremum potentiæ; & ita maiori motione quàm nunc agat, quia aget infinitâ virtute. His positis, sit

Prima Conclusio.

Si non esset libertas in prima causa, non esset etiam in causis secundis.

SI in prima causa non esset libertas in agendo, nulla esset in causis secundis; sicque tolleretur omnis rerum contingentia. Hæc conclusio nullam habet difficultatem; quia perfectiones simpliciter non sunt in causis secundis, nisi per participationem à prima: Sed libertas est perfectio simpliciter. Ergo non potest esse in causa secunda, nisi per participationem à prima.

Aduersus istud proponit vnicum breue argumentum Suarez. Libertas, inquit, requirit perfectionem admixtam alicui imperfectioni, nimirum potentialitati vel mutabilitati. Ergo non est perfectio simpliciter. Ergo potest esse in creatura, tametsi non sit in prima causa. Respondet negando antecedens; Nam libertas, inquit, præcisè & absolutè sumpta saluari potest cum indifferentia ad obiecta, vel effectus, absque vlla compositione vel potentialitate respectu diuersorum actuum. Sed istam doctrinam multis ante ipsum, sæculis tradidit Scotus noster in 1. dist. 39. §. *Iuxta prædicta.* His verbis:

Quomodo voluntas diuina sit libera, præclarè declarat Scotus.

Quantùm ad primum dico, quòd voluntas diuina non est indifferens ad diuersos actus nolendi vel volendi, quia hoc in voluntate mea non erat sine imperfectione voluntatis. Voluntas enim nostra erat libera ad oppositos actus, ad hoc, vt esset libera ad obiecta opposita, & hoc propter limitationem vtriusque actus respectu sui obiecti: Ergo positâ illimitatione eiusdem volitionis ad diuersa obiecta, non oportet propter libertatem ad opposita obiecta, ponere libertatem ad oppositos actus. Ipsa etiam voluntas diuina libera est ad oppositos effectus. Sed hæc non est prima libertas, sicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa quæ est per se perfectionis sine imperfectione, scilicet ad obiecta opposita. Ita quòd sicut voluntas nostra potest diuersis volitionibus tendere in diuersa volibilia; ita illa voluntas potest vnicâ volitione simplici illimitatâ tendere in quæcumque volibilia; ita quòd si voluntas illa, vel illa volitio esset tantùm vnius volibilis, & non posset esse oppositi, quod tamen est de se volibile, hoc esset imperfectionis in voluntate, sicut deductum est prius de voluntate nostra. Et licet in nobis, posset distingui voluntas vt est receptiua, & vt est operatiua, & vt productiua. Ipsa enim est productiua actuum, & ipsa est quâ habens operatur formaliter volendo, & ipsa est receptiua volitionis suæ: tamen libertas vi-

Optima distinctio voluntatis, vt est operatiua,

& productiua & receptiua. *detur esse eius, inquantùm est operatiua, inquantùm scilicet habens eam formaliter, potest eâ tendere in obiectum. Ita igitur ponitur libertas in voluntate diuina per se & primò, inquantùm est potentia operatiua, licet ipsa non sit receptiua, nec productiua volitionis suæ; & tamen potest saluari in ea, aliqua libertas inquantùm productiua est. Licet enim productio in esse existentiæ, non concomitetur necessariò operationem eius, quia operatio est in æternitate, & productio esse existentiæ est in tempore; tamen operationem eius necessariò concomitatur productio in esse volito; & tunc non potest potentia illa voluntatis diuinæ primò quidem esse vt productiua, sed secundùm quid, scilicet in esse volito, & ista productio concomitatur eam vt operatiua.*

Secunda Conclusio.

Si Deus ageret necessariò ad extrà, tolleretur omnis rerum contingentia. SI prima causa ageret necessariò ad extrà, tolleretur omnis rerum contingentia. Probat istam conclusionem Doctor Subtilis locis initio quæstionis positis; quia, inquit, si prima causa necessariò causat, necessariò se habet ad causam proximam. Sit illa, b. Igitur, b, necessariò mouetur à prima causa. At b, eodem modo quo mouetur à prima causa, mouet proximam sibi. Igitur b, necessariò causat mouendo c, & c, mouendo d, & sic in omnibus causis procedendo, nihil contingenter erit, si prima causa necessariò causat.

Occurrit Suarez. Dicit Suarez conformiter doctrinæ Cajetani & aliorum Thomistarum, hanc rationem esse diminutam; quia quando plures causæ requiruntur ad hoc quòd aliquis effectus habeat esse, & tales causæ sunt ordinatæ inter se, defectus cuiuscumque causæ, inducit defectum in effectu; quia malum ex quolibet defectu prouenit: quare tametsi prima causa & multæ aliæ concurrerent necessariò ad actiones voluntatis creatæ; tamen vt sint liberæ, satis est quòd ipsa voluntas, quæ est causa proxima illarum, sit libera, & quòd per cooperationem aliarum causarum necessariò agentium, non extrahatur à suo naturali modo operandi. At ex ratione Scoti, non habetur voluntatem creatam plus extrahi à suo naturali modo operandi, ex eo quòd causa prima necessariò ageret, quàm extrahatur ex eo quòd cœli & aliæ causæ superiores necessariò agant cum ipsa, & cooperentur ipsi. Ergo ex illa ratione, non tollitur rerum contingentia, tametsi Deus necessariò ageret ad extrà.

Hæc solutio procedit ex defectu intelligentiæ Doctrinæ Scoti; quia, vt dictum est prænotato 3. Scotus non posuit causam primam per impossibile necessariò agere ad extrà, nisi etiam ponendo agere ad extremum potentiæ suę; atque consequenter infinitâ motione & potentissimo conatu impediente vsum libertatis voluntatis creatæ. Sic enim loquitur in 1. dist. 8. q. 5. §. *Istis rationibus: Omnis causa necessariò agens, agit secundùm vltimum potentiæ suæ, quia sicut non est in potestate sua, age-* Satisfit Suario.

re & non agere; ita nec intensè & remissè agere. Ergo si prima causa necessariò causat; causat quicquid potest causare. Et paulò antè: *Agens necessario, producit effectum suum in susceptiuo, quantùm potest produci in eo.* Et hoc intellexerunt etiam omnes nostri, præsertim Lichetus & Franciscus de Herrera in 1. disp. 4. qu. 3. per totam: qui docent non esse eandem rationem primæ causæ agentis necessariò ad extrà, & aliarum causarum necessariarum: Quia, inquiunt, aliæ causæ necessariò agentes sunt finitę & limitatę virtutis; ideóque non tantam vim exercent in voluntatem creatam, prȩsertim humanam, quantam exerceret prima causa, si ageret necessariò ad extrà; quia cùm sit infinita, potest impedire vsum nostræ libertatis, cùm præsertim voluntas creata sit finitæ virtutis, tùm ad volendum, tùm ad nolendum, proindéque facilè vinci & superari possit ab extrinseco agente infinitæ virtutis, qualis est Deus.

Philosophi dicêtes Deum necessariò agere ad extrà, & agnoscentes contingentiā, admiserunt contradictoria.

Hinc infert Doctor Subtilis tùm locis citatis, tùm alibi sæpè, Philosophos contradictoria admisisse, ponendo contingentiam in rebus, & primam causam necessariò agere ad extrà; quia, vt probatum est, hæc duo simul stare non possunt.

Et hæc de necessario & contingenti.



SEXTA PARS HVIVS CAPITIS, QVÆ EST DE ACTV ET POTENTIA.

PRÆFATIVNCVLA.



VONIAM Aristoteles 9. Metaphysicorum ca. 1. prȩmissâ diuisione Entis in substantiam, quantitatem, qualitatem, &c docet Ens ipsum quoque diuidi in δύναμιν καὶ ἐντελέχειαν, in potentiam & actum: Idcircò determinandum est etiam nunc de potentia, & entelechia. Cùm autem multiplex sit actus, & potentia; videndum imprimis quęnam potentia, quisue actus sint Metaphysicæ considerationis; vt illis explicatis, dicamus etiam pauca cum eodem Aristotele ibidem, de alia multiplici potentia, & de alio multiplici actu: Quoniam ex cognitione potentiæ & actus, quæ secundùm

motum dicuntur, faciliùs tandem intelligemus quid sint actus & potentia Metaphysica. In his autem, sicut & in reliquis, conabimur mentem Doctoris Subtilis assequi, qui in sua Metaphysica lib. 9. quindecim quæstiones excitat de actu & potentia.

QVÆSTIO I.

Quænam potentia & actus sint Metaphysicæ considerationis?

Multiplex potentia ex Arist.



RÆNOTANDVM primò, ex Aristotele loco nunc citato, & 5. Metaphysic. cap. 12. Multiplicem esse potentiam. Alia est enim potentia Logica, alia Mathematica, & alia realis.

Potentia Logica ea est quâ explicatur modus compositionis factæ ab intellectu, vt obseruat Doctor Subtilis in 1. dist. 7. qu. vnicâ; §. *ad quæstionem*: & in Commentariis ad cap. 1. lib. 9. Metaphysic. *& ista*, inquit, *notat non repugnantiam extremorum*. Hoc est, potentia Logica ea est quâ dicuntur possibilia ea omnia quæ ex suis terminis non habent repugnantiam. Hâc potentiâ, erat possibile ab æterno etiam non intellectâ omnipotentiâ diuinâ, hominem esse; quia homo & esse, ex se & ex suis terminis, non habent repugnantiam.

Quid sit potentia Logica.

Per oppositum, impotentia Logica est repugnantia terminorum, vel modus compositionis factæ ab intellectu fundatus super repugnantia terminorum, qualis est repugnantia horum terminorum: Homo est lapis. Ad hæc, addit Aristoteles quid sit possibile & impossibile Logicum. Et quidem possibile Logicum describit per ordinem ad oppositum suum, dicens esse illud cuius contrarium non necessariò falsum est: vt sedere hominem possibile est: Non enim necessariò non sedere, falsum est. Et mox subiungit possibile hoc modo sumptum, esse adhuc triplex; primum, quod in se quidem falsum est; vt hominem sedere, quando non sedet: ex eo tamen possibile dicitur, quia cùm non sit de necessitate falsum, potest redire ad verum. Secundùm quod verum quidem est, sed non necessariò; quia etiam eius oppositum non est falsum necessariò. Tertium denique, quod se habet ad veritatem & ad falsitatem contingenter, est tamen in proximo verum. Subdit denique impossibile Logicum illud esse, cuius contrarium de necessitate verum est, vt diametrum esse commensurabilem costæ, est impossibile: quia oppositum eius, nempè non esse commensurabilem, non modò verum est, sed etiam de necessitate verum.

Quid impotentia Logica.

Quid possibile & impossibile Logicum.

Possibile Logicum triplex.

Potentia Mathematica dicitur ab Aristotele potentia Metaphorica, seu per translationem; & tùm hæc, tùm potentia Logica æquiuocè tantùm dicuntur potentiæ 9. Metaphysic. cap. 1. Vnde quæ vel logicè, vel mathematicè possibilia dicuntur, non pro-

Quid potentia Mathematica.

priè secundùm potentiam, possibilia dicuntur 5. Metaphysic. cap. 1. Est autem potentia Mathematica ea quâ quantitas aliqua potest ductu quodam fieri id quod nondum est, v. g. Potentia illa quâ vel linea fieri potest quadratum, vel ternarius nouenarius. Et hæc quidem dicitur potentia per quandam similitudinem ad potentiam realem. Nam sicut ex eo quòd est in potentia, fit illud quod est actu: sic ex ductu alicuius lineæ in seipsum, resultat quadratum eius; & ex ductu ternarij in seipsum, consurgit nouenarius: Nam ter tria sunt nouem. Et ideò dicimus quòd linea potest in quadratum, & ternarius potest in nouenarium.

Quid & quotuplex potentia realis.

Potentia realis duplex assignatur ab Aristotele 5. Metaphysic. cap. 12. & 9. Metaphysic. cap. 1. actiua scilicet & passiua; & ea quidem adhuc vel actiua & passiua simpliciter; vel actiua & passiua benè vel malè. Denique subdit aliud quoddam genus potentiæ, quæ nihil aliud est quàm vis quælibet, siue habitus, aut forma per quam res planè redduntur immutabiles, aut non facilè mutabiles, vt durities insignis, qualis inesse creditur adamanti, per quam adamas frangi vix potest. Addit potens in concreto dici totidem modis, quibus dicitur potentia in abstracto. Tandem aliqua tradit de impotentia, quæ ex cognitione potentiæ clara sunt. Est enim impotentia nihil aliud quàm priuatio potentiæ. His positis, iam quæritur, Num sit aliud genus potentiæ spectans ad Metaphysicam; vel si aliquod ex enumeratis sit considerationis eius?

Differũt, esse actum vel potẽtiam, esse in actu vel in potẽtia, esse actu vel potẽtiâ.

Prænotandum 2. aliud esse aliquid esse actum vel potentiam; aliud esse in actu, vel in potentia; & aliud esse actu vel potentiâ. Aliquid esse potentiam, est esse perfectibile ab alio, quocumque modo perfectibile sit, siue physicè, vt materia, siue metaphysicè vel logicè vt genus; siue alio modo. Hoc pacto aliquid esse actum, est esse perfectiuum alterius, quocumque modo perfectiuum sit, siue physicè vt forma naturalis, siue alio modo, vt differentia, vel aliud perfectiuum. Aliquid esse in potentia, est illud habere capacitatem, vel aptitudinem, vel etiam esse dispositum ad recipiendum aliquid à quo perfici potest. Sic intellectus pueri recenter nati est in potentia ad disciplinas; paries in potentia ad albedinem quam non habet, & similia. Aliquid esse in actu, est illud habere iam perfectionem illam, ad quam habebat aptitudinem vel capacitatem, vel ad quam erat dispositum. Aliquid esse potentiâ seu potestate, est illud posse quidem esse, nondum tamen esse. Et hoc pacto, aliquid esse actu, est illud iam existere, & esse extra suas causas. His positis, sit

Prima Conclusio.

Potentiæ Logica & Mathematica nõ sunt Meta-

Potentia tùm Logica, tùm Mathematica non potest esse Metaphysicæ considerationis. Probatur: tùm quia vtraque dicitur tantùm potentia per similitudinem, per metaphoram, & æquiuocè; tùm quia expressè

Aristoteles habet 9. Metaphysic. cap. 1. *Harum verò quæcumque quidem æquiuocè dicuntur potentiæ, prætermittantur.* Loquitur autem de potentiis Logica & Mathematica, vt obseruant Doctor Subtilis, & magnus Alexander in suis Commentariis ad hunc locum.

Secunda Conclusio.

Quæ potentia realis, sit Metaphysicæ considerationis.

ALiqua potentia realis tam actiua & passiua simpliciter; quàm actiua & passiua benè vel malè, non tamen omnis, est Metaphysicæ considerationis. Prior pars huius conclusionis non aliter probatur, quàm ostendendo aliquam potentiam huiusmodi reperiri etiam sine materia, & in substantijs abstractis; quod satis erit vt sit Metaphysicæ considerationis, saltem hominum arbitrio constitutæ. Probatur autem: Quia substantiæ separatæ agunt & patiuntur; agunt, intellectiones & alias operationes suas eliciendo; patiuntur, easdem recipiendo. Et ideò iam est in illis potentia actiua & passiua simpliciter. Insuper agunt & patiuntur benè vel malè; habent enim etiam habitus aliquos vel infusos, vel acquisitos, quibus vel benè vel malè possunt agere vel pati. Adde quòd in ipsismet potentijs solitariè spectatis inest quoque vis benè vel malè agendi. Per benè autem vel malè, intelligo vel perfectiùs vel minùs perfectè, loquendo de bonis substantijs separatis; vel etiam benè vel malè propriè dicta, vt nedum bonas, sed malas quoque comprehendam.

Non est potentia passiua in Deo.

Porrò potentia actiua quidem reperitur in Deo, passiua autem minimè; quia agit, & potest agere tam ad intrà, quam ad extrà, vt loquuntur; sed nec ab intrinseco, nec ab extrinseco quidpiam pati potest.

Non omnis potentia actiua & passiua est Metaphysicæ considerationis.

Secunda pars probatur: Quia dantur aliquæ potentiæ actiuæ & passiuæ secundùm motum: Imò illæ quæ sunt huiusmodi, sunt maximè propriè potentiæ: Tales autem non possunt esse Metaphysici instituti, quippè cùm Metaphysica abstrahat à motu. Ergo non omnis potentia realis est Metaphysicæ considerationis. Id habet expresè Aristoteles 9. Metaphysic. cap. 1. *Et primò,* inquit, *de potentia, ea quidem, quæ dicitur maximè propriè, non sanè est vtilis ad quod nunc volumus (potentia namque & actus latiùs patent, quàm illa quæ secundùm motum solùm dicuntur.)*

Tertia Conclusio.

Actus entitatiuus & potentia obiectiua, propriè spectãt ad Metaphysicum.

DAntur alius actus & alia potentia, quæ sunt omninò cõsiderationis Metaphysicæ, suntque actus entitatiuus, & potentia obiectiua. Conclusio est Doctoris Subtilis, in 1. dist. 7. qu. vnicâ, & in 2. dist. 12. q. 2. vbi docet actum & potentiam quæ diuidunt totum Ens, esse actum entitatiuum seu actum essendi & existendi, & potentiam obiectiuam, quæ correspondet huic actui. Item 9. Metaphysic. q. 2. §. *Ad solutiones.* dicit potentiam vno modo dicere modum quendam Entis. Et infrà. Strictissimè

ſumi potentiam Metaphyſicam, prout non ſtat cum actu circa idem. Et ſic, inquit, loquitur Ariſt. cap. 5. vbi notificat actum, quòd actus eſt quando res eſt non ita ſicut in potentia. Idem repetit in ſuis Commentarijs ad 9. Metaphyſic. cap. 5. Vbi dicit Philoſophum agere de actu & potentia Metaphyſica, poſtquam egit de actu & potentia Phyſica: *Notandum,* inquit, *quòd licet nomen actus ſumptum ſit à motu: tamen non ſolùm actus dicitur de motu; actus enim & potentia dupliciter dici poſſunt: vno modo, vt abſtrahunt à motu: alio modo, vt includunt motum. Primo modo, dicuntur Metaphyſicè; ita quòd actus dicit actum eſſendi ſiue exiſtendi, cui opponitur potentia obiectiua. Secundo autem modo, dicuntur Phyſicè.* Et certè eò loci mentionem facit Philoſophus de hoc actu, & de hac potentia, cùm dicit: *Eſt autem actu rem exiſtere, non ita quemadmodum dicimus poteſtate. Dicimus autem poteſtate, vt in ligno Mercurium, & in tota, dimidiam, eò quòd auferri poſſit, & ſcientem etiam illum qui non ſpeculatur, modò ſpeculari poſſit.* Quanquam enim his verbis Philoſophus explicet aliquo modo potentiam ſubiectiuam; tamen in hoc propoſito, ſeparari non poteſt à potentia obiectiua, conformiter ijs quæ habet Scotus in 2. diſt. 12. q. 1. Vbi dicit aliquid poſſe eſſe in potentia dupliciter: vno modo vt terminus: alio modo vt ſubiectum, quod eſt in potentia ad terminum, & fortè eſt eadem potentia, ſed vt comparata ad diuerſa, dicitur obiectiua, vel ſubiectiua; ita quòd ſubiectum exiſtens dicitur in potentia ſubiectiua; & eadem vt reſpicit agens, dicitur obiectiua. Ideóque conformiter his, lignum reſpectu Mercurij poterit eſſe in potentia ſubiectiua, & obiectiua; vel potiùs eadem potentia, prout eſt in ligno potenti recipere figuram Mercurij, dicitur ſubiectiua; & prout reſpicit agens potens educere figuram Mercurij in eodem ligno, dicitur obiectiua.

Quomodo eadem potentia ſit, & ſubiectiua & obiectiua.

Dixit portò Scotus nomen actus eſſe primò ſumptum à motu; quia Ariſtoteles 9. Metaphyſic. cap. 3. docet ἐνέργειαν ϗ ἐντελέχειαν primò motum ſignificaſſe: ſed fortè actualem exiſtentiam primò deberet actus ſignificare: quòd ſimpliciter ea eſſe dicamus actu, ἐνεργείᾳ, quæ actu exiſtunt. Eſſe enim propriè dicitur de eo quod actu eſt. Nam ea quæ potentiâ ſunt, ponuntur inter ea quæ non ſunt.

Nomē actus primò fuit impoſitū ad ſignificandū motum.

Explicando autem huiuſmodi actum, & potentiam Metaphyſicam, vſus eſt Philoſophus exemplis, & non definitionibus: Quia non cuiuſlibet rei dari poteſt definitio, aliter eſſet proceſſus in infinitum in definitionibus: Quare deueniendum eſt tandem ad aliqua prima ſimplicia ſimpliciter indefinibilia. Potentia ergo & actus cùm ſint de primis differentijs, ſiue paſſionibus Entis, definiri propriè non poſſunt, cùm non habeant aliquid prius ſe, per quod poſſint definiri; ſed manifeſtari poſſunt duntaxat per exempla. Ita ferè Scotus noſter in ſuis Commentarijs ad nonum Metaphyſic.

Actus & potentia propriè definiri nō poſſunt.

Itaque tùm propter hanc rationem;

Falsò aliqui putant Scotū sensisse potentiam obiectiuā esse aliquid reale.

tionem; tùm etiam quia libro superiore agendo de esse cognito, & de essentia ac de existentia rerum creatarum, omnia ferè tetigimus quæ spectant ad actum entitatiuum, & ad potentiam obiectiuam, nihil ampliùs restat dicendum de illis. Moneo tantùm obiter Doctorem Subtilem numquam intellexisse potentiam obiectiuam esse aliquid positiuum & reale, vt quidam falsò existimant illum intellexisse: Imò verò per potentiam obiectiuam nihil aliud intellexit, quàm id quo res aliqua intelligitur nondum habere esse, posse tamen habere per potentiam diuinam. Vnde vltra potentiam diuinam, potentia obiectiua nihil aliud est quàm rem aliquam nondum esse, posse tamen esse seu existere. Confirmari potest, quia apud Scotum, Ens potentiale seu possibile, seu Ens in potentia obiectiua, est purum nihil, & non Ens, quandiu est in potentia obiectiua, vt docet in 1. dist. 36. q. vnicâ, in fine. Sed magis iterum confirmari potest ex his quæ habet in suis Commentariis ad septimum Caput libri 5. Metaphysic. vbi proponendo & soluendo quandam obiectionem aduersus diuisionem Entis in Ens actu, & in Ens potentiâ, hæc habet: *Omne diuisum prædicatur de per se diuidentibus: Sed Ens non prædicatur de Ente in potentia obiectiua: cùm illud sit non Ens. Nam rosa non existens est formaliter non Ens, & nihil. Ergo Ens non diuiditur per talem potentiam. Respondeo quòd diuisio alicuius est duplex: quia quædam diuisio est distrahens, & quædam non. Exemplum primi: si dicatur quòd homo quidam est verus; quidam pictus: Nam esse pictum, distrahit hominem, sicut esse mortuum. Exemplum secundi: vt cùm dicitur quòd animal quoddam est rationale; quoddam irrationale. In prima diuisione, diuisum non prædicatur de diuidente distrahente: ista enim est falsa: Homo pictus, est homo. Sic & ista: Homo mortuus est homo. In secunda diuisione, concedo quod diuisum prædicatur de vtroque diuidente, vt patet in exemplo dicto; quia animal siue rationale, siue irrationale, est verè animal; diuisio autem Entis per actum & potentiam est omninò distractiua diuisio: Nam potentia distrahit ab Ente: & idcircò non sequitur quòd Ens in potentia, sit Ens. Quando ergo arguitur quòd omne diuisum prædicatur de per se diuidentibus: dico quòd falsum est de diuisione facta per distrahens: qualis est diuisio entis per actum & potentiam.*

Qualis sit diuisio Entis in Ens actu & in Ens potentiâ.

Actus vel potentia sunt aliquando proprietas disiuncta Entis, aliquādo partes subiectiuæ eiusdem.

Porrò iuxta hanc doctrinam de diuisione Entis in actū & potentiam, tanquam in membra passionis, seu proprietatis disiunctæ eius; diuidi quoque potest in Ens actu, vel in Ens potentiâ, tanquam in partes subiectiuas affectas hoc vel illo membro proprietatis disiunctæ: Intelligendo per Ens potentiâ, hoc loco, non quidem illud quod potest esse & non esse, quale est omne Ens creatum, siue actu siue potestate tantùm existat; sed Ens nondum existens, potens tamen existere. Intelligendo quoque per Ens actu, non solùm illud cui repugnat non esse actu, quale est solùm Ens increatum; sed illud omne quod existit, siue necessa-

riò, siue contingenter existat, Quò fit vt hæc passio disiuncta non sit similis conditionis ac alię, quia aliarum vtrumque membrum disiunctionis est reale & positiuum, vt patet de necessario & contingenti, & de eodem ac distincto: Huius autem disiunctionis alterum membrum, scilicet potentia, non est reale, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO II.

Quid & quotuplex sit possibile & impossibile, & vnde oriatur?



Multiplex possibile ex Philosopho.

Vlta docet Aristoteles 5. & 9. Metaphysic. de possibili & impossibili. Sed prȩsertim libro 9. cap. 4. impugnat opinionem eorum qui volebant illud tantùm esse possibile, quod non est, nec futurum est: quia, inquit, iuxta hanc sententiam, quæ nam sint impossibilia nos fugiunt: Nam nec sunt, nec futura sunt quoque impossibilia. At repugnat impossibilia poni in esse; vt diametrum v. g. commensurari costę: Non repugnat autem possibile existere, aut fieri, licet actu non sit, nec futurum. Possibile ergo est, quo posito, nullum sequitur impossibile: Vt posito quòd Petrus nō sedeat; dato quòd sedeat postmodùm, nullū sequitur impossibile. Impossibile autem est, quo posito sequitur impossibile, vt diametrum commensurari. Ex quo concludit Philosophus non esse idem aliquid esse falsum, & esse impossibile; quia Sortem sedere nunc, falsum quidem est; non est tamen impossibile. His dictis, multa subiicit de antecedente & consequente possibili: Sed paucis sententia eius est, in consequentia necessaria, ex antecedente possibili, semper effici consequens possibile: Nam si ex A, putà ex homine, necessariò sequitur B, putà animal; profectò si homo est possibilis, erit & animal possibile. Circa istud autem, duo obseruat Doctor Subtilis. Primum, Aristotelem non esse hìc intelligendum de possibili, prout opponitur necessario: sed de possibili prout opponitur impossibili: Quia, inquit, ex antecedente possibili prout opponitur necessario; non modò effici potest consequens possibile, sed etiam quandoque consequens necessarium: v. g. ex hoc antecedente possibili, hoc pacto: Sortes videt: sequitur istud consequens necessarium: Ergo est animal. Secundum; non sequi semper & necessariò impossibile ex impossibili; tametsi sequatur necessariò possibile ex possibili: Sed quandoque sequi etiam ex antecedente impossibili consequens necessarium. Nam ex hoc antecedente impossibili, v. g. Homo est equus; sequitur istud consequens necessarium: Ergo est sensibilis.

Nihilominùs aduersus prædicta, argui potest, probando quòd omne nō Ens, est impossibile, hoc pacto. Sicut se habet Ens ad non

Ens; ita se habet possibile ad impossibile: Ergo permutatim: sicut se habet Ens ad possibile; ita se habet non Ens ad impossibile. Sed omne Ens est possibile: Ergo omne quod est purum non Ens, est impossibile.

Pro solutione huius difficultatis, multa notat Doctor Subtilis in 1. dist. 36. qu. vnicâ, §. *Per idem ad illud*, de isto modo arguendi à permutata proportione, quem dicit ortum habere ab Euclide lib. 5. proposit. 16. Et tandem post multa subtilia mathematica quæ habet ibi, dicit quòd generaliter nunquam tenet talis permutatio, comparando extrema ad superius & inferius, sed quòd tunc committitur fallacia consequentis: quia extrema duarum contradictionum adinuicem comparata, habent proportionem conuersam in inferendo, & non eandem: Oppositum enim consequentis infert oppositum antecedentis, & non è conuerso. Et ideò arguere ita inferendo: Sicut se habet primum ad tertium: Ita secundum ad quartum; est committere fallaciam consequentis. Ideò è conuerso debet argui: Sicut se habet primum ad tertium inferendo: Ita se habet quartum ad secundum. Sic itaque in proposito: Si omne Ens est possibile: Ergo omne impossibile est non Ens; & non è conuerso: Ergo omne non Ens, est impossibile. Hæc dicta sint in gratiam Philosophi. Nunc breuiter colligamus & complectamur ea quæ variis in locis sparsim habet Doctor noster de possibili, & impossibili, & propositæ quæstioni satisfaciamus.

Prima Conclusio.

Multiplex est possibile, multiplex item impossibile. Patet ex dictis de multiplici potentia & impotentia: Tot modis enim dicitur possibile & impossibile, quot modis dicitur potentia & impotentia. Tamen vt plura complectamur:

Possibile imprimis satis impropriè dicitur à Scoto in 4. dist. 11. qu. 2. illud quod pauciores habet repugnantiæ partes; impossibile verò quod plures habet repugnantiæ partes: Quod quidem sic explicat: *Quot sunt,* inquit, *rationes repugnantia, tot sunt rationes impossibilitatis: Et aliquâ illarum amotâ, est aliqua possibilitas, quæ priùs non fuit; non quidem possibilitas simpliciter, sed ex parte illius: verbi gratiâ, visus non potest recipere intellectionem, tum quia intellectio inextensa est, & visus extensus: tum quia visus est cognoscens tantùm aliquid sub ratione singularis, intellectus autem intelligit non præcisè sub ratione singularis. Tolle vnam impossibilitatem, vt pote si esset potentia, quæ posset habere obiectum sub ratione vniuersalis; & cum hoc remaneret alia ratio impossibilitatis, simpliciter esset impossibile hoc, sicut illud: & tamen diceretur hoc possibile respectu illius, non simpliciter, sed quia illa ratio impossibilitatis ibi, non est ratio impossibilitatis hic.* Possibile primùm dicitur quod habet pauciores repugnãtiæ partes.

Secundò dici quoque potest minùs propriè, possibile illud, quod est terminus alicuius potentiæ ex Scoto in 1. dist. 2. qu. 7. §. *Tenendo quatuor igitur rationes primas.* Hoc pacto Filius di- Secundò dicitur possibile quod est terminus

alicuius potentiæ. vnius dici potest possibilis; quia est terminus potentiæ productiuæ & generatiuæ Patris. Ne quis tamen existimet absurdum quid dici hîc ab ipso; audiamus quomodo id explicet in 1. dist. 20. q. vnicâ. §. *Quantum ergo ad istum articulum*, his verbis: *Sed tunc restat dubitatio, quomodo potentia generandi dicatur potentia, cùm non sit respectu alicuius possibilis, secundùm prædicta? Respondeo, possibile potest sumi adhuc magis extendendo nomen, quàm vt opponitur necessario ex se, dicendo illud esse Possibile, quod opponitur necessariò esse à se: & hoc modo esse originatum, esset possibile: Sed nec sic videntur Sancti communiter loqui, nec etiam Philosophi: & hoc modo posset concedi Filium esse possibilem, quia originatum; & ita potentiam correspondentem actiuam huic termino, esse potentiam. Vlteriùs tamen conceditur Filium esse principiatum, & non possibilem: in Patre tamen conceditur potentia actiua generandi, quia potentia actiua in creaturis aliquam dicit perfectionem: Possibilitas autem sibi correspondens, quæ repugnat necessitati, ex se dicit imperfectionem. Transfertur igitur ad diuina nomen vnius, quod significat perfectionem; nomen autem alterius correlatiui, quod dicit imperfectionem, non transfertur in se, sed in aliquo communiore se, vt sic ex parte producentis, dicatur esse potentia, & tamen ex parte producti, non dicatur esse possibilitas, sed tantùm ratio principiati. Ex hoc apparet irrationabilitas illius dicti, quòd sub omnipotentia de virtute sermonis, contineatur potentia generandi, non autem secundùm vsum Sanctourm; quia etsi aliquando Sancti, vel Doctores dicant potentiam generandi, esse potentiam, & generari esse terminum potentiæ: tamen de virtute sermonis neutra est vera simpliciter loquendo de potentia, prout respicit terminum possibilem: sed ampliando rationem potentiæ ad rationem principij, prout in communi respicit principiabile.*

Tertiò, datur possibile Logicum, quod, vt loquitur Scotus, est modus compositionis formatæ ab intellectu, illius quidem cuius termini non includunt cõtradictionem. Et istud opponitur impossibili, quod est modus compositionis formatæ ab intellectu, illius quidem cuius termini includunt contradictionem. Fundamentum illius compositionis est possibile aliquod Metaphysicum, cui non repugnat vt sit; vel impossibile Metaphysicum, cui repugnat vt sit. Et istud quidem vtrumque possibile est commune tùm necessario, tùm possibili quod opponitur necessario. Deus enim v. g. vel Deum esse eâ possibilitate possibile est, quatenus non repugnat eum esse, vel quatenus termini huius complexionis, Deus est, non inuoluunt contradictionem. — Quid sit possibile Logicum. — Deus etiam est possibilis possibilitate Logicâ.

Quartò, dicitur illud possibile à Scoto in 1. dist. 8. q. 5. Cuius esse non est de quidditate eius. Hoc pacto, Omnis creatura est possibilis. Hoc tamen genus possibilis quod ponitur à Scoto, in fauorem Auicennæ, non opponitur adhuc necessario: quia Philosophus & Auicenna, vt refert idem Scotus eò loci, volebant Deum causare necessariò extra se; atque consequenter causatum esse necessarium. Quomodo au- — Possibile cuius esse nõ est de quidditate eius.

tem stare possit illud esse etiam possibile, vt asserit Auicenna, declarat Doctor Subtilis his verbis: *Tenendo illud falsum fundamentum, scilicet Aristot. ponendo ipsum esse causam necessariam, non videtur contradicere sibi ponendo causatum necessarium, vt vult 5. Metaphysic.cap. de necessario,* quòd quorumdam necessariorum est altera causa. *Et* 8.*Physicorum & 2. Meta.* Sempiternorum principia semper esse verissima, necesse est, *vt argutum est, & ita ponit, non tantùm secundum modum, sed etiam primum modum. Auicenna autẽ videtur statim contradicere sibi ipsi, ponendo illud esse possibile, quia tunc necessarium non necessariò compararetur ad illud. Sed arguitur pro Auic. Si est ab alio, ergo in conceptu quidditatiuo eius non cadit esse: ergo est de se possibile esse, & non esse: sicut humanitas non est de se vna nec plures. Conceditur de isto modo possibilitatis, quæ scilicet possibilitas non est, nisi quod ordine naturæ, hoc est capax huius, & non est illud quidditatiuè. Et ex hoc patet responsio ad argumentum factum contra Auicenn. quòd quasi contradicat sibi; quia non sequitur, tale possibile posse non esse, nec potest poni non esse: sicut nec ens non esse vnum. Et sic Arist. concederet possibile, quod est necessarium ab alio: sed possibile potentiâ ante actum, improbat primò cæli & mundi.*

Possibile dicitur quod est indifferẽs ad esse & non esse.

Quintò, dicitur illud possibile, quod cùm non sit, potest tamen esse; & cùm sit, potest non esse; quia causa eius se habet omninò contingenter & indifferenter ad esse & non esse eius. Et istud idem est atque contingens; estque iterum multiplex, vt diximus agendo de contingenti & necessario.

Possibile dicitur quod est in potentia obiectiua.

Sextò denique, dicitur illud possibile, quod est potentiale, seu in potentia obiectiua vt sit: Quomodo v. g. Antichristus dicitur possibilis; quia est in potentia obiectiua vt existat. Illud autem dicitur impossibile, quod non est potentiale, seu cui repugnat vt sit. Quia tamen fortè non satis his verbis explicamus rationem huiusmodi possibilis & impossibilis; & quia illud est cuius potissimùm quæritur radix, origo & ratio: Ideò de hac re, sit hæc

Secunda Conclusio.

Vnde petantur possibilitas & impossibilitas rerum.

Possibilitas rei petitur principiatiuè ab intellectu diuino, non autem à potentia diuina, vt volebat Henricus; & formaliter petitur à reipsa: Item impossibilitas petitur formaliter à reipsa; ita vt aliquid sit principiatiuè possibile, quia productum est ab intellectu diuino in esse possibili; & sit formaliter possibile, quia est hoc vel illud: Item aliquid sit formaliter impossibile, quia est hoc vel illud. Totam istam doctrinam tradit acutè Doctor Subtilis in 1. dist. 43. q. vnicâ, vbi reprobat & confutat sententiam Henrici, qui volebat possibilitatem rerum esse petendam ab omnipotentia diuina. Audiamus autem eum super hac re præclarè philosophantẽ varijs in locis dictæ quæstionis.

Scotus toto hoc discursu

Imprimis itaque ostendit rerum impossibilitatem non peti ab aliquo respectu affirmatiuo, vel negatiuo ad Deum; neque

ostēdit acutè rerum possibilitatem veluti principiatiuè esse refundendam in intellectum diuinū: Tamen res ex se formaliter loquēdo esse possibiles vel impossibiles.

consequenter esse petendam ex parte Dei: Quia, inquit, nihil est simpliciter impossibile, nisi cui repugnat simpliciter esse; cui autem repugnat esse, repugnat ei ex se primò, & non propter aliquem respectum affirmatiuum vel negatiuum eius ad aliquid aliud: Repugnantia enim quæcunque extremorum, est ex ratione sua formali, & per se essentiali, circunscripto alio quocunque respectu vtriusque extremi positiuo, vel negatiuo, ad quodcunque aliud; quemadmodum album & nigrum v. g. per se & ex suis rationibus formalibus opponuntur, & habent repugnantiam formalem, circunscribendo per impossibile omnem respectum ad quodcunque aliud. Illud igitur est simpliciter impossibile, cui per se repugnat esse, & non propter aliquem respectum affirmatiuum vel negatiuum ad Deum; imò ei quod est impossibile, repugnaret etiam esse, si per impossibile Deus non esset.

Postmodum ostendit possibilitatem rerum non esse petendam ab omnipotentia diuina; quia potentia actiua quâ Deus dicitur omnipotens, non est formaliter intellectus diuinus: sed quasi præsupponit actionem intellectus: siue illa potentia sit voluntas, siue alia potentia executiua: Sed lapis v. g. est possibilis esse, ex se formaliter. Ergo reducendo quasi ad primum principium extrinsecum; intellectus diuinus erit illud, à quo est prima ratio possibilitatis in lapide. Non igitur illa potentia actiua, à qua Deus dicitur omnipotens, est prima ratio possibilitatis in lapide. Probatur assumptum: quia possibile secundum quod est terminus, vel obiectum omnipotentiæ, est illud cui non repugnat esse, & quod non potest ex se esse necessariò: sed lapis productus in esse intelligibili per intellectum diuinum, habet ista ex se formaliter, & quasi principiatiuè per ipsum intellectum. Igitur est ex se formaliter possibilis, & quasi principiatiuè per intellectum diuinum. Confirmatur ista ratio: quia potentia actiua, quæ est omnipotentia, non dat alicui aliquod esse, nisi producendo illud: quia illa est potentia productiua rei ad extrà: sed ante omnem productionem rei ad extrà, res habet esse possibile: quia rem produci in esse intelligibili, non est rem produci in esse simpliciter: Et si esset, hoc non esset per illam potentiam, quâ Deus dicitur omnipotens. Non igitur per illam potentiam, quæ est omnipotentia, est res alia à Deo, primò possibilis.

His dictis, explicat tandem ampliùs hanc tùm possibilitatem, tùm impossibilitatem rerum: & addit quòd licet potentia diuina sit in Deo, in primo instanti naturæ, quatenus est aliqua perfectio absoluta: tamen per ipsam potentiam, sub ratione quâ est omnipotentia, non habet obiectum quòd sit primò possibile: sed per intellectum diuinum producentem in primo instanti, illud in esse intelligibili; & intellectus non est formaliter potentia actiua, quâ Deus dicitur formaliter omnipotens: Tunc

autem res producta ab intellectu diuino in esse tali, scilicet intelligibili, in primo instanti naturæ, habet seipsâ esse possibile in secundo instanti naturæ; quia seipsâ formaliter non repugnat sibi esse, & seipsâ formaliter repugnat sibi habere esse necessarium ex se; in quibus duobus stat tota ratio possibilis. Non est igitur possibilitas in obiecto, aliquo modo, prior, quàm sit omnipotentia in Deo, accipiendo omnipotentiam pro perfectione absoluta existente in Deo; sicut nec creatura est prior aliquo existente in Deo. Si tamen res intelligatur esse possibilis, antequam Deus per omnipotentiam producat eam; sic verum est illam esse possibilem; verùm in illa possibilitate, non est simpliciter prior; sed producitur ab intellectu diuino.

Explicat optimè Scotus vnde sit petẽda impossibilitas rerum.

Deinde explicans etiam ampliùs rerum impossibilitatem, dicit quòd illa non potest esse primò ex parte Dei, propter rationem allatam: Quia nimirum res est impossibilis propter repugnãtiam, quam habet vt fiat: Quod sic debet intelligi, quia impossibile simpliciter, includit incompossibilia, quæ ex suis rationibus formalibus sunt incompossibilia; ab eo tamen sunt principiatiuè incompossibilia, à quo principiatiuè habent suas rationes formales. Est igitur ibi iste processus, inquit, quòd sicut Deus suo intellectu producit possibile in esse possibili; ita producit duo Entia formaliter; & vtrumque in esse possibili: Et illa producta seipsis formaliter sunt incompossibilia; ita vt non possint simul esse vnum, neque aliquid tertium ex eis: Hanc autem incompossibilitatẽ quam habent formaliter, habent ex se, & principiatiuè quodãmodo ab eo qui produxit illa; & istam adhuc incõpossibilitatem huiusmodi entium, sequitur impossibilitas totius figmenti includentis ea. Et ex ista impossibilitate figmenti in se, & ex incompossibilitate partium eius, sequitur impossibilitas eius respectu cuiuscunque agentis. Et ita completur totus processus impossibilitatis rei, quasi vltimus gradus huiusmodi impossibilitatis, sit negatio respectus ad quodcunque agens. Sic igitur, impossibilitas prima, est formaliter ex parte impossibilis, & principiatiuè à Deo; & si principiatiuè reducatur ad aliquid, non tamen reducitur ad negationem possibilitatis in Deo, imò reducitur principiatiuè ad intellectum diuinum principiantem illud in illo esse, in quo partes illæ formaliter repugnant, propter quam formalem repugnantiam, totum ex eis simpliciter est impossibile.

Et ex hoc apparet, addit Scotus, quòd falsa est imaginatio quærentium impossibilitatem aliquorum, quasi in aliquo vno; quasi nimirum aliquid vnum vel intelligibile, vel qualecunque Ens, sit ex se formaliter impossibile, sicut Deus ex se est necesse esse formaliter: Nihil enim est tale primum in non entitate; sed omne simpliciter nihil seu impossibile, includit in se rationes plurium, ita quòd ipsum non est primò nihil ex

ratione sui, sed ex rationibus illorum quæ intelligitur includere, propter formalem repugnantiam illorum.

QVÆSTIO III.

An sit, & quotuplex, & quid sit potentia actiua?



ARistoteles 5. & 9. Metaphysic. latè disserit de potentia actiua, ad quam reducit omnes modos potentiarum, quas ibidem enumerat. Nihilominùs non de omni potentia actiua; sed solùm de potentia transmutatiua, eáque Physica dissérere videtur. Nos tam de productiua, quàm de transmutatiua, eáque non solùm quæ secundùm motum est, sed de ea quæ abstrahit à motu, & in substantijs etiam separatis reperitur, disputabimus.

Prima Conclusio.

DAtur aliqua potentia actiua. Probatur à posteriori: Videmus enim multos effectus & multas operationes, quæ non nisi ab aliqua potentia actiua oriuntur.

Secunda Conclusio.

Multiplex refertur

MVltiplex est potentia actiua. Est enim alia increata, & alia creata. Increata est potentia Dei, quâ vel producit ad intrà, vt potentia generandi, vel spirandi; vel producit aut potest producere ad extrà, vt potentia creandi. Et hæc est iterum multiplex, nimirum vel naturalis, vel supernaturalis. Naturalis ea est, quâ Deus producit aliquid consentaneè & conformiter naturis rerum, vt potentia quâ cum homine generat hominem. Supernaturalis est quâ operatur supra vires & naturas rerum, seu aliter quàm ordo & natura rerum postulat; & id quidem, vel quoad modum faciendi, vt potentia quâ cæcum illuminat, vel etiam quoad formam & effectum productum, vt potentia quâ producit in anima, gratiam & alia dona supernaturalis ordinis.

Potentia actiua.

Potentia increata quid & quotuplex.

Potentia creata est potentia creaturæ, quâ potest elicere quasdam operationes, & producere quosdam effectus. Nam Deus indidit elementis & alijs causis creatis seminales rerum rationes, & sic omnia quæ creauit, administrat, vt etiam ipse proprios exercere & agere motus sinat, vt dicit D. August. 3. de Trinit. cap. 7. & 17. de Ciuitat. Dei, cap. 30. Hæc autem potentia creata est iterum multiplex, scilicet supernaturalis, obedientialis, & naturalis. Supernaturalis, est potentia quâ creatura potest elicere actus aliquos excedentes vires naturæ, vt sunt v. g. intellectus illustratus lumine gloriæ, respectu visionis beatificæ, & voluntas informata charitate, respectu amoris vel fruitionis diuinæ. Obedientialis est potentia aliqua, quâ creatura operatur aliquid

Potentia creata quid & quotuplex.

Potentia supernaturalis creaturæ quid.

Potentia obedientialis quid

Potentia naturalis quid.

aliquid supra vires naturæ, ad quod operandum vel producendum assumpta est à Deo, qui ratione supremi dominij, quod habet in res omnes, potest vti qualibet, respectu cuiuslibet, vt facultas loquendi in iumento Balaam. Naturalis est quâ creatura potest agere proportionatè propriis viribus, vt potentia calefaciendi in igne, &c. Et hæc est iterum duplex, scilicet acquisita, vt potentia citharizandi; & naturaliter indita, vt potentia videndi. Inde habes naturale dici de potentia duobus modis, scilicet vel quatenus opponitur supernaturali; quo modo etiam potentia acquisita dicitur naturalis; vel quatenùs opponitur potentiæ acquisitę; quo modo sola potentia à natura congenita, dicitur naturalis. Sed & ista est iterum multiplex, iuxta multiplicem gradum Entis. Sicut enim entis creati, aliud est viuens, & aliud non viuens; ita potentiæ creatæ alia est viuens seu vitalis, quæ scilicet consequitur gradum entis viuentis, vt potentia videndi; & alia non viuens, seu non vitalis, quæ consequitur gradum entis non viuentis, vt potentia calefaciendi in igne. Iterum potentia vitalis multiplex est iuxta multiplicem gradum vitæ: alia est enim rationalis, quæ consequitur gradum vitæ intellectualis, vt facultas intelligendi; alia sensitiua quæ consequitur gradum vitæ sensitiuæ, vt potentia videndi, & alia vegetatiua quæ consequitur gradum vitæ vegetantis, vt potentia nutriendi. Potentia non vitalis est etiam multiplex, iuxta multiplicem gradum entis non viuentis, vt v. g. potentia calefactiua in igne, potentia frigefactiua in aqua, & similes.

Porrò vtraque potentia, tam increata, quàm creata est iterum vel productiua vel transmutatiua; productiua, respectu alicuius termini, vel effectus vel operationis; transmutatiua verò, respectu subiecti transmutabilis & alterabilis. Potentia productiua tam in Deo quàm in creatura est iterum multiplex, iuxta multiplicem modum vel rationem producendi, scilicet vel ad intrà, vel ad extrà, vel immanenter, vel transeunter, &c.

Diuidi potest insuper potentia actiua, presertim creata ratione proprietatum, in indeterminatam, & determinatam. Indeterminata est quæ ex se potest vel variis modis agere, vt voluntas; vel etiam varios actus elicere, aut varios effectus producere, vt sol, & cœli.

Hìc prætermittenda non est præclara doctrina quam tradit Doctor noster in 1. dist. 7. qu. vnicâ, §. *Aliter dicitur*: Vbi occasione cuiusdam positionis Henrici, quâ volebat essentiam diuinam debere determinari ad hanc potius productionem, scilicet ad generationem, quàm ad aliam, nimirum ad spirationem, per relationem, cum ex se sit indeterminata, & omne indeterminatum indigeat aliquo determinatiuo: Docet quid sit discriminis inter indeterminationem potentiæ actiuæ, & indeterminationem potentiæ passiuæ; nimirum quia indeterminatio potentiæ passiuæ, requirit aliquid

per quod tollatur, & id quod est in potentia passiua determinetur; cùm ex se, nihil possit habere, per quod determinetur. Indeterminatio autem potentiæ actiuæ nullo indiget à quo determinetur. *Quod est indeterminatum,* inquit, *indeterminatione potentiæ actiuæ, est ex se sufficienter determinatum ad producendum quemlibet illorum effectuum, ad quos est indeterminatum; & hoc si passum dispositum, sit approximatum, ubi requiritur passum; vel ex seipso, ubi non requiritur passum. Patet, quia si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si est indeterminatum ad hoc, & ad illud; ex tali illimitatione, nulla tollitur perfectio causalitatis eius, respectu talis effectus; sed tantùm causalitas additur respectu alterius. Igitur ita potest istud & illud producere, ac si esset tantùm istius: & ita non requiritur aliquod determinans.*

Tertia Conclusio.

Quomodo describatur potẽtia actiua in vniuersum.

POtentia actiua in vniuersum, describi potest. Principium proximum eliciтiuũ alicuius operationis, vel effectiuum alicuius effectus, ad quem naturâ suâ ordinatum & destinatum est. Probatur inductione per omnes potentias: Virtus enim calefaciendi in igne, v. g. dicitur potentia actiua, quia est productiua caloris tanquam proprij & naturalis effectus & termini. Similiter virtus intelligendi in homine, dicitur potentia actiua, quia est principium eliciтiuũ intellectionis, tanquam naturalis operationis, &c. Et hæc quidem de potentia actiua productiua.

Potẽtia transmutatiua quid & quotuplex.

Potentiam actiuam transmutatiuam & propriè physicam definit Aristoteles 5. & 9. Metaphysic. cùm dicit esse principium transmutandi aliud in quantum aliud. *Potentia,* inquit, *dicitur quædam quidem principium motus, aut transmutationis in altero, aut prout alterum est, vt ædificatiua potentia est, quæ non inest in ædificato. Sed ars medendi, cùm sit potentia, inerit tamen in eo qui sanatur, sed non prout sanatur. Quædam igitur omninò principium transmutationis aut motus dicitur, potentia in altero, aut prout alterum est.* Id est, Istud potentiæ genus est potentia actiua, quæ est principium motus aut mutationis existentis in re diuersa, ab ea in qua ipsum principium est; aut si in eodem existit; non per se in ea est, sed per accidens. Exemplum principij quod est in re diuersa ab ea quæ mutatur, est potentia ædificandi. Eius autem quod est in eadem, sed non per se, est ars medicinæ, quæ licet aliquando sit in eo qui curatur, ægrotante scilicet; non est tamen in illo, prout curatur, cùm accidat ei qui curatur, habere in se principium actiuum curationis, nempe medẽdi artem.

Potẽtia transmutatiua non est potentia Metaphysica, & quare.

Doctor Subtilis 9. Metaphysic. qu. 4. §. *Ex prædictis,* obseruat aliqua, quæ non sunt hìc prætermittenda. Dicit ergo quòd Aristoteles definit hìc potentiam per respectum ad transmutabile; quo significat talem definitionem non esse metaphysicam, nec potentię actiuæ metaphysicè considerataæ: Sed esse physicam, & potentiæ actiuæ physicè consideratæ; quod similiter dici debet

de potentia paſsiua, prout hic definitur. Nec valet, inquit, iſta conſequentia: Ariſtoteles definit hanc potentiam in Metaphyſica: Ergo hæc definitio eſt Metaphyſica. Multa enim in Metaphyſica ponuntur pertinentia ad Phyſicam: Et è conuerſo. Poteſt tamen excuſari Ariſtoteles quare talem definitionem poſuerit, & non propriè Metaphyſicam: Fortè, inquit, quia potentia hoc modo deſcripta manifeſtior eſt; & quia ex hac, poteſt ſatis haberi ratio potentiæ actiuæ Metaphyſicæ, dimittendo nimirum illam conditionem, quæ contrahit eam ad naturalitatem; & ponendo aliquid generalius, quod pertineat ad Metaphyſicam. Sic, inquit, potentia actiua, ſecundùm vnam ſignificationem eius Metaphyſicè loquendo, erit principium agendi agibile: Secundùm aliam ſignificationem, principium actuandi actuabile. Similiter potentia paſsiua ſecundùm vnam eius ſignificationem, eſt principium ex quo poteſt aliquid mutari; ſecundùm aliam, eſt principium actuandi paſsiuè ab actu actiuo; ſecundùm aliam, eſt principium actuabile ſiue informabile ab actu, ſeu à principio actuali.

Porrò noſter magnus Alexander in ſuis Commentarijs ad hunc locum Ariſtotelis, optimè declarat cur principium tranſmutationis debeat eſſe in altero, ab eo, quod tranſmutatur: *Notandum*, inquit, *quòd potentia actiua hic vocatur principium, per quod poteſt aliquid agere in aliud, educendo de eo actum primum, vel formam, vel per quod aliquod agens poteſt mouere paſſum ad aliquam perfectionem. Illud autem quod mouet aliquid ad aliquam perfectionem, oportet quòd aliquo modo illam perfectionem prahabeat, vel virtualiter, vel formaliter: Si enim nullo modo illam habeat, nullo modo mouet paſſum ad illam (virtualiter autem dixi, propter agens æquiuocum; formaliter autem propter agens vniuocum.) Perfectio autem ad quam mouetur paſſum, aliquo modo præhabetur ab ipſa potentia actiua; obiectum autem iſtius potentiæ actiuæ eſt illud quod mouetur ad iſtam perfectionem, per potentiam actiuam; & ſicut de ratione potentiæ actiuæ eſt, quòd habeat illam perfectionem (aliàs ad illam non moueret) ita de ratione obiecti potentiæ actiuæ, quod eſt ipſum poſsibile, vel ipſum paſſum, eſt quòd illam perfectionem non habeat; ſed tamen poſsit habere. Si enim illam haberet, ad illam non moueretur: Sic ergo, ex hoc ſequitur quod ratio potentiæ actiuæ fundatur ſuper eſſe rei, quòd aliquo modo præhabetur. Ratio potentiæ paſsiuæ ſuper non eſſe, vel ſuper rem, quæ non habetur. Cùm ergo impoſsibile ſit quòd idem ſit, & non ſit; habeatur, & non habeatur; ideò impoſsibile eſt quòd idē ſit, in quo eſt potentia actiua, & illud in quo eſt ratio potentiæ paſsiuæ, ſcilicet poſſibile; imò neceſſariò vel potentia actiua eſt in altero, & obiectum eius in altero ſubiectiuè, ſicut ars ædificandi in ædificante, & poſſibile ædificari in ædificabili; vel ſi in eodem ſint ambo ſubiectiuè, non ſunt ſecundùm idem, ſed ſecundùm quod alterum.*

Principium actiuũ tranſmutationis debet eſſe in altero ab eo quod tranſmutatur.

Præclara Doctrina magni Alenſis.

Doctor Subtilis in 2. diſt. 25. qu. vnicâ, ad 2. principale, confirmat hanc Doctrinam, cùm

MMm ij

dicit potentiam & actum, seu mouens & motum, esse quandoque distincta subiecto, quandoque non: *Quando*, inquit, *sunt distincta subiecto particula*, In quantùm alterum, *reduplicat rem aliam & rationem aliam, vt potentia ædificandi, & ædificium v. g. Quando verò sunt indistincta subiecto, eadem particula reduplicat solùm formalem rationem aliam, vt facultas volendi respectu propriæ volitionis, vel respectu sui ipsius quatenus immutat seipsum per propriam volitionem: quia voluntas, inquantum potentia actiua, quæ potest elicere suam volitionem, est alia formalis ratio à potentia vel ratione recipiendi suam volitionem, ipsam perficientem.*

Præclara Doctrina Scoti quâ declaratur vnū & idem posse esse simul mouēs & motum; In actu & in potentia.

Paulò antè, respondendo ad quandam rationem Gotfredi, quâ nitebatur probare aliquid aliud à voluntate, phantasma nimirum, esse causam effectiuam volitionis, & non ipsam voluntatem; quia mouens & motum sunt distincta subiecto; & quia idem respectu eiusdem non potest esse simul in actu in potentia; Ita vt sit principium Metaphysicum, scilicet quòd vnum & idem non possit mouere seipsum. Respondendo inquam ad hæc, explicat quomodo mouens & motum debeant esse distincta; & quomodo vnum & idem possit simul esse in actu & in potentia. Et illud ipsum iam explicuerat in 1. dist. 3. q. 7. §. *Ad argumenta pro secunda opinione*. Et quia in eius dictis multa continentur scitu dignissima; si non omnia verba, saltem breuem eorum sensum proferamus.

Vnum & idem nonpotest esse simul in actu entitatiuo & in potentia obiectiua.

Negat itaque imprimis mouens & motum debere esse subiecto distincta necessariò; sed vnum & idem simplex, posse esse mouens & motum. Et cùm dicitur; Quale est agens in actu, tale est passum in potentia, &c. Dicit quòd si accipiantur actus & potentia vt sunt duæ primæ differentiæ entis, sic diuidunt omne Ens; & isto modo, est contradictio quòd idem sit in actu & in potentia simul, respectu eiusdem; quia potentia vt est differentia entis, distincta contra actum, est necessariò includens oppositionem vel negationem eius, respectu cuius ponitur potentia; vt album in potentia, non est album in actu, quandiu est in potentia: & isto modo est impossibile quòd aliquid sic existens in potentia, faciat se in actu; non tamen est necesse omne passum vel motum esse sic in potentia, & agens suum in actu. Alio verò modo, possunt considerari actus & potentia, prout scilicet diuidunt potentiam vel principium actiuum & passiuum, per vniuocum & æquiuocum. In vniuocis autem agentibus, verum est quòd tale est passum in potentia, quale est agens in actu; Et ideò est impossibile quòd idē sit in actu formaliter tale, & in potentia tale simul. Nec agens vniuocum potest agere in seipsum actione vniuocâ, hoc est inducendo in seipsum, formam eiusdem rationis cum illa, per quam agit. Si enim aliquid sic ageret in se; sequeretur quòd simul haberet formam eiusdem rationis ad quam moueretur; & dùm moueretur ad illam, care-

In agentibus vniuocis vnū & idem nonpotest esse simul in actu & in potentia respectu eiusdem.

ret illa: Igitur simul haberet illam & non haberet; saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadem.

In agẽtibus æquiuocis vnũ & idem potest esse in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem.

In agentibus verò æquiuocè, id est in illis agentibus, quæ non agunt per formam eiusdem rationis cum illa ad quam agunt; propositio illa, nimirum quòd nihil mouet seipsum, non habet necessitatem; nec probatio eius, nimirum quòd aliquid esset in potentia & in actu respectu eiusdem, aliquid concludit. Non enim ibi agens est tale formaliter in actu, quale passum est formaliter in potentia; sed agens est tale virtualiter in actu, quale passum est formaliter in potentia. Quòd autem idem sit virtualiter tale in actu, & formaliter tale in potentia, nulla est contradictio. Ista glossa de agentibus vniuocis & æquiuocis necessaria est; quia Philosophus posuit motum non tantùm in genere qualitatis, sed etiam in genere quantitatis, & vbi. In quantitate autem & vbi, nullum est agens vniuocum; quia in genere quantitatis & vbi, nulla est forma quæ sit principium inducendi similem formam: Imò, vt generaliter dicatur, quicunque motus est ad formam non actiuam, non est ab agente vniuoco; quia ex quo forma talis terminans, non est actiua; nulla eiusdem rationis est principium agendi. Sunt igitur apud Philosophum, multi motus ab agente non vniuoco, sed æquiuoco; & ibi, agens est virtualiter tale in actu, quale patiens est formaliter in potentia.

Et si dicatur, quòd nihil idem potest esse simul in potentia ad aliud, & actu habere illud eminenter vel virtualiter: Respondetur hoc esse falsum; quia hoc non est aliud dicere, quàm quòd tale non sit capax suæ perfectionis: Videmus autem quòd illi cui natura dedit potentiam vt possit augmentari, dedit ei potentiam augmentatiuam actiuam & effectiuam augmenti, & nutritiuam ad hoc quòd possit conseruari. Et ideò absurdum est quòd nobilissima forma, cuiusmodi est anima intellectiua, non habeat potentias actiuas suæ perfectionis accidentalis, & receptiuas eiusdem. Et quia non possunt in talibus formis, dari potentiæ actiua & passiua, quæ sint distinctæ subiecto, cùm non sint potentiæ organicæ; Ideò non distinguuntur subiecto: sed sunt ibi vnitiuè sine distinctione, ratione subiecti; non tamen sine dictione formali.

Si arguatur: Ergo in omnibus posset idem esse in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem; & sic quodlibet posset mouere se. Respondetur quòd in ista illatione est non causa vt causa. Nam ex generali ratione actus virtualis, & potentiæ ad actum formalem, nulla est repugnantia; quia si ex ista ratione, esset repugnantia, tunc & in quolibet esset repugnantia; tamen in aliquo, cum actu virtuali, concurrit aliquid aliud, propter quod repugnat illi quandoque esse in potentia, vel actu formaliter tale. Exempli gratiâ, esse calidum virtualiter in actu, & formaliter in potentia, de se non includit con-

traductionem vel repugnantiam: Et ideò in nullo subiecto includunt repugnantiam, quod propter hoc non possint esse simul, nec alterum esse ibi, quia alterum. Tamen sol qui est calidus virtualiter, non potest esse calidus formaliter: Et hoc non propter repugnantiam istorum, vt patet exemplo Saturni, qui est frigidus virtualiter, & tamen non potest esse calidus formaliter. Ergo actus virtualis non erat in eo, causa repugnantiæ, sed aliquid aliud, quod est commune soli & Saturno; nimirum quia sunt corpora simplicia & incorruptibilia: Caliditas autem formalis est qualitas corporis mixti & corruptibilis.

Quomodo idem virtualiter tale possit facere se formaliter tale. Si dicatur quod agens virtualiter tale, non potest facere se formaliter tale; quia habens aliquid modo eminentiori, faceret quòd haberet illud modo minùs eminenti. Respondetur duplicem esse continentiam virtualem, scilicet eminentialem, & in virtute. Quo posito, dicitur quòd ad hoc vt aliquid sit simul in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem, sufficit quòd contineat illum actum in virtute, scilicet productiua, non autem eminenter; quo pacto omne subiectum continet virtualiter passionem suam, & substantia quantum & quale, ex Philosopho 7. Metaphysic. textu 22.

Cùm dicitur illud esse principium Metaphysicum, nimirum nihil posse mouere seipsum, vel nihil esse simul in actu & in potentia. Respondetur hoc esse falsum; quamquam enim nihil moueat seipsum, tanquam seipsum; aliquid tamen potest mouere seipsum tanquam alterum, saltem formaliter. Item quamquam nihil sit simul in actu formali, & in potentia respectu eiusdem actus formalis; aliquid tamen est in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem eius, vt explicatum est. Plura vide apud Scotum locis citatis, & 9. Metaphysic. quæst. 14.

In potentijs reflexiuis, vnum & idem potest esse mouens & motum. Addit noster magnus Alensis loco superiùs citato, quòd si oporteat actum & potentiam, mouens & motum esse distincta re & subiecto; particula, *Alterum*, est intelligenda de obiecto potentiæ non reflexiuæ, qualis est potentia calefaciendi, quæ semper transmutat alterum re & subiecto; non autem de potentia reflexiua, qualis est voluntas, quæ potest reflecti supra seipsam, & amare seipsam: Ita vt sint idem re & subiecto, potentia & actus; mouens & motum, amans & amatum.

QVÆSTIO IV.

Quid sit, & quotuplex sit potentia passiua?



NEMO sanæ mentis negare potest dari potentias aliquas passiuas in rerum naturis, nō solùm physicis & mobilibus, vt sunt potentię

paſſiuæ noſtrorum corporum; verumetiam in immobilibus, & ſeparatis à materia, vt ſunt potentię paſſiuæ, in quibus recipiuntur actiones immanẽtes, quas eliciunt facultates animarum noſtrarum & ſubſtantiarum ſeparatarum, videlicet intellectiones & volitiones. Quo poſito, dubitatur ſolùm quid & quotuplex ſit potentia paſſiua?

Poẽtia paſſiua ad tria comparatur.

Prænotandum itaque 1. ex Doctore Subtili, 9. Metaphyſic. qu. 4. & 13. potentiam paſſiuam ad tria poſſe comparari, ſcilicet ad principiatum, ad formam, & ad agens: v. g. materia comparari poteſt ad totum compoſitum Phyſicum, quod eſt principiatum ex ipſa & ex forma; item ad formam, cum qua poteſt compoſitum conſtituere, putà vel ad formam ignis, vel ad formam equi, vel ad aliam; denique ad ipſum agens, videlicet ad generans Phyſicum, vel ad aliquod aliud potens introducere formam. Per reſpectum ad principiatum, dicitur potentia ex qua, inquit Scotus; per reſpectum ad formam, potentia in qua; & per reſpectum ad agens, potentia in quam.

Poẽtia paſſiua ſe habet ad formam tribus modis, naturaliter, violenter & neutraliter.

Prænotandum 2. Potentiam paſſiuam ſeſe habere ad formam tribus modis, vt obſeruat idem Doctor Subtilis quæſt. 1. Prologi Sententiarum, & 9. Metaphyſic. quæſt. 12. Nam vel eſt naturâ ſuâ inclinata & propẽſa in ipſam formam, vt potentia ignis, v. g. ad calorem, & potentia aquæ ad frigiditatem; vel habet renitentiam & reſiſtentiam ad ipſam, vt potentia paſſiua eiuſdem aquæ reſpectu caloris; vel neutro modo ſe habet ad ipſam, putà nec reſiſtendo, nec propendendo, ſed dicit ſolummodò capacitatem recipiendi ipſam, cum negatione violentiæ ſeu reſiſtentiæ, & naturalis inclinationis ad eamdẽ. Huius conditionis eſt v. g. potentia Angeli reſpectu huius vel illius vbi, & potẽtia ignis reſpectu motus vel quietis in proprio centro.

Circa hunc poſtremum modum, quo potentia paſſiua ſe habet ad formam, diſceptatur acriter. Quidam enim illum negant omninò; quia nimirum ex illo, ſequitur potentia neutra, quam illi non admittunt. Ita Caietanus in ſuis Opuſculis tomo 3. tractatu 3. quæſt. 1. & Soto 1. Phyſic. quę. 1. Alij variis modis illum explicant; & eorum aliqui ſuſtinent fieri poſſe vt forma paſſiua reſpiciat naturaliter aliquod commune communitate prædicationis, & tamen neutraliter reſpiciat inferiora illius communis, pręſertim ſi in illis non contineatur tota ratio illius communis. Ita noſter Franciſcus de Herrera, in 1. diſput. 1. quęſt. 7. vbi diſtinguit inter ſpecies reſpectu generis, & indiuidua reſpectu ſpeciei; quòd tota ratio ſpeciei ſit in ſingulis indiuiduis, at verò tota ratio generis non ſit in ſingulis ſpeciebus: Quia, inquit, ad rationem generis ſpectat quòd poſſit contrahi per multas differentias, hæc autem ratio non poteſt eſſe in ſingulis indiuiduis. Et cùm, inquit, genus in indiuiduis habeat rationem ſpeciei, fit vt tota ratio communis ſit in ſingulis indiuiduis. Hoc autem poſito, docet materiam v. gr. inclinari

naturaliter ad formam in communi, & etiam ad singulas formas indiuiduales; quia tota ratio formæ in se continetur in singulis formis indiuidualibus: Non inclinari verò naturaliter, sed tantùm neutraliter ad formas specificas; quia ratio formæ in se, non cōtinetur tota in singulis formis specificis. Alij sustinent fieri nō posse, vt potentia passiua respiciat naturaliter aliquod commune, & non respiciat naturaliter inferiora contenta sub ipso. Sic noster Rada in 1. controuersia 1. art. 1. vbi respondens ad quoddam argumentum Caietani; dicit Potentiam passiuam superficiei esse neutram respectu albedinis & nigredinis, quia etiam est neutra respectu coloris in se; quippe ad quem habet superficies dumtaxat capacitatem cum negatione resistentiæ & inclinationis. Hinc disceptatur inter illos, & inter alios Scotistas, an potentia pasiiua materiæ sit naturalis vel neutra respectu formarum. Franciscus de Herrera docet esse naturalem respectu formæ in se & formarum singularium, non autem formarum specificarum, vt dictum est. Rada docet esse naturalem respectu formæ in se, & etiam respectu omnium formarum, tum indiuidualium, tum specificarum. Pro vtraque sententia sunt authoritates desumptæ, ex veteribus Scotistis Licheto, Bargio, & aliis. Nihilominùs vt dissoluatur hęc controuersia,

Cōtrouertitur inter Scotistas de potētia neutra.

Pręnotandum 3. conformiter doctrinæ Doctoris Subtilis, Potentiam passiuam, sese habere duobus modis neutraliter ad formam, scilicet neutraliter tùm contrariè, tùm contradictoriè, nec propendendo, nec resistendo; & neutraliter indeterminatè & positiuè. Prior modus dicit tantùm capacitatem, & negat formaliter inclinationem naturalem. Secundus modus dicit & capacitatem, & inclinationem; sed negat determinatam inclinationem. Priori modo se habet superficies ad colorem & ad colores, quia habet tantùm capacitatem ad colorem in se, & ad quæcumque inferiora coloris: Negat tamen inclinationem naturalem ad ipsos, quatenùs superficies est; ita quòd neutralitas potentiæ passiuæ superficiei, respectu colorum & etiam coloris in se, sit tantùm contradictoria & negatiua; quia nec appetit, nec non appetit ipsos, quatenùs superficies est: namque superficies cœlorum & elementorum sunt veræ superficies, nec tamen naturaliter appetunt colores: quò fit vt si superficies mixtorum, colores appetant naturaliter; non quia sint superficies simpliciter, sed quia sunt superficies talium vel talium corporum, habentium videlicet tales, vel tales formas, quas necessariò & naturaliter consequuntur superficies coloratæ. Posteriori modo se habet potentia passiua materiæ, non quidem ad formam in se, sed ad formas, tùm specificas, tùm indiuiduales; quia non modò naturaliter, sed etiam determinatè appetit formam in se; ita quòd non sit indifferens & neutra contradictoriè & negatiuè scilicet, tùm ad formam habendam, tùm ad non habendam: At verò, licet naturaliter,

Neutralitas duplex.

naturaliter, non tamen determinatè, appetit hanc vel illam formam, huius vel alterius speciei; sed indeterminatè, atque consequenter neutraliter, positiuè scilicet, & quasi contrariè. Hinc fit vt potentia passiua non possit esse naturalis respectu alicuius communis, quin sit etiam naturalis respectu inferiorum illius communis, si per naturalitatem illam intelligatur inclinatio & propensio, quæcumque illa sit, siue determinata, siue indeterminata: cum hoc tamen, potentia passiua potest respicere naturaliter aliquod commune, & neutraliter inferiora ipsius, modo ly, neutraliter, idem significet atq; indeterminatè, & indifferenter. Hoc modo intelligendi sunt omnes nostri, qui dicunt potentiam passiuam materiæ esse neutram, respectu cuiuscumque formæ, licet interim sit naturalis, quia est neutra solùm propter indeterminationem; naturalis verò propter inclinationem & propter negationem violentiæ. Neque aliud haberi potest ex his verbis Doctoris Subtilis in 1. distinct. 1. quæst. 1. in fine vbi habet: *Dico quòd quies violenta numquam est nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum, sicut exemplificatur de graui respectu deorsum, vel descensus, & quiete eius super trabem; materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideò sub quacumque quiescit, non violenter sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque.*

Potentia passiua cō- Prænotandum 4. potentiam passiuam comparari posse ad duplex agens, scilicet ad agens naturale, & ad agens supernaturale. Agens naturale voco illud quod est inductiuum formæ naturalis, & modo naturali, id est, proportionatè viribus rerum. Agens supernaturale voco illud quod est inductiuum, vel formæ supernaturalis, vel formæ naturalis modo supernaturali, seu superante actiuitatem naturalem rerum. paratur ad duplex agens.

Prænotandum 5. agens supernaturale, quantùm spectat ad præsens institutum, duobus modis posse respicere potentiam creaturæ: Priori modo, inducendo in ipsam formas supernaturales, vel naturales modo supernaturali, vt dictum est; secundò, vtendo ipsa creatura ad nutum eius, quocumque modo eâ vtatur, siue in finem supernaturalem, siue in finem naturalem, dummodò id quod circa ipsam exequitur, superet generalem modum agendi eius, & sit aliquid speciale contentum intra solam actiuitatem ipsius. Agens supernaturale duobus modis respicere potest potentiam creaturæ.

Prænotandum vltimò naturale, ex dictis, dici posse duobus modis de potentia passiua, nimirum per habitudinem ad formam, & per habitudinem ad agens. Per habitudinem ad formam, naturale opponitur violento vel indeterminato: Violento, si dicat naturalem inclinationem vel non resistentiam; indeterminato, si naturale dicat determinationem: Per habitudinem ad agens, opponitur supernaturali. Sed vltra hanc naturalitatem, assignari potest alia, quâ nimirum potentia passiua dicatur naturalis, quia est natu- Naturale dicitur duobus modis de potentia passiua.

raliter congenita: Quocumque enim modo sese habeat, siue ad formam, quæcũque illa sit, siue ad agens, quodcumque etiam illud sit, dici semper debet naturalis, quia non est aliqua res superaddita naturis rerum, aut ab eis distincta realiter, sed est ipsamet entitas naturalis earumdem rerum, vel saltem aliquid distinctum tantùm formaliter ab ipsa entitate naturali. Hinc naturale dicitur iterum dupliciter de potentia passiua, nimirum subiectiuè, & respectiuè seu formaliter; subiectiuè, quatenus est naturaliter cõgenita rei cuius est; formaliter verò quatenùs naturaliter respicit vel formam à qua potest perfici, vel agens, à quo potest aliquid recipere. His positis, sit hæc

Prima Conclusio.

Quid sit potentia passiua. Potentia passiua in vniuersum describi potest, Principium ex quo, vel in quo aliquid produci & recipi potest, tanquam in proprio perfectibili & actuabili. Sumi potest ista conclusio ex Doctore Subtili 9. Metaphysic. qu. 4. §. *Ex prædictis.* Vbi refert varias descriptiones potentiæ passiuæ etiam Metaphysicè consideratæ, quibus dicit esse vel principium ex quo aliquid potest mutari; vel principium actuandi passiuè ab actu actiuo; vel principium actuabile siue informabile ab actu seu à principio actuali. Potentia passiua transmutabilis describitur, Principium transmutationis ab altero. Et hæc quidem omnia patent ex dictis.

Secunda Conclusio.

Potentia passiua per habitudinem ad formam, dicitur naturalis, vel violenta, vel neutra. Est Doctoris Subtilis qu. 1. Prolog. & 9. Metaphysic. qu. 12. Et patet ex secundo prænotato, vbi dictum est potentiam passiuam se habere tribus modis ad formam, scilicet naturaliter; & inde potentia naturalis, vt potentia passiua ignis respectu caloris; vel violenter & resistendo, & inde potentia violenta, vt potentia aquæ, respectu eiusdem caloris; vel neutro modo, & inde potentia neutra, vt potentia superficiei respectu coloris. Probatur autem potentiam passiuam legitimè ita diuidi per habitudinem ad formam. Quia manente solâ habitudine ad formam, cæteris omnibus circumscriptis, potentia est vel naturalis, vel violenta, vel neutra: circumscripto enim quolibet agẽte, non minùs aqua, v. g. est violenter sub caliditate quamdiu remanet sub illa, ac præsente agente: Ergo signum est violentiam illam præcisè denominare potentiam illam aquæ, per habitudinem ad talem formam, circumscripto omni alio. Et idem iudicium esse debet de potentia naturali, & neutra. — Potẽtia passiua per habitudinem ad formã, est naturalis, violenta, vel neutra.

Obiectio. Obijcitur nihilominùs: Violentum ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 3. dicitur illud cuius principium est extrà, non conferente vim passo: Ergo ratio violenti non solùm desumitur essentialiter & per se, ex comparatione passi ad formam; sed

etiam ex comparatione ad agens. Respondetur negando consequentiam; & ad probationem dicendo, quòd in descriptione violenti, ponitur agens tanquam extrinsecum, & non tanquam per se complens, nec tanquam per se constituens rationem violenti; quippè quæ completur & constituitur per illam particulam, passo non conferente vim, id est, non præbente inclinationem.

Solutio Quomodo intelligi debeat definitio violenti.

Ex his sequitur, primùm, potentiam illã, quæ respectu aliquarum formarum, non est violenta, esse naturalem vel neutram; ideoque potentiam passiuam intellectus vel voluntatis, respectu formarum supernaturalium, esse vel naturalem, vel neutram, si non sit violenta. Constat autem non esse violentam, quia illæ formæ maximè perficiunt & exornant potentias, in quibus recipiuntur: quâ ratione dicit Doctor Subtilis in 1. dist. 1. intellectum nostrum non quietari perfectè, nisi in Ente primo; quia perfectissima ratio entis, quod est obiectum commune nostri intellectus, in solo primo ente reperitur. Restat itaque vt sit naturalis vel neutra. Quæritur autem vtra sit?

Noster Franciscus de Herrera in 1. disput. 1. qu. 5. conclus. 3. sustinet esse neutram dumtaxat. Rada in 1. controuers. 1. art. 1. conclus. 3. affirmat esse naturalem, non modò subiectiuè, sed etiam respectiuè & formaliter. Sed positis nostris fundamentis, vtraque sententia potest reduci ad sensum verum. Imprimis enim eatenus potentia illa est naturalis, quatenùs naturaliter propendet facultas creata in dictas formas. Est etiam neutra, quia non est determinata ad illas; sed est indeterminata tùm ad formas supernaturales, tùm ad formas naturales; & adhuc intra latitudinem formarum supernaturalium, est indeterminata ad hanc vel illam, huius vel alterius speciei.

Quomodo potentia creaturæ sit naturalis & neutra respectu formarum supernaturalium.

Primum breuiter suadetur authoritate tùm D. Thomæ, tùm Doctoris Subtilis. Dicit enim D. Thomas 1. 2. qu. 113. art. 10. *Secundò, in quibusdam miraculosis operibus inuenitur, quòd forma inducta, est supra naturalem potentiam talis materiæ; sicut in suscitatione mortui, vita est supra naturalem potentiam talis corporis. Et quantum ad hoc, iustificatio impij non est miraculosa; quia naturaliter anima est gratiæ capax. Eo enim ipso quòd facta est ad imaginem Dei, capax est Dei, per gratiam.* Item 1. part. qu. 48. art. 4. ait habilitatem animæ ad gratiam consequi naturam eius. Dicit etiam Doctor Subtilis qu. 1. Prologi: *Ad propositum dico, quòd comparando intellectum possibilem ad notitiam actualem in se, nulla est sibi cognitio supernaturalis, quia intellectus possibilis quacumque cognitione naturaliter perficitur, & ad quamcumque naturaliter inclinatur.*

Ratio esse potest, quia quęlibet potentia passiua naturaliter appetit suum perfectiuum, & maximè suum perfectissimum perfectiuum: Sed quælibet forma etiam supernaturalis, est maximè perfectiua potentiæ creatæ. Ergo summè illam appetit.

Obijci solet aduersus istud:

Obiectio 1. Cuilibet potentiæ passiuæ naturali correspondet sua actiua naturalis: sed in natura creata, non est potentia actiua naturalis respectu formarum supernatulium. Ergo neque potentia passiua naturalis. Minor patet. Maior probatur, tùm authoritate Aristot. 3. de anima textu 17. Vbi probat dari intellectum agentem, quia datur intellectus possibilis: tùm quia aliàs potentia illa passiua esset frustrà in natura, si illi actiua non corresponderet in eadem natura.

Solutio. Sufficit quòd in tota amplitudine entium, detur potentia actiua explens appetitum potentiæ illius passiuę.

Respondeo negando maiorem. Nam vt habet Doctor Subtilis q. 1. Prologi, aliquando contingit naturam propter sui excellentiam ordinari naturaliter, ad recipiendum perfectionem ita eminentem, vt non possit sub esse causalitati agentis naturalis. Nec propterea potentia illa passiua est frustrà in natura; quia sufficit vt illi correspondeat aliquod actiuum in tota coordinatione entium, putà agens supernaturale, virtute cuius complete reducatur ad actum. Ad Aristotelem dicitur non eo præcisè probari intellectum agentem, quia detur intellectus possibilis; sed quia possibilitas vnius & actiuitas alterius possunt esse eiusdem ordinis. Sufficit enim ad probandum intellectum agentem, quòd intellectus possibilis possit plerumque & in plerisque subijci actiuitati intellectus agentis, quo modo reuera subijcitur in his omnibus quæ sunt ordinis naturalis, vel saltem materialis pro hoc statu.

Obiectio 2. Obijcit prætereà Caietanus: Ad actum supernaturalem ratione modi, cuiusmodi est v. g. visus restitutus cæco, nulla est potentia naturalis; ergo multò minùs erit potentia naturalis, ad actus supernaturales secundùm se. Consequenia patet: quia si id quod magis videtur inesse, non inest; quod minùs videtur inesse, non inerit. Antecedens probatur ex frequenti vsu, quo naturalem potentiam ad miracula negamus.

Solutio. Respondeo hoc argumentum laborare in ęquiuoco: procedit enim à potentia actiua naturali, ad potentiam passiuam naturalem. Eapropter concedimus vltrò, ad formas supernaturales tùm secundùm se, tùm secundùm modum, nullam dari potentiam actiuam naturalem, dari tamen passiuam naturalem.

Ad formas supernaturales non datur potentia naturalis actiua, benè tamen passiua.

Secundum, nimirum potentiam passiuam creaturæ esse neutram, scilicet per indeterminationem & per indifferentiam, respectu formarum supernaturaliū, ita breuiter suadetur.

Potentia passiua creaturæ est neutra per indeterminationem respectu formarum supernaturaliū.

Potentia creaturæ est indeterminata, tùm ad formas naturales, tùm ad formas supernaturales, & etiam ad quaslibet supernaturales; aliàs si esset determinata ad supernaturales, violenter quiesceret sub naturalibus: & vice versâ, si esset determinata ad naturales, violenter quiesceret sub supernaturalibus. Item, si esset determinata ad aliquam supernaturalem, violenter quiesceret sub altera; quæ omnia manifestè falsa sunt. Ergo potentia passiua creaturæ, est neutra per indifferentiam & indeterminationem, respectu formarum naturalium & superna-

turalium : ac etiam ſupernaturalium ad inuicem comparatatum.

Repre-hendi-tur de Herre-ra.

Noſter Franciſcus de Herrera non capiens fortè hanc rationem potentiæ paſſiuæ creatæ neutrius, reſpectu formarum ſupernaturalium, ſed ſolam rationem potentiæ neutrius per negationem reſiſtentiæ & inclinationis naturalis, valdè malè philoſophatus eſt, etiam apertè contra mentem Doctoris Subtilis in primo, Diſput. 1. q. 5. Concluſione 3. Dicit enim potentiam paſſiuam creaturæ, eſſe neutram reſpectu formarum naturalium & ſupernaturalium, quia ad nullas naturaliter inclinatur. Quando enim, inquit, aliqua potentia eſt inclinata ad aliquam formam naturaliter, ſemper quieſcit violenter ſub forma quæ includit carentiam illius, ad quam inclinatur: ſicut v. g. quia lapis inclinatur ad centrum, ſemper quieſcit violenter, in quocumque loco ſit, qui non habet rationem centri: vnde quando deſcendit deorſum, nunquam quieſcit, ſed ſemper mouetur, vſq; dum eſt in centro. Ergo ſi in anima, eſt inclinatio naturalis, & propenſio ad gratiam, charitatem, & fidem: Ergo in puris naturalibus creata, vel creata in rectitudine naturali, & non eleuata ad claram Dei viſionem, in tali rectitudine quieſceret violenter, quod tamen falſum eſt; quia ſi Deus relinqueret naturam creatam in perfectiſſimo ſtatu rectitudinis naturalis, violenter non quieſceret in illo.

Hæc autẽ valdè malè dicta ſunt. Quia in primis Doctor Subtilis q. 1. prologi, diſertis verbis aſſerit intellectum poſſibilem inclinari naturaliter ad quamcumque cognitionem tùm naturalem tùm ſupernaturalem; ideoque cognitionem ſupernaturalem non eſſe ſupernaturalem, niſi per ordinem ad agens, quia nimirum ſolum agens ſupernaturale poteſt illam infundere.

Prætereà innititur falſo fundamento; quia non habetur quies violenta, ex eo quòd ſit ſub forma, quæ includit carentiam illius, ad quam potentia eſt inclinata naturaliter; ſed ſolùm ex eo quòd ſit ſub forma quæ includit carentiam illius ad quam potentia eſt inclinata determinatè, ex Doctore Subtili in primo dist. 1. q. 1. in fine. *Dico, inquit, quòd quies violenta, nunquam eſt, niſi quieſcens determinatè inclinetur ad oppoſitum, ſicut exemplificatur de graui reſpectu deorſum.* Et eâ etiam ratione docet materiam ſub quacumque forma quieſcere non violenter, ſed naturaliter, propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque. Et ita potentia creaturæ quieſcet non violenter, ſed naturaliter ſub quacumque forma, ſiue naturali ſiue ſupernaturali, propter indeterminatam inclinationem eius ad quamcumque. Ideoque potentia illa erit naturalis propter inclinationem, neutra tamen propter indeterminatam inclinationem.

Aliud quod ſequitur tum ex concluſione, tum ex dictis hactenus, eſt dari potentiam aliquam neutram, ſiue per negationem reſiſtentiæ & inclinationis, ſiue per indifferentiam & indeterminatam inclinationem. Po- Poten-tia neu-tra du-plex.

tentia passiua prioris generis, est potentia Angeli v. g. respectu loci & carentiæ loci; quia Angelus naturaliter non appetit esse in loco, cùm hoc sit proprium corporibus. Item, potentia cœli respectu motus & quietis; illa enim imprimis non est violenta sub motu, vt patet, nec etiam naturalis secundùm Auicennam 9. Metaphy. c. 2. vbi ait quòd motus cœli non est naturalis; quia tunc terminaretur ad quietem naturalē, & motus ab illa quiete, esset violentus: Ergo potentia illa est neutra: Ergo indifferenter cœlum se habet ad motum & ad quietem. Item, potentia superficiei respectu coloris, atque consequenter respectu albedinis vel nigredinis; quia, vt dictum est, superficies quà superficies, non appetit naturaliter colorem; sed tantùm quà superficies corporis mixti.

Potentia neutra posterioris generis est v. g. potentia materiæ, respectu huius vel alterius formæ. Item, potentia animæ respectu formæ naturalis vel supernaturalis, & respectu huius vel alterius formæ naturalis, putà huius vel alterius intellectionis, huius vel alterius volitionis, huius vel alterius habitus acquisiti, ac etiam huius vel alterius formæ supernaturalis, putà vel fidei, vel spei, vel charitatis, vel alterius.

Mitto in artificiatis etiam reperiri huiusmodi potentiam neutram. Nam v.g. lignum est in potentia neutra respectu figuræ Mercurij, vel cathedræ, vel scamni.

Argumenta Cajetani & aliorum, quibus impugnatur potentia neutra, procedunt omnia ex æquiuocatione potentiæ neutrius per negationem resistentiæ & inclinationis naturalis; & per indeterminatam inclinationem. Quare positâ hâc distinctione, facilè solui poterunt, & conciliari omnia quæ varijs in locis habentur, tum apud Doctorem Subtilem, tum apud nostros Scotistas.

Tertia Conclusio.

Potentia passiua creaturæ per habitudinem ad agens, dicitur naturalis vel supernaturalis; naturalis, si agens sit naturale; supernaturalis, si agens sit supernaturale. Conclusio est Doctoris Subtilis q. 1. Prologi: Et ita breuiter suadetur. Illud est præcisè ratio alicuius, quo posito, circunscripto vel variato quocunque alio, sequitur effectus formalis talis rationis: Sed positâ solâ habitudine potentiæ passiuæ ad agens, secluso omni alio respectu, ad formam, vel ad quodcunque aliud, manet ratio naturalitatis & supernaturalitatis in potentia passiua creaturæ. Ergo ex sola habitudine potentiæ passiuæ ad agens, desumitur ratio naturalitatis & supernaturalitatis in ipsa. Maior est nota. Minor probatur. Si creatura reciperet formam aliquam naturalem ab agente supernaturali; putà si aqua immediatè reciperet frigiditatem à Deo; reciperet illam supernaturaliter: vice versâ, si illamet reciperet formam supernaturalem ab agente naturali, reciperet illam naturaliter; quia modus recipiendi sequitur mo-

Per respectum ad agens, dicitur potentia passiua creaturæ, naturalis, vel supernaturalis.

dum infundendi. At per habitudinem ad agens naturale vel supernaturale, formæ illæ inducerentur naturaliter vel supernaturaliter. Ergo reciperentur quoque naturaliter vel supernaturaliter. Et ita naturalitas & supernaturalitas potentiæ passiuæ creaturæ, sumi debent ex habitudine ipsius ad agens.

Quid sit potentia obediētialis.

Non immoror in explicanda potentia obedientiali; tùm quia spectat ad Theologos, tùm quia est tantùm aliqua species potentiæ supernaturalis, tùm quia de ea, pauca habet Doctor Subtilis. Moneo tantùm potentiam obedientialem ex Scoto 9. Metaphysic. q. 12. esse eam quâ creatura perfectissimè constituitur sub imperio & dispositione agentis supernaturalis; ita quòd nihil aliud dicat quàm subiectionem respectu eiusdem agentis potentis de obediente facere quod vult. Specialiter autem explicat ibidem, idem Doctor potentiam obedientialem materiæ, his verbis: *Videtur dicendum quòd cùm formæ naturales habeant ordinem necessariò in succedendo sibi inuicem in materia, secundùm quod manifestum est ad sensum, & aliqui accipiunt ab Aristotele 8. huius, cap. 4. De vino & aceto, &c. Cuius tamen propter quid, difficile esset aßignare; oportet dicere quòd materia vt est sub vna forma, non est nata transmutari immediatè ad quamcunque, sed ad determinatam. Sed quia ordo ille non est necessarius, nisi in quantùm materia transmutatur ab agente naturali, cuius virtuti non subijcitur ille ordo; ideò hìc habet locum potentia obedientialis, secundùm quam, materia cuiuscumque formæ capax est immediatè, post quamcunque, per transmutationem ab agente cuius virtuti subest dictus ordo. Itaque præcisè per respectum ad efficiens, non est nisi duplex potentia in materia, quia vel limitatè subijcitur agenti, quantùm scilicet primò ad formas determinatas; & secundo quantùm ad modum determinatum recipiendi illas absolutè, putà per modum talem vel talem; & tertiò quantùm ad ordinem determinatum recipiēdi hanc post illam. Vel illimitatè subijcitur, scilicet quantùm ad receptionem cuiuscunque perfectibilis in esse; & quocunque modo; & quocunque ordine. Prima potentia dicitur naturalis; quia natura est determinata ad aliquod vel ad aliqua, secunda dicitur obedientialis, quia illa est quâ materia subijcitur agenti tali & perfectè.* Hæc Scotus: Ex quibus patet nostrum Ioannem de Rada malè docuisse ex Scoto hìc, potentiam obedientialem reduci vel ad potentiam supernaturalem, vel ad potentiam naturalem ex habitudine ad agens desumptam, vt habet in 1. contr. 1. art. 1. Nam ex hactenus dictis, potentia obedientialis non dicitur nisi ex habitudine ad agēs, cuius virtuti subest illimitatio inductionis formarum, inuersio modi & ordinis receptionis earundem; quale est solum agens supernaturale. Adde quòd disertè Scotus habet in 3. dist. 1. q. 4. in principio, potentiam obedientialem in creatura respicere duntaxat efficientiam primi efficientis, & non aliam potentiam actiuam.

QVÆSTIO V.

Vtrùm omni potentiæ actiuæ correſpondeat paſsiua proportionata; & vice verſâ?



PRÆNOTANDVM primò potentiam actiuam eſſe duplicem, ſcilicet increatam & creatam, vt dictum eſt.

Potẽtia paſſiua duplex. Prænotandum 2. potentiam paſsiuam prout ſpectat ad præſens inſtitutum, eſſe etiam duplicem, ſcilicet realem & obiectiuam. Potentia paſsiua realis, eſt principium tranſmutationis ab altero, vt dicit Ariſtoteles, vel principium actuandi paſsiuè ab actu actiuo; aut principiũ actuabile, ſiuè informabile ab actu ſeu à principio actuali, vt dicit Scotus 9. Metaphyſic. qu. 4. Potentia obiectiua eſt differentia vel proprietas quædam entis, ſecundùm quam aliquid cenſetur obiectum & terminus poſsibilis potentiæ diuinæ, quę propterea non dicitur paſsiua, quòd ſit principium patiendi vel recipiendi aliquid in aliquo iam exiſtente, ſed quòd reſpiciat potentiam actiuam diuinam, tanquam proprium correlatiuum eius.

Natura quatuor modis ſumitur. Prænotandum 3. naturam quantùm ſpectat ad præſens negotium ſumi multis modis: Primò pro differentia vel proprietate agentis naturalis, quâ diſtinguitur ab agente ſupernaturali. Secundò pro principio intrinſeco motus vel quietis, prout deſcribitur 2. Phyſic. Tertiò pro principio actiuo naturaliter, quatenùs natura diſtinguitur contra artem ſiue propoſitum, propter oppoſitum modum principiãdi. Quartò deniq; pro toto ambitu entis, quomodo ſolemus dicere hoc vel illud eſſe, vel non eſſe in rerum natura. Et hæc quidem accipiuntur à Scoto qu. 1. Prologi, & in 4. diſt. 45. qu. 4. & alibi. His poſitis, ſit

Prima Concluſio.

VNiuerſim loquendo, non omni potentiæ actiuæ correſpondet paſsiua proportionata, ſaltem propriè dicta. Concluſio eſt Doctoris Subtilis in 1. diſt. 5. quæſt. 2. circa finem. Et ratio eſt: Quia omnipotentia diuina eſt potentia actiua; & tamen illi non correſpondet paſsiua propriè dicta; ſcilicet, vel in quam, vel de qua, vel ex qua aliquid producat, quia creat ex nullo præexiſtenti ſubiecto: Ergo non omni potentiæ actiuæ correſpondet paſsiua proportionata, ſaltem propriè loquendo de potentia paſsiua. Quod dico propter potentiam obiectiuam, quæ dici poteſt aliquo pacto potentia paſsiua correſpondens potentiæ actiuæ diuinæ: ſed illa non eſt propriè potentia paſsiua, vt conſtat. Multò minùs correſpondet potentia paſsiua ad intrà, quia in Deo nulla eſt potentia paſsiua, vt docet Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. Non omni potẽtiæ actiuæ correſpondet paſſiua proportionata.

Secunda Concluſio.

Omni potẽtiæ actiuę creatæ reſpondet aliquapaſ. ſiua pro portionata.

OMni potentiæ actiuæ creatæ correſpondet aliqua paſſiua proportionata. Ratio concluſionis eſt in promptu quia; omnis potentia actiua creata, agit vel ex aliquo, vel in aliquid, & omnis actio eius recipi debet in aliquo ſubiecto: Illud autem eſt potentia paſsiua correſpondens potentiæ actiuæ: Ergo omni potentiæ actiuæ creatæ, correſpondet paſsiua proportionata.

Tertia Concluſio.

Non omni potentiæ paſſiuæ correſpondet acti ua proportionata.

NON omni potentiæ paſsiuæ correſpondet actiua proportionata, ſaltem in eodem ordine. Concluſio eſt Doctoris Subtilis qu. 1. Prologi, & in 4. diſt. 43. qu. 3. ad argumenta principalia: & ratio eſt à nobis ſuperiùs inſinuata, quia in creatura eſt potentia paſsiua naturalis reſpectu formarum ſupernaturalium; & tamen huic potentiæ non correſpondet actiua naturalis, quia formæ ſupernaturales inducuntur tantùm ab agente ſupernaturali, cùm propter ſui eminentiam & excellentiam non ſubſint cauſalitati agentis naturalis: Ergo non omni potentiæ paſsiuæ correſpondet actiua proportionata, & in eodem ordine, quia naturali non correſpondet naturalis. Nec ideò fruſtrà eſt illa potentia in natura creata, quia in tota coordinatione entium correſpondet illi aliqua actiua. Aliter iterum probari poſſet iſta concluſio, nimirum exemplo materiæ primæ, cuius capacitas & potentia eſt penè infinita, quippe ex qua poſſent innumera alia corpora, putà alia elementa, & alij cœli conſtitui: cui tamen potentiæ non correſpondet actiua naturalis, prout naturale opponitur ſupernaturali; quia nullum agens naturale hoc pacto, poteſt iſta procreare ex materia, vt per ſe notum eſt.

Quarta Concluſio.

Non omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis, ſumendo natura le pro neceſſario.

NOn omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis, ſumendo potentiam actiuam pro potentia agentis naturali neceſſitate. Doctor Subtilis in 4. diſtinct. 43. qu. 3. affirmat hanc concluſionem eſſe contra Philoſophos, quia docebant nullum eſſe paſſum in natura cui non correſponderet primũ efficiens: At primum efficiens volebant agere neceſſitate naturali ad extra: Ergo potentiæ paſſiuæ naturali volebant correſpondere actiuam naturalem; ſumendo naturale pro agente naturali neceſsitate: Falſitas autem huius rei apparet ex communi conſenſu Theologorum, & ex fide ipſa, qua docemur primum agens agere ad extrà liberè.

Quinta Concluſio.

Non omni potentiæ paſſiuę naturali correſpondet actiua natura-

NOn omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis, ſumendo naturam pro principio intrinſeco motus & quietis. Concluſio eſt Doctoris qu. 1. Prologi. Et ratio eſt, quia multa ſunt, inquit, naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium in-

lis, sumendo naturā vt est principium motus & quietis. trinsecum actiuum: quomodo, v. g. materia prima habet in se principium passiuum intrinsecum formarum; neque tamen habet principium intrinsecum actiuum illi correspondens, quia non ab intrinseco, sed ab extrinseco agente inducuntur formæ in materiam.

Circa hanc conclusionem incidit aliqua difficultas ex doctrina Scoti: Docet enim in 2. dist. 18. definitionem, quam Arist. tradit de Natura 2. Physic. vt sit principium motus & quietis, esse intelligendam de principio passiuo; quia nimirum significat naturalem inclinationem rei naturalis ad motum, & ad quietem; qualis est, v. g. natura rei grauis, quâ inclinatur naturaliter ad motum & ad quietem in centro. Hîc autem sumit naturam pro principio actiuo intrinseco. Sed dico quòd Doctor hîc non intendit exponere Aristotelem; sed intendit tantùm loqui de principio actiuo naturali, quodcumque illud sit. Sicut dicimus quòd grauia non tantùm dicuntur entia naturalia, quia habent naturalem inclinationem ad motum & ad quietem, sed etiam quia habent principium intrinsecum sui motus & quietis, vt patet ex his quæ habet in 2. dist. 2. qu. 10.

Vltima Conclusio.

Quo sensu omni potentiæ passiuæ naturali CVilibet potentiæ passiuæ naturali correspondet actiua naturalis, sumendo naturale pro eo omni quod continetur in toto ambitu entis. Probatur: Quia aliàs esset frustrà potentia passiua cui nulla correspondere actiua: Ergo saltē in toto ambitu Entis, debet dari aliqua potentia actiua, quæ correspondeat potentiæ passiuæ naturali: Vsus autem obtinuit, vt ille totus entis ambitus natura diceretur: Ergo cuilibet potentiæ passiuæ naturali, correspondet aliqua actiua naturalis, sumendo naturam pro toto ambitu entis. Ita philosophatur Scotus locis citatis. correspōdeat actiua naturalis.

QVÆSTIO VI.

An detur aliqua potentia purè actiua; & aliqua purè passiua; & aliqua mixta ex vtraque; & aliqua quæ nullius istarum rationem habeat?



Quid potentia purè actiua, purè passiua & mixta. PRÆNOTANDVM 1. potentiam illam esse purè actiuam, quæ est vel elicitiua, vel productiua, vel effectiua sui actus, & non receptiua eiusdem; potentiam verò illam esse purè passiuam, quæ è contrario est receptiua actus alicuius, & nullo modo productiua eiusdem: Potentiam denique illam esse mixtam ex vtraque, quæ tùm agendi, tùm recipiendi capax est.

Quo sensu sit intelligenda Quæstio. Prænotandum 2. quæstionem propositam esse intelligendam transcendenter, & respectu totius ambitus entis; non verò prædicamentaliter & respectu

alicuius determinati generis, putà qualitatis, in qua docent communiter Philosophi nullam esse potentiam purè passiuam, quippe cùm vt patet inductione, nulla reperiatur qualitas, quæ naturâ suâ sit tantùm ordinata ad patiendum & recipiendum. His positis, sit

Prima Conclusio.

Dantur aliquæ potentiæ purè actiuæ.

Dantur aliquæ potentiæ purè actiuæ. Patet imprimis exemplo potentiæ actiuæ diuinæ, quæ purè & simpliciter actiua est, & nullo modo passiua. Patet secundo exemplo quarumdam aliarum potentiarum creatarum, quæ naturâ suâ ordinatæ sunt ad agendum, & nullo modo ad patiendum, vel recipiendum saltem illos actus quos eliciunt, vel illos effectus quos producunt. Huius conditionis sunt v. g. vis attractiua magnetis, & intellectus agens, vt sic.

Secunda Conclusio.

Dantur aliquæ potentiæ purè passiuæ.

Dantur quædam potentiæ purè passiuæ. Patet exemplo materiæ primæ, quæ est in potentia purè passiua, & quæ nullam ex se habet virtutem producendi vel emittendi ex proprio gremio vllam formarum quas potestate continet; sed tantùm virtute agentis.

In prædicamento qualitatis, nulla datur qualitas purè passiua.

Occasione autem huius veritatis; quæri potest vlterius rationabiliter, num sistēdo in determinata categoria qualitatis, assignari possit etiam aliqua potentia purè passiua? Cui breuiter respondetur negatiuè. Hactenus enim nulla qualitas assignata est quæ sit purè passiua. Et ratio reddi potest; quia substantiæ tùm spiritales, tùm corporeæ per se immediatè sunt receptiuæ suarum perfectionum, absque eo quòd illis superaddatur aliqua qualitas solùm ex natura sua, ordinata & determinata ad recipiendum istas perfectiones. Negari quidem non potest quin dentur aliquę qualitates dispositiuæ subiectorum suorum; ac per hoc ordinatæ ad receptionem: sed illæ non sunt purè passiuæ, imò verò non ordinantur ad receptionem nisi actiuè, quia agunt disponendo subiecta quorum sunt qualitates dispositiuæ.

Obiectio 1. Solutio. Humiditas & siccitas nō sunt qualitates passiuæ simpliciter, sed tantùm cōparatè.

Obijci posset 1. Aristoteles 2. de Generatione, vbi dicit humiditatem & siccitatem esse qualitates passiuas, sicut calor & frigus sunt qualitates actiuæ. Sed respondetur ipsum non absolutè, sed comparatè esse intelligendum: Quòd nimirum comparatione caloris & frigoris, quæ sunt valdè actiuæ, sint potius passiuæ quàm actiuæ. Denique siccitas & humiditas non sunt qualitates, quæ in sese recipiant alias qualitates, vel formas quibus actuentur; in quo propria ratio potentiæ passiuæ consistit, sed disponunt materiam ad receptionem formæ substantialis, vel aliorum etiam accidentium, & sub ea ratione, passiuæ vocantur, non quidem passiuæ potentiæ, sed passiuæ qualitates, quæ ad tertiam speciem pertinent, vt dicit Suarez.

Obiectio 2. Solutio.

Obijci potest iterum diaphaneïtas, quæ in aëre est potentia purè passiua ad recipiendum lumen. Sed respondetur esse qui-

dem diſpoſitionem aëris reſpectu receptionis luminis, non eſſe tamen propriam potentiam receptiuam luminis, neque ad hunc finem inſtitutam eſſe ex natura ſua. Cuius ſignum eſt, quia illa proprietas connaturalis eſt multis corporibus, quæ neque naturâ ſuâ habent lumen innatum, neque ad ſuum connaturalem ſtatum, illud poſtulant, vt de aëre conſtat, & vitro, & alijs corporibus.

Tertia Concluſio.

Dantur potentiæ quæ ſunt ſimul actiuæ & paſſiuæ.

DAntur potentiæ quædam mixtæ ex actiua & paſſiua. Probatur exemplo facultatum vitalium, quæ ſunt tùm in ſubſtantijs ſpiritualibus, tùm in ſubſtantijs corporeis viuentibus & ſenſibilibus: illæ ſiquidem ſunt elicitiuæ quorumdam actuum, & receptiuæ eorundem: ſic ſunt facultates intellectiua, viſiua, & aliæ, quæ à Philoſopho dicuntur potentiæ paſſiuæ, non quòd purè paſſiuæ ſint; ſed quia non tantùm ſunt actiuæ, ſed prætereà paſſiuæ, & quia earum vltima perfectio potiùs in paſſione, quàm in actione conſiſtit: v. g. Vltima perfectio intellectus potiùs in receptione intellectionis, quàm in elicitione eiuſdem conſiſtit; quia in receptione intellectionis informatur & perficitur tandem ſuâ nobiliſſimâ operatione. Diſtinctio verò quæ intercedit inter duas iſtas rationes agendi & recipiendi in eadem potentia, non eſt diſtinctio realis, quia non eſt inter entitates ſeparatas vel ſeparabiles, vel inter rem & rem; non eſt etiam diſtinctio ſolùm rationis, quia eſt in ipſa potentia ante omne opus intellectus; intellectus enim poſſibilis v. g. & intellectus agens, vel intellectus poſſibilis, vt eſt elicitiuus intellectionis (ſi modò ſit elicitiuus intellectionis, & non potiùs intellectus agens) & iſdem vt receptiuus eiuſdem intellectionis: Item facultas viſiua vt elicitiua viſionis, & vt receptiua eiuſdem, diſtinguuntur ante operationem intellectus. Reſtat ergo vt huiuſmodi diſtinctio ſit formalis & ex natura rei, quatenus ſcilicet potentia agendi & potentia patiendi, in eadem numero facultate, ſuis rationibus formalibus diſtinguuntur.

Vltima Concluſio.

Datur aliqua potentia quæ nec eſt actiua nec paſſiua, nimirum potentia reſiſtiua.

DAtur aliqua potentia, quæ nec actiua nec paſſiua eſt, vllo modo. Illa eſt potentia reſiſtiua, vt duritiess v. g. in ferro vel lapide, quâ reſiſtunt iſta corpora actiuitati agentium naturalium; & de iſta potentia loquitur Ariſtoteles 9. Metaphyſic. cap. 1. Per hanc autem potentiam reſiſtiuam, non intelligitur ea quæ per propriam aliquam actiuitatem reſiſtit ſuo contrario; qualis eſt potentia frigoris, quâ reſiſtit caloris actiuitati; hęc enim potentia reſiſtiua eſt actiua, vt patet: ſed intelligitur potentia reſiſtiua formalis, quâ nimirum aliquid reſiſtit alteri, per aliquam formalem repugnantiã, & incompoſſibilitatem cum ipſo; quam ex eo conſtat non eſſe actiuam, quia reperitur etiam in ijs rebus, quæ nullam habent a-

ctionem, vt in rebus quantitatiuis, eo ipso quia quantitatiuæ sunt.

addi, à quo perficiatur. Huius conditionis sunt relationes fortè. His positis, sit

QVÆSTIO VII.

Vtrùm potentia actiua & potentia paßiua reperiantur in quolibet Ente?



HAs difficultates excitat Doctor Subtilis 9. Metaphysic. qu. 6. 7. & 10. Pro quarum solutione,

Potentia actiua sumitur duobus modis.

Prænotandum primò actionem potentiæ actiuæ sumi posse duobus modis, scilicet impropriè, & propriè. Actio impropriè sumpta est effectus formalis vniuscuiusque formæ, siue substantialis, siue accidentariæ, siue actiuæ, siue expertis virtute actiua; quo pacto, inquit Scotus, dicitur à D. August. actio absoluta. Et huius conditionis est etiam effectus formalis quantitatis, scilicet esse quantum, quod est ab ipso effici seu reddere quantum, tanquam ab aliqua efficientia, & ratione agendi impropriè dicta.

Prænotandum 2. entium aliud esse perfectissimum & simplicissimum, cui propter summam simplicitatem & perfectionem repugnat aliquid addi: Aliud esse imperfectissimum, cui propter summam imperfectionem & sterilitatem repugnat aliquid etiam

Prima Conclusio.

Potentia actiua non reperitur in quolibet ente.

NOn est potentia actiua tam propriè quàm impropriè sumpta in quolibet Ente; tamen potentia actiua impropriè sumpta in pluribus entibus reperitur, quàm potentia actiua propriè sumpta. Prior pars conclusionis probatur. In materia prima v. g. nulla est potentia actiua, neque formalis seu impropriè dicta, neque effectiua vel productiua & propriè dicta, vt patet. Ergo non in quolibet ente reperitur potentia actiua hoc vel illo modo sumpta. Altera pars conclusionis probatur; quia in multis entibus reperitur potentia actiua impropriè sumpta prout à nobis explicata est, in quibus tamen non reperitur potentia actiua propriè sumpta: v. g. in quantitate reperitur prior potentia, quia quantitas præstat suum effectum formalem in eo in quo est, absque vera & propria actiuitate; non enim adæquat sibi aliud quantùm sibi proximum. Sic durities præstat effectum suum formalem in eo in quo est, absque etiam propria actiuitate, quia non indurat aliud subiectum durum sibi proximum. Ergo potentia actiua impropriè sumpta in pluribus entibus reperitur, quàm potentia actiua propriè dicta.

Si quæras in quibus tandem entibus inueniatur potentia actiua propriè dicta? Respondet Scotus quòd maximè in substan-

tijs, & qualitatibus. Ponit enim ille non modò qualitates, putà calorem & frigus esse actiuas, sed etiam substantias, putà ignem cuius est ignire, sicut & caloris calefacere: Quod probat 9. Metaphysic. quæst. 7. tùm quia hoc perfectionis est in substantia, & ei non repugnat; tùm quia à posteriori videmus substantias generari: Ergo à substantijs generantur: Aliàs si generarentur ab accidentibus, daretur aliquis effectus æquiuocus nobilior sua causa; quod tamen est impossibile.

Secunda Conclusio.

Potentia passiua nō reperitur in quolibet ente.

POtentia passiua non reperitur etiam in quolibet ente. Patet de Deo, in quo propter summam perfectionem, & simplicitatem nihil potest recipi. Quod spectat ad relationes, & ad alia quædam accidentia; non ita clarum est in illis non esse potentiam passiuam; quapropter Scotus etiam dubitatiuè de illis loquitur, & resoluit tandem in relationibus non esse potentiam passiuam ordinatam ad receptionem alicuius perfectionis, quippe cuius relationes non sunt capaces; esse tamen potentiam passiuam receptiuam suarum propriarum passionum, qualescumque illæ sint.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo potentia & actus se habeant ad inuicem?



VMVS examinaturi præsenti quæstione, habitudines correspondentiæ, prioritatis, vel simultatis, & alias, quas potentia & actus habent ad inuicem: Sed priusquam illas aggrediamur,

Quotuplex sit potentia actiua.

Prænotandum 1. vel potiùs repetendum ex dictis, aliam esse potentiam obiectiuam, & aliam realem; & realem quidem, aliam esse actiuam, & aliam passiuam, tùm Physicè, tum Metaphysicè loquendo; ita vt non illa sola potentia dici debeat actiua, quæ agit per motum; sed quæ quouis modo producit vel emittit à se perfectionem aut actum aliquem; quo modo Doctor Subtilis sæpissimè docet subiectum esse potentiam actiuam respectu proprietatum quæ ab ipso oriuntur. Et similiter non ea solùm potentia sit passiua, quæ recipit per motum vel per mutationem aliquam Physicam, formam realem & Physicam, quò pacto materia recipit formam, vel paries albedinem: sed etiam quæ quouis modo recipit aliquem actum, à quo perficitur; quo modo etiam in Metaphysicis dantur potentiæ passiuæ.

Prænotandum 2. potentiam omnem ordinari naturâ suâ ad aliquem actum; & vice versâ omnem actum incompletum & perfectiuum respicere aliquam potentiam tanquam suum proprium perfectibile. Dico omnem actum incompletum & perfectiuum, quia sunt aliqui actus completi & subsistentes, qui non sunt ordinati ad aliud perficiendum, vt sunt v. g. Deus & Intelligentiæ.

Quomodo potentia & actus comparantur adinuicem.

Prænotandum 3. quamlibet potentiam & quemlibet actum posse adinuicem comparari, vel ratione perfectionis, vel ratione cognitionis, vel ratione durationis, vel ratione generis. Tres priores habitudines sunt habitudines prioritatis, ita vt determinandum sit vtrùm horum, scilicet actus vel potentiæ, sit prius altero perfectione, cognitione, & duratione. Posterior verò est habitudo veluti identitatis, quâ determinari solet vtrùm actus & potentia sint eiusdem generis, & quomodo, & de quo actu & potentia hoc sit intelligendum. His positis, sit

Prima Conclusio.

Omni potentiæ correspondet semper aliquis actus.

OMni planè potentiæ, quæcumque illa sit, correspondet semper aliquis actus, patet discurrendo per singulas. Nam imprimis potentiæ obiectiuæ correspondet actus entitatiuus, potentiæ actiuæ correspondet actus vel productus, vel fluens, aut emanans. Potentiæ denique passiuæ correspondet actus receptus & perficiens.

Quod spectat ad correspondentiam actus entitatiui potentiæ obiectiuæ, nihil occurrit de nouo dicendum: Superiùs enim explicuimus quo modo sese habeant ad inuicem.

Circa correspondentiam actus producti, vel fluentis, aut emanantis potentiæ actiuæ: obseruandum est, vel ipsammet actionem, vel terminum eius dici posse actum correspondentẽ potentiæ actiuæ, veriùs tamen actio est ille actus, quàm terminus eius, quia potentia actiua, non tàm intrinsecâ habitudine respicit terminum suæ actionis, quàm suam actionem.

Circa correspondentiam actus recepti & perficientis potentiæ passiuæ: obseruandum est similiter, tùm passionem ipsam, tùm terminum productum ab agente, dici posse actum correspondentem ei. Id tamen veriùs est de termino producto ab agente, quàm de ipsa passione; quia potentia passiua magis intrinsecâ habitudine, & maiori determinatione, ordinata est ad actum perfectiuum ipsius, quàm ad passionem quâ patitur illum recipiendo. Hinc secùs philosophandum est de potentia passiua, respectu effectus recipiendi, & suæ passionis, quàm de potentia actiua respectu suæ actionis ac termini eius.

Insuper potentia passiua cõparatur ad actum suum, tanquam proprium perfectibile ad proprium perfectiuum, quod proindè debet in se recipere, per veram & Physicam inhæsionem; potentia autem actiua comparatur ad actum suum, non tanquam perfectibile ad perfectiuum, quia actus potentiæ actiuæ, non est

actus informans, aut actuans ipsam; quatenùs enim informat & actuat ipsam, ampliùs non habet rationem potentię actiuæ, sed potentię pasiuę; vnde potentia pasiua est potentia receptiua, perfectibilis, informabilis, actuabilis: Potentia autem actiua est potentia productiua, perfectiua, transmisiua, & si ita fari liceat, fluxiua & dimanatiua.

Quomodo distinguntur actus & potentia.

Quomodo verò distinguantur ab inuicem actus isti & potentiæ, metiendum est iuxta naturam & conditionem illorum; & quidem primò, actus entitatiuus & potentia obiectiua, non distinguuntur realiter, nec etiam formaliter actualiter; quia omnis talis distinctio intercedit semper inter extrema actualia, vel habentia distinctas existentias, vel habentia distinctas formalitates: At actus entitatiuus & potentia obiectiua non sunt extrema actualia; ideoque distinguuntur dumtaxat realiter negatiuè, quatenùs scilicet actus entitatiuus est res aliqua actualis, & potentia obiectiua nihil. Potentia actiua verè & propriè effectiua, & actus eius distinguuntur realiter, quia non est verà efficientia nisi inter ea, quæ distinguuntur realiter. Dixi, verè & propriè effectiua, quia potentię effectiuæ dimanatiuæ, & non propriè effectiuæ, & actus earum habentes esse per puram quandam dimanationem, non distinguuntur realiter, vt patet de subiecto & suis propriis pasionibus, v. g. de homine & risibilitate.

Idem dicendum est de potentia pasiua & suo actu: quandoque enim distinguuntur realiter, quandoque non. Distinguuntur realiter, quando actus potentię pasiuę introducitur per veram aliquam efficientiam, quomodo, v. g. paries & albedo, materia & forma distinguuntur: sed non distinguuntur realiter; quando actus non habet esse per veram aliquam efficientiam, vt v. gr. proprietates quatenùs recipiuntur tanquam actus perfectiui in subiecto, cuius sunt proprietates.

Secunda Conclusio.

Quomodo actus entitatiuus & potẽtia obiectiua cõparatur adinuicem ratione perfectionis, cognitionis & durationis.

Actus entitatiuus est prior potentiâ obiectiuâ, perfectione & cognitione, non tamen duratione. Prior pars patet; quia quod est, perfectius est, quàm quod non est; imò absolutè loquendo, quod non est, nullo modo perfectum est: sed actus entitatiuus est id quod est; potentia autem obiectiua id quod non est: Ergo actus entitatiuus est perfectione prior potentiâ obiectiuâ.

Secunda pars etiam probatur; quia quò plus aliquid habet de entitate, eò plus habet de cognoscibilitate: Ergo simpliciter id quod est; est magis cognoscibile quàm quod non est; imò verò cognoscimus ea quę non sunt, duntaxat per ea quę sunt: Ergo cùm actus entitatiuus sit simpliciter id quod est, & potentia obiectiua id quod non est, nisi posibiliter: Hinc fit, vt actus entitatiuus sit prior cognitione potentia obiectiua.

Tertia pars probatur, quia res omnes extra Deum, secundùm suum

suum esse reale inceperunt in tempore; ab æterno autem habuerunt esse in potētia obiectiua: Ergo actus entitatiuus non est prior duratione potentiâ obiectiuâ. Dico, non est, de facto; quia si loquamur de possibili, omnis res extra Deum fortassis fuit possibilis ab æterno, & si Deus condidisset eam ab æterno, potentia obiectiua non fuisset prior duratione actu entitatiuo.

Tertia Conclusio.

Quomodo potētia actiua & actus eius se habeāt adinuicem ratione perfe: ctionis, cognitionis & durationis.

POtentia actiua est prior perfectione & naturâ, suo actu; non tamen cognitione, respectu saltem omnis cognitionis. Prior pars probatur, quia actus potentiæ actiuæ, vel est actio eius, vel terminus ipsius actionis. Sed vtrumque est vel minùs perfectum, vel saltem neutrum est perfectius potentia actiua; & eò maximè, quia neutrum perficit potentiam actiuam, quatenùs potentia actiua est. Vlteriùs verò, si potentia actiua sit vniuoca cum suo actu, & actus habeat æqualem perfectionem cum sua potentia; ex hoc tamen solo quòd potentia dedit esse suo actui, erit perfectior ipso: Ergo potentia actiua est prior perfectione suo actu.

Secunda pars probatur, quia rectè sequitur: Actus est, Ergo potentia actiua est: Tamen non sequitur; Potentia actiua est: Ergo actus est. Præterea actus potentiæ actiuæ est à potentia actiua, tanquam à suo principio, à quo mutuatur suum esse; quæ omnia indicant potentiam actiuam esse priorem saltem naturâ suo actu. Dico, saltem naturâ, quia multæ sunt potentiæ actiuæ, quæ non præcedunt duratione suos actus, vt potentia generandi in Deo, illuminandi in sole, calefaciendi in igne. Quędam etiam sunt quę duratione pręcedunt suos actus, vt potentia deambulandi, vel videndi, vel ratiocinandi in homine.

Tertia pars probatur; quia plerumque deuenimus in cognitionem potentiarum actiuarum per suos actus: Ergo saltem respectu cognitionis nostrę, potentia actiua non est prior cognitione, suo actu. Negari tamen non potest quin si spectentur ista secundùm suas naturas, potentia actiua sit etiam prior cognitione suo actu, quia est absolutior suo actu, minúsque ab ipso dependet, quàm actus ab ipsa.

Quarta Conclusio.

Quomodo potētia passiua & actus eius se habeāt adinuicem secūdùm prioritatē perfectionis, cognitionis & durationis.

ACtus potentiæ passiuæ, est prior perfectione, & cognitione eadem potentia passiua, non tamen duratione. Prior pars probatur; quia actus potentiæ passiuę est proprium perfectiuum ipsius, & potentia passiua perfectibile à tali perfectiuo. Quod dicò de omni planè actu informante & actuante potentiam passiuam, siue ille bonus, siue malus sit; quia hìc non loquimur de perfectione morali, quâ soli actus boni perficiunt; sed de perfectione naturali, quâ omnis actus informans, cuiuscunque sit conditionis, dicitur perficere, quia naturaliter loquendo, meliùs se habet potentia passiua

ſub tali actu, quàm ſine eo. Ex quo tamen non habetur actum potentiæ paſſiuę, debere eſſe perfectius Ens, quàm ſit ipſa potentia: Conſtat enim eſſe plerumque Ens minùs perfectum, vt patet in qualitatibus, & alijs accidentibus, quę informant & actuant ſubſtantias; ſed eâ tantùm ratione, dicitur actus potentiæ paſſiuæ prior perfectione eadem potentia, quia illam perficit non addendo rationem entitatiuam perfectiorem, ſed nobiliùs afficiendo ipſam entitatem potentię paſſiuę, quę meliùs ſe habet ſic affecta, quàm non affecta.

Secunda pars probatur authoritate Ariſtotelis 9. Metaphyſic. & Doctoris Subtilis varijs in locis, quâ dicitur potentias cognoſci per actus, & non actus per potentias; quod intelligunt de potentia paſſiua, & ſuo actu: Et ratio eſt in promptu, quia potentia paſſiua eſt potentia naturâ ſuâ expectatiua; ideóque definiri & cognoſci non poteſt niſi per illud quod reſpicit & expectat.

Dicunt hîc aliqui potentiam paſſiuam ſpecificari ab actu ſuo; non quidem vt ab intrinſeca differentia, ſed vt à termino intrinſecæ habitudinis potentię ad actum; quod quidem ſi dicatur de potentia paſſiua ſecundùm naturam ſuam ſpectata, falſum eſt; ſi verò ſecundùm cognitionem & innoteſcentiam, vt loquuntur noſtri, verum eſt.

Tertia pars probatur; quia actus potentię paſſiuę neceſſariò prę-ſupponit ipſam potentiam paſſiuam, tanquam id in quo recipiatur: Ergo non poteſt eſſe prior duratione, ipsâ potentiâ paſſiuâ.

Noſter Antonius Andreas proponit vnicam difficultatem 9. Metaphyſic. qu. 3. circa ſecundam parté huius concluſionis, & hęc eſt: Illud eſt prius aliquo definitione & cognitione, per quod aliud debet definiri: ſed non ſolùm potentia definitur per actum, ſed actus per potentiam, quia ſunt correlatiua; correlatiua autem definiuntur & cognoſcuntur per ſe inuicem: Nam ſecundùm Porphyrium, oportet in correlatiuis, in vtrorumque rationibus, vtriſque vti: Ergo actus & potentia paſſiua erunt ſimul cognitione & definitione. Vt autem huic difficultati ſatiſfaciat; docet oppoſita relatiuè eſſe in duplici differentia, nimirum aliqua quæ mutuò, & alia quæ non mutuò referuntur. Illa quidem mutuò referuntur, inquit, quorum vtrumque habet habitudinem per ſe ad alterum; non mutuò referũtur illa, quorum vnum per ſe habet habitudinem ad alterum, & non è conuerſo. Quo poſito, ad propoſitum dicit, quòd actus & potétia non opponuntur relatiuè primo modo; nam cùm talia ſint ſimul naturâ & definitione, ſequeretur quòd actus non eſſet prior ratione quàm potentia; nec ratio potentię ſumeretur potiùs ab actu, quàm è conuerſo, quod eſt contra Philoſophum in litera: Opponuntur autem ſecundo modo; nam potentia dicit ordinem ad actum, ſed non è conuerſo: ratio enim actus eſt abſoluta; & quia potentia paſſiua naturaliter dependet ab actu, & non è conuerſo; ideò

Obiectio.

Solutio.

Quare actus & potétia paſſiua non definiuntur per ſe inuicem.

definiri debet per actum, & non è conuerso. Quare ad argumentum respondetur, negando minorem; & ad probationem dicendo Porphyrium loqui de correlatiuis mutuis, cuius naturæ non sunt actus & potentia passiua.

Vltima Conclusio.

De qua potētia & de quo actu sit intelligēdum quòd potētia & actus sint eiusdem generis.

Axioma illud, nimirū quòd *Actus & potentia sunt eiusdem generis*, intelligi non potest de potentia actiua vel passiua, nec de actibus illis correspondentibus, sed solùm de potentia obiectiua, & actu entitatiuo. Conclusio est Doctoris Subtilis in 2. dist. 16. quæst. vnicâ, §. *Rationes istæ*. Et probatur imprimis de potentia actiua, quæ plerumque est effectiua rei diuersi generis ab ipsa. Nam secundùm Aristotelem 7. Metaphysic. in fine, Substantia est immediatè effectiua accidentis, & tamen substantia & accidens non sunt eiusdem generis.

Idem patet de potentia passiua & suo actu; nam accidens aliquod immediatè recipitur in substantia, & color in superficie, & tamen ista receptiua & actus recepti non sunt eiusdem generis.

Franciscus Suarez tom. 1. Metaphysic. disp. 14. sect. 5. num. 13. nititur ostendere aliquas potentias passiuas, esse eiusdem generis cum suis actibus, illas nimirum quæ per se primò institutæ & ordinatæ sunt ad tales actus, cuiusmodi sunt materia respectu formæ substantialis, grauitas respectu motus deorsum, vel permanentiæ in ipsomet loco deorsum, & intellectus respectu elicitionis & receptionis intellectionis. Sed istæ probationes sunt valdè diminutæ: Imprimis enim dubium est an intellectus sit qualitas, vt propterea dicatur esse eiusdem prædicamenti cum intellectione quam recipit; imò absolutè negamus ipsum esse qualitatem. Aliud de grauitate potiùs oppositum ostendit, quia grauitas & permanentia in loco deorsum, seu in vbi deorsum, non sunt eiusdem generis & prædicamenti, vt patet. Quod spectat ad materiam, & ad formam substantialem, concedo esse eiusdem generis; sed vnica instantia non constituit generale quoddam axioma.


Altera pars conclusionis apud neminem vertitur in dubium. Illam etiam approbat Suarez loco citato, & probatur hoc exemplo: Antichristus v. g. in potentia obiectiua, est non modò eiusdem generis, sed etiam eiusdem speciei & numeri, vt loquitur Scotus, cum seipso actualiter existente. Ergo potentia obiectiua, & actus entitatiuus non modò sunt eiusdem generis, sed etiam eiusdem speciei, & numeri.

Contra hoc nihil dicitur, nisi quòd hæc interpretatio accommodari non potest menti Aristotelis, qui 9. Metaphysic. varias numerans potentiæ acceptiones, nunquam meminit illius potentiæ obiectiuæ. Ita Suarez. Satisfit Fräcisco Suarez.

Sed manifestè refellitur, quia Aristoteles 9. Metaphysic. cap. 6. disertè meminit illius potentiæ, cùm dicit: *Est autem actu rem existere, non ita quemadmodum dicimus potestate.* Vbi nomen potestatis seu potentiæ, significat potentiam obiectiuam, licet annexam cum subiectiua, vt sentit Scotus.

Et hæc de actu & potentia, ac de omnibus principijs & proprietatibus Entis dicta sufficiant.





F. MARTINI MEVRISSE ROYENSIS, ORDINIS MINORVM, DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI Parisiensis, Rerum Metaphysicarum

LIBER TERTIVS, QVI EST DE PRÆCIPVIS Partibus Entis.

PRÆFATIVNCVLA.



Etaphysica contemplari tàtùm non debet Ens ipsum; sed etiam ea quæ per se illi insunt, nec non aliquas partes eius subiectiuas; illas nimirum quæ tùm separatis à materia, tùm coniunctis cum materia sunt communes. Ideóque examinatis, duobus superioribus libris, ijs quæ tùm ad naturam Entis, tùm ad naturam proprietatum eius pertinent; superest vt de illis Entis partibus quæ sunt propriæ considerationis eius dilleramus. Erit autem breuissimus hic Liber, quia cæteræ scientiæ partem Entis abscindentes, vt loquitur Aristoteles, de ea considerant; idcircò ne excurrat Metaphysica extra proprios limites, & ne cum alijs scientijs confundatur; assignatis omnibus scientijs inferioribus, proprijs materijs & obiectis; illas tantùm partes entis explicabit, quæ sunt per se sui instituti.

QVÆSTIO I.

Quæ & quot sint partes entis, & quomodo ad Metaphysicum spectent?



Deus vt naturaliter cognoscibilis spectat ad Theologiã naturalem.

PRIMA diuisio Entis, vt priori Lib. diximus, est in infinitum & finitum: Entis finiti verò in decem Prædicamenta; quò fit vt Ens tùm infinitum, tùm finitũ; & finitum quidem tùm substantia tùm quãtitas, tùm qualitas, tùm relatiò, &c. sint partes subiectiuæ entis. Nihilominùs imprimis de Ente infinito nihil dicemus, quia illud sufficiens est, quòd per se consideretur ab aliqua vna scientia totali, putà Theologia naturali, prout naturaliter attingi potest: Ad quam quidem tamen non possumus peruenire propter nostram coniunctionem cum materia, pro hoc statu. Quare ea quæ de Deo naturaliter scire possumus, tractãtur communiter in Theologia supernaturali, quippe in qua lumen fidei iuuat ad illa capescenda. Restat itaque vt de ente finito, quod in decem Prædicamenta diuiditur, dißeramus.

Prædicamenta vt sic nõ spectant ad Metaphysicum, & quare.

Prænotandum autem Prædicamenta, quatenus Prædicamenta, non esse considerationis Metaphysicæ; quia vt sic sunt series & coordinationes entium, secundùm superius & inferius, proindeque coordinationes prædicatorum superiorum & subordinatorum, & inferiorum, & subiectorum, quæ omnia secundùm hanc dispositionem, ad Logicum pertinent: eapropter abstinebimus ab illis omnibus quæstiunculis, quæ circa Prędicamenta vt sic, solent excitari, nimirum quomodo distinguantur? An sint tantùm decem? Quæ in illis reponantur, vel ab illis arceantur, &c. Nam occasione Prædicamentorum quę Aristoteles ipse in Logica disposuit, etiam hæ quæstiones solent in Logica moueri, quam prope diem mittemus in lucem, si hoc Opus ingratum non fuerit.

Quomodo prædicamenta distinguantur.

Moneo tantùm obiter circa distinctionem Prędicamentorum, communem esse sententiam non distingui realiter, sed duntaxat formaliter, propter quantitatem & figuram. Addunt aliqui etiam propter actionem & passionem. Sed apud Scotum, hæc postrema instantia nulla est, quia secundùm ipsum in 4. d. 13. q. 1. Actio & Passio distinguuntur realiter. Non debere autem Prędicamenta distingui realiter, non obscurè colligi potest ex ipso in 2. dist. 1. q. 4. Ad argumenta principalia; vbi respondens ad quoddam argumentum, quo arguitur relationem non posse esse eandem alicui absoluto, quia prædicamẽta sunt primò diuersa ex 5. & 10. Metaphysic. Respondet esse primò diuersa, quantùm ad rationes formales eorum, ita quòd nullum illorum formaliter includit alterum, nec aliquid alterius; licet per identitatem in

existendo, vnum contineat alterum.

Quot sint prędicamenta ex Scoto.

Moneo similiter mentem Doctoris Subtilis fuisse non esse plura nec pauciora, quàm decem prędicamenta. Hoc enim docet expresse 5. Metaphysic. qu. 5. & in 4. distinct. 13. qu. 1. §. *Ad huius autem difficultatis intellectum*: vbi docet debere saluari illam famosam diuisionem prædicamentorum, secundùm Auicennam 3. Metaphysic. quâ dicuntur esse decem, propter antiquam Philosophorum authoritatem, cui non debet facilè contradici. Hoc posito; concludamus iam quanam ratione sint illa varia entia à nobis consideranda.

Prenotandum 1. vel potius repetendum ex quęstionibus proœmialibus, Metaphysicam spectari posse duobus modis, scilicet, vt est imperans, & vt est docens. His positis, sit hæc

Vnica Conclusio.

Partes entis spectāt ad Metaphysicam quatenùs sūt obiecta variarum sciētiarum, quæ Metaphysica debet assignare.

VAria Entia, in quæ diuiditur Ens finitum, sunt consideranda à Metaphysica, vel quatenùs est imperans & præses; vel etiam quatenùs est docens, sed variis rationibus. Declaratur ista conclusio. Metaphysica imprimis quatenùs est præses & imperans, debet assignare cuilibet scientiæ inferiori proprias sedes & limites; quod vt præstet, descendit ad Entium consideratioñe, quatenùs possunt esse obiecta diuersarum illarum scientiarum, vnde sic procedit:

Ens finitum diuiditur in decem Entia generalissima, quæ sunt partes subiectiuæ eius, nimirum in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, vbi, quando, situm, & habitum. Substantia autem diuiditur in spiritalem & corpoream. Spiritalis seu incorporea constituitur obiectum alicuius vnius scientiæ totalis, nimirum illius quæ disserit de Intelligentiis, quę-quidem scientia non est accommodata nostro captui pro hoc statu: Est tamen accommodata intellectui separato à materia, & hinc iam assignata est propria materia isti scientię totali. Substantia corporea constituitur obiectum Physicæ, seu Philosophiæ naturalis, quæ primò & per se substantiam corpoream naturalem, seu corpus naturale, & capax motus & quietis considerat: & hinc assignatum est secundò proprium obiectum isti scientiæ. Non est tamen vlteriùs diuidenda substantia, vt inde habeantur alia aliarum scientiarum obiecta; quia istæ duæ scientiæ totales quæ respiciunt primò & adęquatè illa duo membra diuidentia ipsam; respiciunt consequenter omnia contenta sub illis membris diuidentibus. Sequitur postmodum quantitas, vel potius, vt à mente Doctoris Subtilis 6. Metaphysic. qu. 1. non recedamus, substantia quanta: Et hæc est obiectum adęquatū Mathematicarum, quæ diuiduntur iuxta partitionem quantitatis, vel substantiæ quantæ. Quantitatis enim alia est continua, alia discreta. Continua est obiectum Geometriæ. Discreta obiectum Arithmeticæ. Additis autem quibusdam modis vel rationibus accidentariis & extrinsecis vtrique isti

Hic assignantur obiecta omniū scientiarum.

quantitati, constituuntur obiecta quarumdam Mathematicarum non purarum & subalternatarum. Sic v. g. additâ mobilitate quantitati continuę, constituitur obiectum Astronomiæ; additâ visualitate lineæ, constituitur obiectum perspectiuæ: additâ mensurabilitate secundùm varia spatia & intercapedines locorū, constituitur obiectū Geographiæ, quæ omnes subalternantur Geometriæ. Sic deniq; additâ sonoritate numero, constituitur obiectū Musicæ, quæ subalternatur Arithmeticæ. Et hinc assignata sunt omnia obiecta Mathematicarum. Cętera entia non sunt sufficientia quæ primò & per se considerentur ab aliqua scientia totali; nā vel sunt qualitates, vel relationes & simplices respectus. Qualitates autem non aliæ nobis notæ sunt naturaliter pro hoc statu, quàm materiales, quæ satis superque cognoscuntur cognitis subiectis, quorum sunt qualitates. Vnde Physicus disputans de corpore naturali in se, & de variis eius speciebus, disputat consequenter de qualitatibus eiusdem corporis & specierum eius, nimirum de qualitatibus cœlorum, elementorum, animalium, plantarum, & similibus. Relationes similiter & respectus satis cognoscuntur cognitis extremis, quæ sunt entia absoluta, vel saltem fundata in absolutis. Adde quòd sunt valdè steriles, nec merentur, vt per se spectentur ab aliqua scientia totali. Hinc vltra Metaphysicam, habemus duas dumtaxat scientias totales speculatiuas, accommodatas nostro captui, pro hoc statu, nimirum Philosophiam naturalem, & Mathematicas disciplinas.

Sunt & alię quędā partes Entis, quæ statuuntur obiecta scientiarū practicarum, scilicet actiones humanæ, prout dirigibiles in bonum per pręcepta virtutum, quæ sunt obiectum moralis disciplinæ. Et hìc quidem sistit gradum Metaphysica, prout est pręses & imperans, nec vlteriùs progreditur. Nec enim secundas intentiones considerat, nisi determinando illas non esse entia realia, sed tantùm rationis, ac proinde ab aliqua scientia rationali, putà Logica considerari debere.

Et quia nulli scientiarum prędictarum assignauimus considerationem substantiæ & accidentis secundùm se; ideò Metaphysica quatenùs est docens, illa adhuc considerat tanquam pręcipuas partes subiectiuas obiecti sui; maximè verò substantiam, de qua prçsertim debere disputare Metaphysicum sępè docet Aristoteles. Eapropter in sequentibus, disputabimus de duobus illis entibus, non quidem vt Logici, categoricè & prędicamentaliter: Quare nec excitabimus quęstiones illas de substantia cathegorica, & de iis quæ vel reponuntur, vel non reponuntur in illa; hæc enim ad Logicum pertinent. Nec similiter mouebimus quęstiones illas de accidente: An nimirum duo accidentia solo numero distincta, possint esse in eodem subiecto, & alias, quæ potius ad Physicum, quàm ad Metaphysicum spectant; sed nudè & simpliciter naturam & quidditatem illius vtriusque entis inquiremus. Addemus aliqua


Metaphysica considerare debet substātiam & accidēs secundùm se.

qua

qua ad substantiam de supposito, hypostasi & persona; & ad accidẽs de inhęrentia; demum illud vtrumque Ens ad inuicem comparabimus, secundùm ordinem prioris & posterioris tùm tempore, tùm naturâ, tùm cognitione; & his explicatis, finem nostro Operi imponemus.

QVÆSTIO II.

Quid sit substantia?



APVD neminem reperio clarè explicatam naturam & quidditatem substantię; fortè quia non nobis innotescit nisi mediatè, mediantibus scilicet accidentibus, quæ nos in illius notitiam inducere sępè docet Doctor Subtilis. Quia tamen communiter describitur Ens subsistens, seu Ens per se existens; ideò,

Subsistentia sumitur quatuor modis.

1. Prenotandum 1. subsistere dici multis modis. Primò, vt idem significet atque verè esse, & non solùm apparenter; quomodo dicit Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum, eorum quæ in aëre cernuntur, alia apparere, alia subsistere, seu substantiam habere. Et iuxta hanc significationem satis impropriam, accidentia etiam ipsa, quæ habent verum esse, & non tantùm apparens, dici possunt subsistere. Secundò, vt idem significet atque substare seu subiacere. Quo modo vsurpatur à D. August. lib. 7. de Trinitate, cap. 5. vbi postquam dixit ab eo quod est subsistere, substantiam dici; docet toto illo capite Deum abusiuè tantùm substantiam vocari, quia non subsistit. *Deus autem*, inquit, *si subsistit, vt substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tanquam in subiecto, & non est simplex cui hoc sit esse, quod illi est, & quicquid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, omnipotens, bonus, & si quid huiusmodi de Deo non incongruè dicitur. Nefas est autem dicere vt subsistat, & subsit Deus bonitati suæ, atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia; neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in illo sit tanquam in subiecto. Vnde manifestum est Deum abusiuè substantiam vocari.* Tertiò, vt idem significet atque in se ac per se esse; quomodo communiter vsurpatur à Philosophis, cùm dicitur substantiam dici à subsistendo, & ita vsurpatur ab Isidoro lib. 1. Differentiarum, cap. 4. vbi dicit *substantiam esse id quod non ab alio, sed semper ex se est, id est quod propria in se virtute subsistit.* Quartò denique, vt significet incommunicabiliter per se esse. Et hoc modo sola supposita substantialia dicuntur subsistere, quia incommunicabiliter per se sunt. Et has quidem duas postremas acceptiones vocis subsistere, tradit Doctor Subtilis qu. 4. quodlibeticâ art. 2. §. *Contra illud.* Sed quia etiam ab aliquibus substantia appellatur Ens substans, ideò,

Pręnotandum 2. duobus modis aliquid posse substare, nimirum vel pręicatis superioribus, vel accidentibus. Priori substan- Duob⁹ modis aliquid substat.

di ratione, ſubſtant non modò ſingularia ſubſtātialia; ſed etiam ſingularia accidentalia : Nam hæc albedo, v. g. ſubſtat omnibus ſuis prędicatis ſuperioribus, nimirum albedini in ſe, colori, qualitati, & aliis. Poſteriori ſubſtandi ratione, ſola ſubſtantia ſubſtat, quia ſola ſubſtantia per ſe ſtans, ſuſtinet accidentia quæ illi inhęrent, & in ea recipiuntur & ſuſtentantur. Et hac quidem ratione docet D. Auguſt. libr. de Decem Categoriis, Subſtantiam dictam fuiſſe ſubiacentem. *Et quoniam*, inquit, *in permanente vſia, ea quæ accidunt, ineſſe noſcuntur; ipſam vſiā* ὑποκείμενον, *id eſt ſubiacens, & non in ſubiecto appellari voluerunt; illa verò quæ accidere* ἐν ὑποκειμένῳ *id eſt in ſubiacenti dixerunt.*

Per ſe, dicitur tribus modis. Prænotandum 3. *per ſe*, multis modis dici. Primò, quatenùs ſignificat id quod eſt à ſe, & quod à nullo dependet; quomodo ſolus Deus dicitur Ens per ſe. Secundò, prout opponitur ei quod eſt Ens per accidens, vt homo dicitur Ens per ſe; cumulus lapidum, dicitur Ens per accidens. Tertiò denique dicitur per ſe, quod non eſt per aliud, nec in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis. His poſitis, ſit hęc.

Vnica Concluſio.

Subſtātia dicta à ſubſtāſto vel à ſubſiſtendo. SI vocis Subſtantię etymologiam ſpectemus; dicta eſt à ſubſtando vel à ſubſiſtendo; magis tamen à ſubſtando, quàm à ſubſiſtendo. Prior pars concluſionis patet ex communi vſu philoſophandi. Et probari poteſt authoritatibus Diui Auguſtini, & Iſidori. Nam D. Auguſt. lib. 7. de Trinitate cap. 4. dicit quòd *ſicut ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia; ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus*. Iſidorus etiam libr. 2. Etymologiarum, cap. 26. dicit quòd *ſubſtantia eſt quæ propriè & principialiter ſubſtare dicitur.* Altera pars concluſionis patet; nam à verbo ſubſiſto, potiùs ſubſiſtentia, quàm ſubſtantia dici videtur.

Reſtat nunc explicemus quâ ratione ſubſtantia dicatur tùm à ſubſiſtendo, tùm à ſubſtando. Ac imprimis quidem dicta non eſt à ſubſtando prædicatis ſuperioribus; quia hoc pacto ab accidēte non diſtingueretur. A ſubſtando ergo accidentibus dicta eſt. Vnde iuxta hanc etymologiam, ſubſtantia non omnem ſubſtantiam, ſed creatam duntaxat ſignificat; quia ſubſtantia increata nullis ſubſtat accidētibus.

Vlteriùs, ſubſtantia dicta non eſt à ſubſiſtendo priore & poſteriore modo ſuperiùs explicato. Non quidem priore; quia non modò ſubſtantia, verumetiam accidentia realia verè ſunt, & non tantùm apparenter, vt dictum eſt. Non etiam poſteriore, quia non omnis ſubſtantia incommunicabiliter exiſtit, vt patet de ſubſtantia diuina, & ſubſtantiis communibus, & partialibus. Quare ſupereſt vt à ſubſiſtendo ſecundo, vel tertio modo explicato dicta ſit. Et quidem ſi à ſubſiſtendo prout idem ſignificat atque ſubſtare & ſubiacere; vt apertè ſentit D. Auguſt. idem dici debet de ea quod dictum eſt ſecundùm aliam etymologiam, quâ nimirum dicitur ſubſtantia à ſubſtando. Si à ſubſiſtendo ter-

tio modo explicato, quatenus videlicet significat esse in se ac per se; dicendum est substantiam hoc modo dictam, dici posse tùm de substantia increata, cùm de substantia creata: quia etiam substantia increata est Ens in se, ac per se. Et certè is est communis huius etymologiæ vsus, vt nimirum substantia dicatur à subsistendo, hoc est à ratione essendi in se ac per se. Confirmatur ex communi modo loquendi Doctoris Subtilis in 1. d. 8. qu. 3. §. *Alij probant*. Et §. *ad argumenta pro secunda opinione*, vbi dicit substantiam quæ conuenire potest substantiæ increatæ, dici à ratione essendi in se & per se, & non in alio. Neque enim vocat substantiam Ens subsistens, vel substans; sed Ens in se & non in alio, fortè ad vitandam æquiuocationem vocis subsistere; quamquam nihilominùs apud ipsum, subsistere frequẽter idem sit quod per se esse; quâ ratione etiam admisit subsistentiam absolutam in diuinis, conuenientem essentię diuinę vt sic; propterea quòd essentia diuina habeat perfectissimam rationem essendi per se.

An Ens per se, sit ratio quidditatiua substã- tiæ. Non audeo autem determinare, an Ens per se, sit ratio quidditatiua substantię? Sat est quòd huc-vsque, alia Philosophis non innotuerit. Cùm enim proprię rerum differentię sępe sint nobis ignotę, cogimur illarum loco ponere ea quæ nobis magis nota sunt, & quæ intimiùs differre faciunt. Eapropter si propriam rationem substantię non habeamus; vt veriùs existimo, quia vt dictum est, à posteriori tantùm cognoscimus illam, quasi occultatãm & latentem sub accidentibus; sufficiet si conformiter Doctrinæ à Philosophis, præsertim à Doctore Subtili huc vsque traditæ, describamus substantiam Ens in se & per se, & non in alio. Quod autem me magis mouet vt teneam Ens per se non esse quidditatiuam rationem substantię; vltra ipsã rationem, est authoritas, ni fallor, Doctor Subtilis in 4. dist. 12. q. 1. Ad argumenta principalia, vbi eodem modo philosophatur de per se respectu substantię, ac de, in alio respectu accidentis, & tamen non sentit, in alio, esse de ratione quidditatiua accidentis, vt dicemus. Etiam in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 22. q. 1. sentit nos non posse conceptum quidditatiuum de substantia, pro hoc statu.

QVÆSTIO III.

Quid significent substantia prima, hypostasis, suppositum & persona.



PRÆNOTANDVM 1. Aristotelem in Categorijs, capite de substantia, diuidere substantiam in primam & secundam; quapropter nomen substantiæ primæ frequenter est in vsu apud Philosophos. Quæritur autem quid significet? Aliqui enim docent idem significare ac suppositum. Ita Suarez tom. 2. Me- Quid substã- tia prima.

taphysic. disp. 34. sect. 1. num. 9. & sequentibus. Aliter dici potest substantiam primam idem esse, ac substantiam singularem.

Dictio duobus modis consideranda.

Prænotandum 2. dictionem aliquam esse considerandam, vel ex prima eius impositione & primaria significatione, vel ex vsu communiter recepto.

Prænotandum 3. naturas substantiales singulares alias esse intellectuales, vt sunt Deus, Angeli & homines; alias non item, vt sunt hic lapis, hoc lignum, &c. His positis, sit

Prima Conclusio.

Substātia prima est substātia singularis.

SVbstantia prima veriùs est substantia singularis, quàm suppositum. Patet ex Aristotele, qui per substantias secundas, intellexit substantias vniuersales, quas dixit significare quale quid; & per substantiam primam, substantiam singularem, quam dixit significare hoc aliquid. Nec ratio Francisci Suarez vrget in contrarium, cùm dicit hoc esse peculiare naturæ diuinæ, vt ipsa vna numero & singularis existens communicari possit pluribus suppositis, proindeque ipsa non sit suppositum, quippè quòd dicit negationem communicationis, & communicabilitatis; naturam autem omnem substantialem creatam singularem, esse incommunicabilem, ac consequenter suppositum. Hoc inquam non vrget, quia tametsi nulla natura creata singularis communicari possit pluribus suppositis vt quod; communicari tamen potest alicui supposito, vt quo, sicut de facto natura singularis substantialis creata Christi Domini, communicata est supposito Verbi diuini; fueritque ante assumptionem à Verbo, natura creata substantialis singularis, & non tamen suppositum.

Secunda Conclusio.

Hypostasis ex primaria significatione, idem significat quod substātia, nūc autem idem quod suppositum.

HYpostatis iuxta primariam significationem, idem significat atque substantiam seu οὐσίαν, ex vsu tamen recepto ab Ecclesia, idem est quod suppositum, & quod persona in natura intellectuali. Prior pars probari posset multis authoritatibus Patrum, sed præsertim D. Hieronymi, epist. ad Damas. 57. & Diui Augustini lib. 5. de Trinit. cap. 8. vbi suspectam habent vocem hypostasis, propterea quòd arbitrentur hypostasim & vsiam seu substantiam idem significare: Cùmque Catholici non audeant dicere tres substantias in diuinis; non debere quoque dicere tres hypostases: vel & conuerso, si possint dicere tres hypostases, posse quoque dicere tres substantias. Et certè idem D. August. multis in locis, sed præsertim 7. de Trinit. cap. 6. dicit absque vlla erroris suspicione, posse concedi tres substantias in Deo, sicut reuerâ Græci concesserunt, modò nullum scandalum fuerit. Altera pars patet, quia communis vsus obtinuit, vt nunc non tres substantias, tres tamen hypostases, & tria supposita ac personas diceremus in diuinis: Quare signū est hypostasim non ampliùs idem significare ac substantiam, sed potiùs suppositum vel personam. Con-

firmari posset istud multis etiam patrum authoritatibus, sed præsertim D. Basilij epist. 43. & D. Damasc. lib. 3. de fide cap. 3. & 4. qui docent nomen, vsia, Græcis idem significare, quod Latinis natura & essentia; nomen verò hypostasis idem quod suppositum vel persona; quocirca in Deo vnam vsiam, hoc est essentiam vel naturam, & tres hypostases, hoc est personas debere concedi.

Tertia Conclusio.

Quid suppositum & persona.

Suppositum describi potest, Natura substantialis per se incommunicabiliter existens; & Persona naturæ intellectualis indiuidua substantia, vt vult Boëtius, vel incommunicabilis existentia, vt vult Richardus, & veriùs sentit Doctor Subtilis. Istæ descriptiones patent ex communi vsu & consensu omnium, quia quandiu natura aliqua substantialis singularis, est adhuc communicabilis alteri, vel vt parti sicut anima corpori, vel vt supposito, vt natura humana Verbo diuino; ipsa non est adhuc suppositum; vbi autem est incommunicabilis, iam dicitur suppositum, quod supra rationem existendi per se & singularitatem, nihil dicit quàm incommunicabilitatem; quæ si reperiatur in natura intellectuali, erit persona. Sed hæc conclusio declarabitur ampliùs ex dicendis sequenti quæstione.

QVÆSTIO IV.

Quid addat suppositum vel persona supra naturam singularem?



QVÆSTIO non procedit de persona diuina & increata, quæ nullo reclamante, addit supra naturam diuinam, relationem realem & positiuam, etiam distinctam formaliter & ex natura rei ab eadem natura, vt sentit Doctor Subtilis. Difficultas est itaque solùm de supposito vel persona creata; & quia persona nihil est aliud quàm suppositum naturę intellectualis; ideò hic indifferenter disputamus tùm de supposito, tùm de persona.

Non intelligitur quæstio de persona increata.

Operosum autem nimis esset, omnes referre sententias circa propositam difficultatem, breuiter tamen ad duo capita imprimis referri possunt. Primum est eorum qui docent suppositum nihil addere supra naturam singularem, distinctam ex natura rei, sed solâ ratione. Huius sententię sunt noster Aureolus lib. 3. Sententiarum dist. 1. q. 3. art. 4. & alibi. Durand. in 1. dist. 34. q. 1. n. 15. Alterum est eorum qui docent suppositum vel personam addere supra naturam singularem aliquid reale. Ita sentiunt omnes discipuli D. Thom. & Doctoris Subtilis. Controuertitur autem quid sit illud reale; an

Variæ sententiæ referuntur.

nimirum sit aliquid positiuum, vel negatiuum? Docetur communiter esse aliquid positiuum. Ita docent Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 34. sect. 2. & Gabriel Vasquez 3. part. tom. 1. disp. 31. & multi alij, qui referuntur apud ipsos, qui adhuc non conueniunt in assignando illo positiuo. Quidam enim eorum dicunt esse existentiam, & characteristicas proprietates accidentarias: ita Herueus & Iauellus. Alij esse existentiam ipsam: Ita Capreolus. Alij esse entitatem quandam mediam inter naturam & existentiam: Ita Cajetanus. Alij denique esse modum per se additum existentiæ: Ita Suarez & Vasquez. Alij verò docent illud reale esse tantùm aliquid negatiuum. Ita expresse noster Guillelmus Ocham in 3. qu. 1. quem sequuntur Gabriel, de Bassolis & Marsilius ibidem, & Franciscus de Maironis etiam in 3. qu. 11. Quod spectat ad sententiam Doctoris Subtilis, nō conueniunt eius discipuli in explicatione eius. Quidam enim sustinent illum fuisse problematicum, & docuisse probabiliter illud reale quod addit suppositum supra naturam, esse vel positiuum, vel negatiuum. Ita eius interpres Lychetus in 3. d. 1. q. 1. Rada in 3. controuers. 1. art. 1. Franciscus de Pytigianis in 3. dist. 1. q. 1. articulis 10. 11. & 12. Et eorum alij inclinant in illam partem problematis, quâ dicitur esse aliquid positiuum, cui etiam docent magis adhæsisse Doctorem Subtilem. Ita Lychetus & Rada. De Pytigianis autem vtramque partem problematis amplectitur & sustinet; tamen probabiliorem existimat illam, quâ dicitur illud esse tantùm aliquid negatiuum. Faber Fauentinus omnium optimè & verissimè assecutus est mentem Doctoris Subtilis, qui in 3. dist. 1. q. 1. disp. 2. sustinet ipsum non esse problematicum hac in re, sed absolutè tenere suppositum nihil aliud addere supra naturam singularem, quàm duplicem negationem. Et certè hæc est aperta mens ipsius, qui quamuis referat vtramque opinionem, & etiam rationes pro vtraque subijciat: Nihilominuùs confutat illam opinionem, quâ ponitur suppositum dicere quid positiuum, & rationes quas adduxerat in confirmationem eius, dissoluit; alteram autem opinionem, quâ dicitur esse quid negatiuum, non impugnat, nec rationes pro ea soluit, nisi quatenus probant illud negatiuum consistere duntaxat in negatione dependentiæ actualis ad aliud suppositum: non enim in vnica negatione, sed in duplici consistere negatiuum illud sustinet: & hanc quidem sententiam hoc modo explicatam non solùm disertè tradit in 3. distinct. 1. qu. 1. sed etiam in quodlibetis q. 19. art. 3.

Diuiduntur Scotistę in explicatione doctrinæ Doctoris Subtilis.

Sententia Doctoris Subtilis est suppositū consistere formaliter in duplici negatione.

Prænotandum autem 1. ex eodem Doctore in 1. dist. 2. qu. 4. & dist. 23. qu. vnicâ, in hoc distingui suppositum, vel personam à natura, quòd natura sit communicabilis duobus modis, nimirum vt quod, & vt quo; vt quod, quia quodlibet communicantium est ipsa natura communicata; vt quo verò, quia suppositum cui communicatur,

Natura duobus modis communicabilis: suppositū duobus modis incommunicabile.

denominatur ab ipsa, tanquam à forma, non quidem à forma inhærente, vel à forma partis; sed à forma quiddificáte, & à forma totius. Sortes enim v. g. denominatur homo à natura humana sibi communicata: Suppositum autem sit incommunicabile duplici incommunicabilitate opposita isti duplici communicabilitati, scilicet vt quod, & vt quo; vt quod, quia non est communicabile multis inferioribus, quorum quodlibet sit ipsum: non enim est aliqua natura communis; vt quo, quia non est communicabile alteri, vel tanquam subiecto, vel tanquam supposito, quod possit ab ipso denominari. Habemus iam itaque duplicem incommunicabilitatem, vel duplicem negationem communicabilitatis in supposito, scilicet vt quod, & vt quo. Vlteriùs tamen sicut duplex assignari potest communicabilitas vt quo, nimirum actualis, & aptitudinalis, scilicet in iis, vel quæ sunt actu communicata, vt sunt albedo, & anima rationalis, illa existens in subiecto, hæc in corpore actualiter; vel quæ possunt communicari, vt sunt eadem albedo, & anima rationalis, illa existens extra subiectum, hæc extra corpus; ita duplex est incommunicabilitas vt quo, seu duplex negatio communicabilitatis vt quo, in iis nimirum quæ nec actu, nec aptitudine communicari possunt, cuius conditionis est suppositum vel persona, ad cuius rationem non sufficit negatio communicabilitatis actualis vt quo, quia etiam anima rationalis extra corpus existens, caret communicatione actuali; sed requiritur negatio communicabilitatis aptitudinalis, seu incommunicabilitas aptitudinalis, per quam completur eius ratio, & beneficio cuius fit, vt anima rationalis non sit suppositum.

Communicabile & depédens idem. Item incõmunicabile & independens.

Prænotandum 2. iuxta mentem eiusdem Doctoris, idem esse aliquid esse communicabile, & illud esse dependens in hoc proposito; idem etiam esse aliquid esse independens, & incommunicabile; quocircà sicuti duplicem assignauimus negationem communicabilitatis vt quo; ita duplicem assignare possumus negationem dependentiæ, scilicet tùm actualis, tùm aptitudinalis ad aliud suppositum, per quamquidé duplicem negationem constituitur completè ratio suppositi creati. Dico, creati; quia suppositum increatum non tantùm non dependet, nec tantùm negat aptitudinem ad dependendum; sed etiam dicit repugnantiam ad dependendum ab alieno supposito. Et eâ ratione docet Doctor Subtilis in 3. dist. 1. quęst. 1. negationem constituentem personam increatam, non esse vniuocam cum negatione constituente personam creatam, quia negatio constituens personam increatam, est triplex, nimirum negatio cõmunicabilitatis, & depédentiæ actualis, & aptitudinalis, & potentialis: Negatio autem cõstituens personam creatá est tantùm duplex, scilicet communicabilitatis & dependentiæ actualis, & aptitudinalis; quò fit vt persona increata sit independens actu, & careat aptitudine, &

Quó differát suppositum creatũ & suppositũ increatum.

habeat repugnantiam ad dependendum; perſona autem creata ſit quidem independens actu, & careat aptitudine, non tamen habeat repugnantiam ad dependendum; quia propter potentiam obedientialem quâ ſubijtur dominio Authoris naturæ, dependere poteſt ad alienum ſuppoſitum.

Occurritur duabus difficultatibus.

Sed ex his, duæ emergunt difficultates. Prior, ex eo quòd dicitur ſuppoſitum creatum non habere repugnantiam ad dependendum. Nam ſi hoc verum eſt, natura iam perſonata poterit ſaltem virtute diuinâ iterum aſſumi & dependere ab alieno ſuppoſito, quod repugnare docent Theologi. Altera, ex eo quòd dicitur ſuppoſitum creatum non habere aptitudinem ad dependendum ab alieno ſuppoſito. Nam ſi hoc verum ſit, quandocumq; dependebit ab alieno ſuppoſito, violenter dependebit.

Quomodo ſuppoſitum creatũ non habeat repugnantiam vt aſſumatur.

Ad primam difficultatem reſpondetur non hanc eſſe mentem Doctoris Subtilis, vt velit ſuppoſitum creatum formaliter loquendo, non habere repugnantiam ad dependendum: Nam implicaret manifeſtam contradictionem quòd per aliquam potentiam aliqualiter dependeret, cùm naturâ ſuâ ſit independens & incommunicabile; ſed hunc eſſe ſenſum, vt natura creata ſuppoſitata non habeat repugnantiam ad dependendum, non quidem in ſenſu compoſito & reduplicatiuè quâ ſuppoſitata; ſed in ſenſu diuiſo, & diſiunctiuè, quia cùm ex mente eius, & ex rei veritate, vt ſtatim probabimus, ſuppoſitum creatum nihil addat ſupra naturam ſingularem, niſi duplicem negationem communicabilitatis, & dependentiæ: virtute diuinâ tolli poteſt à natura, illa duplex negatio, efficiendo ſcilicet vt dependeat ab alieno ſuppoſito; & eo ipſo quòd dependebit, & non erit ampliùs ſolitaria hæc natura, iam non erit ampliùs ſuppoſitum. Et quidem iuxta hanc doctrinam, quælibet perſona diuina poteſt etiã nunc aſſumere in vnitatem ſuppoſiti, quamcumque naturam ſuppoſitatam vel perſonatam, non in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diuiſo, vt dictum eſt. Quare etiam imaginarium reputamus quod communiter dicitur, ſuppoſitum vel perſonam eſſe modum quendam poſitiuum, qui fluit ab ipſa natura ſingulari & exiſtente, quâ veluti vltimatè completur: qui modus ſi non præueniatur ab alio ſuppoſito, poſtquam ſemel fluxit, ampliùs deſtrui non poteſt, nec conſequenter natura ſemel perſonata & ſuppoſitata iterum perſonari, vel ſuppoſitari; hoc, inquam, imaginarium ducimus, vt ſtatim oſtendemus. Volumus enim ſolùm naturam ſubſtantialem ſingularem & actualiter exiſtentem nihil planè habere poſitiuum, per quod dicatur ſuppoſitum, niſi rationes poſitiuas quas habet vt ſubſtantia, vt exiſtens, & vt ſingularis, quibus ſi accedat duplex prędicta negatio; ex hoc conſtituetur ſufficienter in ratione ſuppoſiti.

Et hinc patet ad ſecundam difficultatem; nam imprimis ſuppoſitum formaliter vt ſic, numquam dependet, nec naturaliter, nec

nec violenter ab alieno supposito, sed solùm natura quæ siue fuerit personata, siue non, saltem in sensu diuiso non habet repugnantiam vt dependeat ab alieno supposito, licet ad hoc non habeat aptitudinem. Negatio autem aptitudinis non inducit violentiam, præsertim respectu dominij authoris naturæ, sub quo nulla res est violenter, maximè cùm nobilius & perfectius quoddam esse sortitur.

Confutatur ille modus quo docetur communiter constitui suppositũ.

Prænotandum 3. non posse rectè concipi quis & quid sit ille modus positiuus, per quem docetur communiter suppositum constitui in ratione suppositi. Nam quod dicitur esse modum per se, vt sentit apertè Vasquez, non videtur rectè dictum; quia antequam natura substantialis singularis intelligatur persona, vel suppositum; intelligitur habere istum modum per se existendi, quippè qui pertinet ad substantiam quâ substantia est, non quâ suppositata vel personata. Nec est quòd dicatur substantiam quâ substantia est, habere modum essendi per se oppositum modo essendi in alio, tanquam in subiecto, non autem oppositum modo essendi in alio, tanquam in supposito, & ideò per istum secundum modum existendi per se, oppositum modo existendi in alio tanquam in supposito, constitui suppositum in ratione suppositi. Non est inquam quòd hoc dicatur, quia fingere illum duplicem modum imprimis, superuacaneum est & voluntarium. Adde quòd per modum existendi per se, pertinentem ad substantiam, vt sic, constituitur substantia absolutè Ens in se, & per se, & non tantùm secundùm quid; quod tamen non esset, si modus ille opponeretur tantùm alicui modo existendi in alio, & non omni. Et certè in opposita sententia, non plus substantia dici deberet Ens per se, quàm accidens; quia sicut substantia esset tantùm Ens per se, quia non est nata esse in alio tanquam in subiecto; ita accidens erit Ens per se, quia non est natum esse in alio, tanquam in supposito, cùm iuxta mentem illorum, non possit accidentis dependentia terminari ab vllo supposito, etiam increato. Itaque natura substantialis, singularis, existens, est absolutè Ens in se & per se; ita quòd ad hoc vt sit independens ab alio tanquam à supposito, nullus alius modus positiuus perseitatis illi accidat, præterquam ille idem, quo positiuè constituitur independens ab alio, tanquam à subiecto; ideóque vt completè & formaliter natura illa intelligatur esse suppositum vel persona, nihil aliud concipi debet in illa, quàm negatio cõmunicabilitatis & dependentiæ ab alio, tanquam à supposito. Nec certè aliud fingi potest. Confirmatur autem ex definitione personæ, quam tradit Ricardus, quâ dicitur esse intellectualis naturæ incõmunicabilis existentia. His positis, sit hæc

Vnica Conclusio.

Suppositum addit tantùm supra naturam singularem, du-

SVppositum vel persona addit supra naturã singularẽ, aliquid reale, illud tamẽ non est quid positiuum, sed negatiuum dumtaxat. Prior pars huius conclusionis est Doctoris Subtilis, & omnium discipulorum eius. Et suadetur

plicem negationem. ex eo, quia duplex illa negatio. sit in natura ante omnem operationem intellectus, proindeque ex natura rei, atque consequenter aliquid reale; quo modo priuatio dicitur esse principium Physicum reale, quia est in materia, secluso quocumque opere intellectus, quamquam nihil sit positiuum in ea. Secunda pars manet etiam probata sufficienter ex prętactis fundamentis. Ampliùs tamen sic probatur à Doctore Subtili. Si ratio suppositi vel personæ sit entitas aliqua realis positiua; sequitur non omnem entitatem realem positiuam humanitatis Christi, v. g. fuisse assumptam à Verbo diuino; imò nec esse assumptibilem, quia isti vltimæ entitati, quam addit persona vltra singularitatem, repugnat contradictoriè cõmunicari: persona enim est incommunicabilis existentia: Sed hoc videtur inconueniens, tùm quia secundùm D. Damasc. lib. 3. cap. 6. quod est inassũptibile, est increabile, tùm quia omnis entitas positiua creaturæ æquè est in potentia obedientiali respectu personæ diuinæ: Ergo suppositum vel persona non dicit supra naturam singularem, entitatem aliquam realem positiuam.

Respondent Aduersarij, pręsertim Caietanus 3. part. qu. 4. art. 2. & Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 34. sect. 2. non esse inconueniens, admittere entitatem aliquam positiuam, non quidem naturæ, sed personę & suppositi, esse inassumptibilem à Verbo. Sed hęc solutio non satisfacit, quia cùm omnis entitas realis positiua sit in perfecta potentia obedientiali respectu Dei; quidni poterit assumi? Imò ex hoc quòd dicitur non posse assumi, sequitur illam non esse entitatem positiuam. Neque sufficit si dicant illam entitatem non posse assumi, quia est inassumptibilis, & quia repugnat illam assumi: Hoc enim indicat manifestè defectum responsionis.

Prętereà, si suppositum vel persona esset aliqua entitas realis positiua, sequeretur quòd natura intellectualis posset fieri hæc, & actu existẽs, & nullo modo personata: prius enim naturaliter posset fieri, & non sub ista realitate quâ personatur, quia ex quo ista realitas non ponitur realiter nec formaliter eadem naturæ; & natura vt natura, est naturaliter prior seipsâ, vt est sub ista realitate, posset fieri non sub ista realitate; & in secundo instanti naturæ quo assumitur à Verbo, non esset necesse Verbum tunc eam assumere. Posset ergo tunc illam non assumere, & ita relinqueretur sibi; & tunc non esset personata aliquâ personalitate, creatâ nec increatâ. Hæc ratio mihi videtur efficacissima; quippe ad quam nulla potest afferri solutio quæ facilè dissolui non possit. Si enim dicatur non posse fieri quin fluat iste modus positiuus dato quòd non pręueniatur ab alieno supposito. Contrà: quâ ratione Deus impediuit fluxum eius in Incarnatione Verbi; eadem potuisset impedire, etiam si Verbum incarnatum non fuisset: Nam impedimentum talis fluxus non habet necessariam & intrinsecam inclusionem alterius suppositi, præsertim diuini. Deni-

que, impedimentum talis fluxus est prius naturaliter quàm vnio alterius suppositi cum natura à qua fingitur fluere talis modus.

Sunt & aliæ quædam rationes apud Doctorem Subtilem, sed illas omnes soluunt aduersarij vnico filo, dicendo entitatem illam positiuam esse entitatem personalem; Verbum autem diuinum assumpsisse duntaxat id quod est de intrinseca ratione naturæ, & non personæ: Et hanc quidem responsionem sæpè repetit Caietanus loco citato, aduersus quem afferri posset instãtia de ratione indiuiduationis humanitatis Christi Domini, quam Verbum assumpsit, quia naturam humanam hanc numero, singularem & indiuiduam assumpsit, quæ tamen ratio indiuiduationis non est ratio naturæ; ex quo patet esse falsum quòd Verbum diuinum assumpserit id solùm quod est de intrinseca ratione, & de per se complemento naturæ.

Itaque iuxta prædicta, suppositum vel persona creata supra naturam substantialem singularem, nihil addit nisi duplicem negationem superiùs insinuatam. Et hāc quidem sententiam eò probabiliorem existimo, quò minores continet difficultates in Philosophia, & quò faciliùs solui possunt illæ quæ occurrunt in Theologia circa mysterium Incarnationis. Magis tamen adhuc explicabitur soluendo rationes in oppositum.

Obiectio 1. Obijcitur itaque 1. authoritas Conciliorum & Patrum, quâ dicitur Verbum diuinum consumpsisse personalitatem creatam, & suppleuisse munus eius; quod vix potest intelligi, si ponatur personalitas creata entitas solùm negatiua. Respondetur hoc rectè posse intelligi; quia Verbum nihil aliud præstitit in humanitate, quàm reddere illam incommunicabilem vt quo, & vt quod, & independentem ad aliud suppositum, quæ quidem sunt munia quæ propria personalitas exercuisset, si sibi relicta fuisset. Solutio. Quomodo sit intelligendũ.

Dices Verbum diuinum non ista solùm præstitisse in humanitate assumptâ; sed prætereà sustentasse humanitatem illam, & dependentiam illius terminasse; ideóque personam creatam debere quoque sustentare naturam cuius est persona vel personalitas. Respondeo quoad hoc, Verbum diuinum non suppleuisse munus propriæ personalitatis; quia sustentare naturam, aut terminare dependentiam eius, non est munus personalitatis creatæ: Nec rectè dici debet quòd natura creata sustentetur vel subsistat in proprio supposito, vt optimè notauit noster Guillelmus Ocham in 3. qu. 1. Sed sufficit si dicatur naturam creatam subsistere propriâ subsistentiâ seu hypostasi: sola enim natura humana assumpta à Verbo diuino, inquit, dici debet subsistere in supposito, & dependere à supposito, & terminari à supposito. Itaque duo præstitit Verbum diuinum circa humanitatẽ assumptam: Primum, duplicem negationem; & quo ad hoc consumpsit & suppleuit personalitatem creatam; Secundum, terminationem dependentiæ, & sustentificationẽ; & quo ad hoc non consumpsit Verbum diuinum consumpsit se personam creatam. Non rectè dicitur natura subsistens in proprio supposito.

personalitaté creatam; quia natura substátialis, singularis, existens sibi relicta, nec dependet, nec nata est dependere à proprio supposito; sed eo ipso quòd nec dependet, nec habet aptitudinem ad dependendum ab alieno, dicitur suppositum vel persona.

Obiectio 2.

Obijcitur 2. contra Scotum ad hominem. Scotus vult suppositum creatum posse saltem formaliter, si non effectiuè, sustentare alienam naturam. Ergo suppositum creatum formaliter dicere debet entitatem aliquam realem positiuam. Respondeo negando consequentiam; quia Scotus non intellexit personalitatem per se formaliter sumptam, posse sustentare aliam naturã, sed totam personam vel totum suppositum creatum, quod ratione entitatis positiuæ, scilicet naturę substantialis quam connotat, sustentare potest alienam naturam, idque imperio Dei, cui omnia subiacent. Quidni enim poterit efficere Deus, vt duæ naturæ substantiales completæ singulares existentes, sic se habeant, vt vna sit in altera tanquam in proprio sustentante, & non per se stet, nec solitariè existat? Quod si faciat, natura sustentans non erit tunc sustentans per duplicem negationem quam habet præcisè; illa tamen cum hac duplici negatione erit sustentans: & in hoc nulla videtur difficultas.

Solutio Quomodo suppositum creatum terminare possit naturã creatã.

Obiectio 3.

Obijcitur 3. Etiam ad hominem. Omnis negatio, secundùm Scotum, fundatur in aliquo positiuo. Ergo duplex illa negatio fundari debet in aliqua entitate positiua, ad quam solùm sequi debeat eadem duplex negatio.

Respondet idem Scotus negationem actualem & aptitudinalem, seu negationem alicuius actus, vel aptitudinis non fundari necessariò in aliquo positiuo; benè tamen negationem dicentem repugnantiam aliquam, qualis est ea per quam constituitur suppositum increatum, & etiam ea per quam constituitur indiuiduum; quia natura increata personata non tantùm non dependet, nec tantùm caret aptitudine ad dependendum, sed insuper habet repugnantiam ad dependendum. Similiter indiuidum habet repugnantiam ad communicari vt quod; huius autem vtriusque repugnantiæ debet assignari ratio aliqua positiua, non autem nostræ duplicis negationis; aliàs quarumcumque negationum deberent etiam assignari rationes positiuæ.

Solutio Negatio inducens repugnantiã solùm fundatur in aliquo positiuo; sed huius conditionis non est negatio constitutiua suppositi creati.

Et ex hoc quidem dissoluitur facillimè impugnatio Gabrielis Vasquez loco citato, cap. 2. n. 11. quâ ex eo sibi videtur impugnasse sententiam Scoti, quia quòd natura habeat negationem communicationis secundùm aptitudinem, inquit, ex modo positiuo oriri debet, quo ex se ita possit esse, vt repugnet alieno supposito communicari, quatenus cum tali modo positiuo est. Nam si negatio communicationis aptitudinalis, inquit, non oriretur ex modo aliquo contrario, sequeretur naturam creatam nunquam esse in proprio supposito; siquidem nunquam haberet negationem communicationis secundùm aptitudinem; Nam quandò natura est per se, licet actu non communicetur alieno supposito,

Affertur & impugnatur impugnatio Vasquez.

potest tamen eadem numero natura, secluso modo peculiari, communicari: Ergo secundùm se, secluso modo alio positiuo, nunquam habet negationem communicationis secundùm aptitudinem, ac proinde nunquam est in proprio supposito, etiam quando est per se, quod est absurdum. Hæc inquam, impugnatio facilè dissoluitur. Quia ille confundit negationem aptitudinis, cum negatione includente repugnantiam. Præterea, falsum est quòd natura non dependens actu ab alieno supposito, non habeat negationem dependentiæ aptitudinalis ab ipso; tametsi enim dependere possit ab eo, & non habeat repugnantiam ad hoc; tamen non habet etiam aptitudinem. Vlteriùs, falsum est illius negationis aptitudinis ad dependendum assignari debere pro causa, modum aliquem peculiarem positiuum, sufficit enim ad hoc, quòd illa natura sit substantialis singularis & existens; nam eo ipso, tanquam ratione positiuâ, caret aptitudine ad dependendum ab alieno supposito: & illa carentia aptitudinis naturalis ad dependere vel communicari, cum negatione actualis dependentiæ & communicationis, formaliter constituit rationem suppositi.

Obiectio 4. Objicitur 4. si suppositum dicat tantùm duplicem negationem: Hæc propositio: Suppositum non potest assumi; efficiet sensum ridiculum; quia significabit naturam aliquam manentem independentem & incommunicatam in sensu composito, non posse dependere & communicari; quod nihil erit dictu. Sicuti enim ex eo v. g. quòd aqua frigida vt frigida, in sensu composito, non possit calefieri, non rectè dicitur aquam frigidam non posse calefieri, quia depulsâ frigiditate potest recipere calorem: Ita ex eo quòd natura aliqua non sit dependens, non sequitur quòd non possit dependere; quia ablatâ independentiâ, poterit dependere. Ergo quemadmodum absolutè dicitur aquã frigidam posse calefieri: ita possumus dicere suppositum posse assumi; quia suppositum nihil aliud dicit quàm duplicem negationem in natura, vel quàm naturam habentem duplicem negationem allatam à Scoto. Negant autem absolutè patres & Concilia, suppositum posse assumi. Ergo signum est esse in eo aliquid aliud quàm duplicem negationem, ratione cuius hæc propositio non faciat huiusmodi sensum ridiculum.

Solutio Vasquez non est sufficiens. Hanc impugnationem insinuat Suarez loco citato; sed eam impugnat Vasquez etiam loco nouissimè citato. Quia, inquit, non est par ratio aquæ respectu frigiditatis, & aëris respectu tenebrarum; ac independentiæ respectu suppositi. Nam frigiditas non est de essentia aquæ, nec tenebræ de essentia aëris; quare depulsis tenebris potest aër illuminari; & expulsâ frigiditate, aqua calefieri. At independẽtia, seu duplex negatio depẽdentiæ est de essentia suppositi, ex Scoto; Ideò nullâ ratione fieri potest vt illud dicatur posse assumi. Sed hæc impugnatio leuis est. Quia diceret Suarez argumentum suum

procedere de natura suppositata vel personata: per personam enim intelligunt Patres naturam vltimatè completam & suppositatam, non autem personalitatem ipsam: Ideóque quantumcumque personalitas ipsa assumi non possit; tamen natura personata saltem assumi poterit, non quidem in sensu composito, sed in sensu diuiso, sicut eodem sensu potest aër tenebrosus illuminari, & aqua frigida calefieri.

Vera Solutio Dicendum itaque existimo nec Patres nec Concilia cogitasse solùm an suppositum diceret entitatem positiuam, vel duplicem negationem: Has enim Metaphysicas concertationes non intenderunt dirimere. Sed voluerunt solùm suppositum non posse assumi (si tamen hoc vsquam dixerunt) quia repugnat naturam aliquam in se ac per se existentē dependere ab alio: Non quòd suppositum formaliter sit natura in se ac per se existens; sed quia supponit hoc necessariò. Nec enim natura aliqua substantialis est independens actu & aptitudine ab alieno supposito; nisi quia priùs est in se & per se existens: Sicut nec est in alio & per aliud existens, nisi priùs sit dependens & communicata. Et sic non faciet sensum ridiculum allata propositio: quia significabit id quod maximè Patres intendebant, nimirum Verbum diuinum sustentare humanitatem assumptam; cùm non assumpserit illam in se & per se existentem; nec hoc modo existentem assumere potuerit. Quædam alia argumenta proponit Suarez: sed ea satis feliciter soluit Faber Fauentinus loco citato.

QVÆSTIO V.

Quid sit accidens; & an inhærentia sit de essentia eius?



MITTO varias definitiones Accidentis, quas refert Porphyrius in suis vocibus, capite de accidente, & quas referunt & explicant Philosophi ibidem; quippe quarum aliæ ad Logicum, aliæ ad Physicum pertinent; & suscipio tantùm explicandam illam quâ dicitur Ens in alio, seu Ens inhærens, vt potè quæ est propria Metaphysico instituto. Doctor Subtilis autem hanc rem fusissimè pertractat in 4. dist. 12. q. 1. ferè per totam, & 7. Metaphysic. q. 1. & ibidem Antonius Andreas, quorum tandem mens est, cum quibusdam alijs inferiùs citandis, inhærentiam non esse de essentia Accidentis; sed omnes ferè rationes Doctoris Subtilis in 4. procedunt de inhærentia actuali contra Philosophos; non autem de aptitudinali, de qua potissimùm est difficultas; in Metaphysica verò expressiùs attingit inhærentiam aptitudinalem, quam sicut & actualem negat esse de essentia accidentis.

Prænotandum itaque 1. pro intelligentia huius quæstionis, ex

Accidētis nomen duobus modis sumitur pro materiali & pro formali. eodem Doctore ibidem, accidentis nomen sumi duobus modis, sicut & quodlibet nomen concretum, nimirum primò pro per se significato nominis, quod est conceptus quem accidens naturaliter importat, nimitum ipsa accidentalitas, siue accidentia seu inhærentia; nam sicut ab inhærente habetur inhærentia, quæ est per se significatum inhærentis; ita ab accidente habetur accidentalitas seu accidentia, quæ est per se significatum accidentis. Secundò sumitur idem nomen pro re denominata, seu pro materiali, nimirum pro illa forma, putà colore vel figura, quæ denominatur accidens seu inhærens; & illud quidem denominatum seu materiale est duplex, nimirum vel absolutum, vt quantitas, qualitas; aut respectiuum, vt paternitas vel similitudo.

Duplex accidēs promateriali absolutum & respectiuum

Inhærentia duplex, actualis & aptitudinalis. Prænotandum 2. inhærentiam esse duplicem, scilicet actualem & aptitudinalem: actualis est ipsa vnio accidentis existentis in ipso subiecto existēte, vt quidam actus & perfectio cum potentiali perfectibili, vt loquitur Antonius Andreas. Aptitudinalis autem est ipsa naturalis aptitudo quam habet accidens ad hoc vt inhæreat, & actu vniatur subiecto.

Differunt esse idē realiter alicui, & esse de ratione quidditatiua eius. Prænotandum 3. aliud esse, aliquid esse de essentia alicuius, & aliud esse realiter idem ipsi; quia illud est præcisè de essentia quod includitur in conceptu quidditatiuo, & quod ponitur in ratione quidditatiua eius, de cuius quidditate est, & non sicut additamentum aliquod; quemadmodum v. gr. animal est de essentia hominis. Illud autem est idem realiter, vel etiam essentialiter alicui, quod non potest ab ipso separari, licet interim sit extra conceptum eius quidditatiuum, quo modo proprietates se habent respectu subiectorum, quorum sunt proprietates.

Prænotandum 4. rem aliquam posse duobus modis considerari, nimirum præcisè secundùm rationem suam quidditatiuam; & secundò per respectum ad intellectum nostrum, & ad cognitionem nostram. Doctor Subtilis loco citato in 4. docet rem aliquam etiam explicatam per omnia prædicata quidditatiua, quæ ingrediuntur rationem eius quidditatiuam, non esse adhuc plenè definitam; sed perfectè compleri definitionem eius, quando explicatur quantùm sufficit ad quietandum intellectum nostrum; ita vt intellectus noster nihil ampliùs perquirat. His positis, sit Res duobus modis definitur, quidditatiuè, & definitione quietāte intellectum nostrū.

Prima Conclusio.

Loquendo de per se significato accidentis; contradictio est ipsum intelligere non esse in subiecto, & hoc intelligēdo vniformiter in subiecto & prædicato, si in actu, actu, si aptitudine, aptitudine. Hæc cōclusio sub his verbis est Doctoris Subtilis; & eius sensus est, quòd inhærentia est de conceptu accidentis sumpti pro per se significato, seruatâ proportione, ita vt inhærentia actualis sit de conceptu accidentis inhærentis actu; & inhærentia aptitudinalis de conceptu accidentis inhærentis aptitudine. Ratio autem conclusionis sumi potest Inhærētia est de conceptu accidentis sumpti pro formali.

ex natura concretorum, de quorum conceptu sunt eorum per se significata, sicut v. g. de conceptu albi vt sic, est albedo.

Inhærētia est respectus extrinsecùs adueniēs.

Si autem quæras, inquit Doctor Subtilis, ad quod genus pertinet illud quod per se significat hoc quod est accidens, vel inhærens? Respondeo, inquit, quod ad genus aliquod respectus extrinsecùs aduenientis. Patet enim quòd dicit respectum, quia non potest intelligi ratio eius ad se; non autem dicit respectum intrinsecùs aduenientem, quia non necessariò consequentem positionem extremorum. Prætereà, omnis vnio absolutorum est respectus extrinsecùs adueniens; inhærentia accidentis absoluti cum subiecto, est vnio absolutorum: Ergò est respectus extrinsecùs adueniens. Minor supponitur nunc. Maior probatur; quia neutrum ex ratione sui, nec ambo simul sunt necessaria causa talis vnionis. Potest enim Deus sine contradictione, facere vtrumque separatim, & separatim conseruare sine alio, pro eo quod neutrum illorum respectu alterius potest esse nisi causa extrinseca, & non prima: Respectuum autem intrinsecùs aduenientium non possunt extrema separatim fieri nec conseruari; sed illis positis in esse, necessariò sequitur respectus.

Ad quod genus spectet inhærentia.

Si quæras iterum, inquit, ad quod genus pertinet? Vide, inquit, si fortè ad genus passionis, vt sic passio dicat non tantùm respectum passi ad agens; sed ad formam; vel si fortè ad genus actionis, vt sic actio dicat non tantùm respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud quod informatur; vtroque autem modo, inquit, erit respectus extrinsecùs adueniens.

Et si obijcias quòd illud quod est determinati generis, non potest competere pluribus generibus: Accidens autem vel inhærens, quantùm ad per se rationem nominis, conuenit omnibus nouem generibus: Ergo non est determinati generis, putà vel actionis, vel passionis. Respondet fieri posse, vt quod est determinati generis, denominet plura genera; quemadmodum, inquit, fortassis creatum dicit aliquid per se pertinens ad genus relationis, & tamen fortè denominat quodlibet aliud à Deo: Ergo potest iste respectus pertinere per se ad vnum genus, & tamen denominatiuè dici de relationibus vel respectibus nouem generum.

Inhærētia est quid transcēdēs.

Si autem istud non placet; quando-quidem dubitatiuè & non resolutoriè loquitur Scotus; dici poterit inhærentiam non esse determinati cuiusdam generis, sed esse rationem quandam transcendentalem communem nouem generibus accidentium.

Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 37. sect. 2. num. 8. fortè reprehenderet id quod dicimus inhærentiam esse communem nouem generibus accidentium; quia, inquit, vestis non inhæret vestito, nec locus circunstans inhæret locato, neque actio transiens agenti; proindéque istis prędicamentis non erit communis inhęrentia. Sed hoc nihil est dictu; quia nec vestis est prædicamentum habitus, sed vestitum esse,

esse, seu respectus inter vestem & vestitum; nec locus prædicamentum vbi, sed alicubi esse, seu respectus loci ad locatum, nec actio transiens prædicamentũ actionis, sed respectus agentis ad passum. Isti autem omnes respectus verè & propriè inhærent

Secunda Conclusio.

Inhærentia actualis est eadem realiter accidenti respectiuo.

INhętentia actualis est eadem realiter accidenti respectiuo, etiam sumpto pro materiali & denominato. Est Doctoris Subtilis: Sicque breuiter probatur: Illa relatio est eadem fundamento, sine qua fundamentum esse includit contradictionem. Sed inhærentia actualis accidentis respectiui est huiusmodi: Ergo non potest fundamentum eius esse sine ipsa: Ergo est eadem realiter ipsi fundamento, quod est accidens pro materiali. Maior patet. Minor probatur: quia respectus est realiter habitudo inter duo extrema; & ideò sicut tollere terminum ad quem ipsius respectus, est destruere respectum; ita tollere illud cuius est respectus, est destruere respectum, & rationem respectus; & per consequens contradictio est respectum non inhærere. Quia enim respectus est respectus; ideò requirit necessariò fundamentum, ac per consequens subiectum, extendendo, inquit Scotus, subiectum ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus.

Dices: Ergo respectus fundabitur in respectu, nimirum inhærentia in illo accidente respectiuo. Respondet Scotus nullum esse inconueniens; sicut patet de proportione & proportionabilitate; proportionabilitas enim fundatur in duabus proportionibus, & tamen tùm proportionabilitas, tùm proportiones sunt respectus. Nec proptereà proceditur in infinitum, quia vt docet paulò infrà, tametsi accidens materiale inhæreat per inhærentiam; tamen inhærentia ipsa, quæ etiam inhæret illi accidenti, non inhæret per aliam inhęrentiam, sed seipsâ.

Tertia Conclusio.

Inhærentia actualis non est idem realiter accidẽti absoluto.

INhærentia actualis non est idem realiter accidenti absoluto sũpto pro materiali & denominato; multò minùs erit de essentia eius. Est iterum Doctoris Subtilis: Et sic probatur. Impossibile est quòd idem realiter maneat & corrumpatur, aliàs esset, & non esset simul, quod est oppositum primo principio; sed manente & existente accidente absoluto, non manet inhærentia actualis: Ergo illa non est idem realiter accidenti absoluto. Maior patet. Minor probatur ex accidentibus quæ non inhærent actu in sacramento Eucharistiæ. Vlteriùs tamen sic philosophatur Doct. Subtilis. Accidens absolutũ, vnde absolutum, non requirit terminum nec terminos, quia tunc non esset absolutũ: Si igitur requirit subiectum, oportet quòd hoc sit propter aliam de pendentiam essentialem ad ipsum; sed nulla est dependẽtia simpliciter necessaria alicuius absoluti, ad aliquid quod non est de essentia eius, sed tantùm est ei causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet ad Deum; subie-

ctum autem non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset Ens per accidens, quod est contra Philosophum 5. Metaphysic. cap. de Ente, & cap. de Vno, & 7. Metaphysic. cap. 3. quia addendo alicui illud quod est de essentia eius, non habetur Ens per accidens, præcipuè si illud in se sit Ens per se; accidens autem secũdum se, est Ens per se, secundùm Philosophũ 5. Metaphysic. cap. de Ente; vnde & per se est in genere: Nec subiectum est causa extrinseca simpliciter prima; sed Deus præcisè est huiusmodi causa, qui non est subiectum accidentis. Ergo dependentia accidentis absoluti ad subiectum, non est simpliciter necessaria. Voco simpliciter necessarium, cuius oppositum includit contradictionem. Maior probatur: quia causalitatem cuiuscumque causæ extrinsecæ respectu cuiuscumque causati, perfectè supplere potest prima causa: quia habet in se omnem talem causalitatem eminentiùs quàm causa secunda.

Quare dependentia accidẽtis a subiecto non sit simpliciter necessaria.

Si dicas subiectum esse causam materialem respectu accidentis; Deum autem non posse supplere vicem causæ materialis, sicut nec causæ formalis. Contrà; secundùm Philosophum 3. Metaphysic. Accidentia non habent materiam ex qua, sed in qua; vel si habent ex qua, illud non est subiectum, quia subiectum cum accidente facit Ens per accidens, vt dictum est; per se autem intrinsecum essentiæ accidentis, siue sit materia, siue forma, non constituit Ens per accidens; quia accidens vt est quoddam totum, est ex omnibus pertinentibus ad essentiam eius.

Ex ista ratione patet, inquit Scotus, quare Philosophi dicerent quòd accidens non potest esse sine subiecto; non quidem quia ponerent subiectum de essentia accidentis, imò ex eis constituitur Ens per accidens; nec quia de essentia accidentis absoluti, ponerent inhærentiam, vel respectum quemcumque ad subiectum: quia contradictio est quod in per se ratione absoluti, includatur aliquis respectus; quia tunc esset absolutum, & non absolutum: Sed tantummodò quia ponerent ordinem causarum simpliciter necessariarum; ita quòd prima causa non potest causare causatum causæ secundæ; sine causa secunda; subiectum autem habet aliquam causalitatem respectu accidentis, loquendo de ordine naturali causarum, & ideò sine ista causa in ordine suæ causalitatis posita, negarent accidens esse. Quare impossibilitas separationis accidentium à subiecto, iuxta Philosophos, petenda non est ex ipsa ratione intrinseca quidditatiua & necessaria accidentium, quasi scilicet oppositum implicet contradictionem; sed tantùm ex necessario ordine causarum.

Præclara doctrina Scoti pro intelligẽtia doctrinę Philosophorum.

Objicitur 1. contra conclusionem: Illud quo accidens est formaliter Ens, est sibi realiter idem; sed accidens est formaliter Ens per inhærentiam ad subiectum: Ergo talis inhærentia est sibi idem realiter. Maior patet. Minor probatur; quia ex Philosopho initio 7. libri Metaphysic. dicitur quòd accidentia sunt En-

Obiectio 1.

tia, in eo quòd sunt taliter Entis. Ergo formalis ratio entitatis in accidente, est inhærere realiter Enti, id est substantiæ. Confirmatur, quia 4. Metaphysic. dicitur quòd Ens dicitur de substantia & accidente, sicut sanum de sanitate in animali, & in vrina: sed nihil formaliter dicit sanum de vrina, nisi habitudinem ad animal sanum. Ergo nec Ens dictum de accidente, dicit aliquid nisi habitudinem ab substantiam. Ergo accidens non erit Ens formaliter nisi per inhærentiam ad substantiam. Respondeo negando Minorem; & ad probationem eius dicendo quod peccat ex æquiuocatione huius vocabuli, *in eo quod*; non enim semper, *in eo quod*, est nota causæ formalis illius quod præcedit: Nam vt dicitur 5. Metaphysic. quotiens dicitur causa, totiens dicitur, *in eo quod*, vel, *secundùm quod ipsum*. Ergo, *in eo quod*, potest esse nota cuiuscumque causæ illius quod præcedit. Et ideò cùm substantia sit aliqua causa accidentis, licet non de essentia eius; accidens est Ens in eo quod est taliter Entis, id est talis causæ, & in tali ordine causandi: Nec tamen illa habitudo ad quamcunque causam, est Ens formale vel essentiale in causato; quia tunc nullum causatum esset formaliter absolutum.

Solutio Quomodo accidēs sit Ens quia Entis.

Explicatur particula, *in eo quod*.

Ad confirmationem dicitur quòd illa similitudo claudicat: in exemplis enim oportet considerare similitudinem & dissimilitudinem: *Nam quod in omnibus est simile, idem vtique est, & non exemplum*, vt ait D. Damasc. lib. 3. c. 26. Est ergo simile in proposito; quia sicut est ordo essentialis vrinæ ad animal quatenus est sanum; ita est habitudo essentialis inter subiectum & accidens in habendo entitatem; sed est dissimile, quia ille ordo essentialis ad subiectum, non est de essentia accidentis, sicut ratio signi est essentialiter sanum, vt dicitur de vrina; in vrina enim non est aliqua forma absoluta, à qua dicatur sana; in accidente autem est aliquid absolutum, propter quod formaliter dicatur Ens, licet super illud absolutum, fundetur ordo ad aliud, scilicet ad subiectum.

Exponitur compa ratio quâ dicitur accidēs ita se habere ad substantiam, sicut se habet vrina ad animal sanum.

Obijcitur 2. Si inhærentia non est de essentia accidentis; est aliud, & inhæret ipsi accidenti, quia accidens dicitur inhærens formaliter. Quæritur ergo de illa inhærentia secunda, quâ prima inhærentia inhæret accidenti, an sit eadem ipsi accidenti, vel primæ inhærentiæ; aut sit aliud. Si est eadem, pari ratione standum erat in prima; si est aliud, erit processus in infinitum. Respondeo inhærentiam verè inhærere accidenti tanquam accidens per accidens ipsius; est tamen eadem realiter primæ inhærentiæ, & ita est ibi status; quia illa relatio est eadem fundamento; sine qua fundamentum esse includit contradictionem: Huiusmodi autem est illa inhærentia inhærentiæ; quia contradictio est inhærentiam albedinis v. g. ad superficiem, esse in actu vel aptitudine, & non inhærere actu vel aptitudine; sed propter rationem oppositam, nulla inhærentia formæ absolutæ est illi eadem, quia non est simpliciter repugnantia formam

Obiectio 2.

Solutio. Inhærentia non est in accidente nisi per aliam inhærentiam; sed ibi est status.

absolutam simpliciter esse, & tamen non inesse.

Obiectio 3. Obijcitur 3. Respectus accidentis ad subiectum, non est minùs idem accidenti, quàm respectus creaturæ, ad Deum est idem creaturæ; sed ille est idem creaturæ, vt nunc supponitur. Ergo respectus accidentis ad substantiam, qui est inhærentia, est idem realiter accidenti. Maior patet, quia creatura non definitur per ipsam essentiam diuinam additam in sua definitione, aliàs nihil haberet definitionem in suo genere, cùm Deus sit extra genus; accidens tamen propter suum respectum ad subiectum, necessariò definitur per subiectum. Ergo ille respectus accidentis ad substantiam, non est minùs idem illi, quàm respectus creaturæ ad Deum. Respondeo negando maiorem, & ad probationem dicendo non propterea non definiri creaturam per respectum ad Deum, quia non magis dependeat creatura à Deo, quàm accidens à subiecto: Sed quia potest assignari definitio creaturæ quietans intellectum, secluso respectu dependentiæ ad Deum: non potest autem assignari definitio accidentis quietans intellectum, seclusâ dependentiâ eiusdem accidentis ad subiectum.

Solutio. Quare accidēs definiatur per substātiam, & tamen creatura non definiatur per Deum.

Obiectio 4. Obijcitur 4. Si inhærentia est aliud ab accidente, & est posterior ipso; saltem videtur esse propria passio eius; quia nihil videtur immediatiùs inhærere accidenti, quàm habitudo ad subiectum: sed subiectum non potest esse sine sua propria passione, absque contradictione: Ergo neque accidens absque inhærentia actuali. Respondetur negando maiorem; neque enim inhærentia actualis est propria passio accidentis, sed est accidens per accidens, & respectus etiam extrinsecùs adueniens, saltem cuicumque absoluto: Neque etiam inhærentia actualis immediatè inhæret accidenti: imò si accidens, putà albedo, habet aliquam propriam passionem, illa immediatiùs inhæret illi, quàm huiusmodi inhærentia: Siquidem illa passio necessariò inest albedini, siue coniunctæ, siue separatæ à subiecto; inhærentia autem inest contingenter, & non ex natura albedinis, sed à causa extrinseca: albedo enim non facit seipsam inhærere, sed ipsum agens albificans.

Inhærentia actualis non est propria passio accidentis absoluti, & quare.

Quarta Conclusio.

INhærentia aptitudinalis est idem realiter omni accidenti, tùm respectiuo, tùm absoluto, etiam sumpto pro materiali & denominato. Hæc conclusio apud neminem vertitur in dubium; illamque solùm probare videntur rationes omnes quæ afferuntur ab aduersariis, quibus existimant probare dictam inhærentiam esse de essentia accidentis. Ratio autem conclusionis est in promptu; quia nulla aptitudo naturalis alicuius, distinguitur realiter ab illo ente cuius est aptitudo: Ideóque aptitudo illa cuiuscumque accidentis ad inhærendum, non distinguetur realiter ab accidente. Et certè quantumcumque separetur accidens à subiecto, retinet tamen semper illam na-

Inhærentia aptitudinalis est idem realiter omni accidēti.

turalem propensionem, quam habet vt inhæreat illi.

Quinta Conclusio.

Inhærentia aptitudinalis non est de essentia vllius accidentis sumpti pro materiali & denominato.

Inhærentia aptitudinalis non est de essentia accidentis. Hanc conclusionem expressè tradit Doctor Subtilis 7. Metaphysic. q. 1. & ibidem Antonius Andreas, & Ioan. de Bassolis in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. §. *Ad primum Philosophorum.* Et ita probatur: Si inhærentia aptitudinalis esset de essentia accidentis, maximè quia accidens definiri solet Ens inhærens; & quia naturaliter inclinatur ad inhærendum; & quia concipi non potest absque propensione illa & aptitudine, quam habet ad inhærendum: Sed hæc non sufficiunt vt constituatur inhærentia aptitudinalis de ratione quidditatiua accidentis. Probatur; quia quòd imprimis dicatur Ens inhærens, est quia circumloquimur sæpè rationes rerum per ea quæ sunt nobis notiora; quòd etiam naturaliter propendeat accidens in subiectum, non sufficit vt dicatur illa propensio esse ratio quidditatiua eius, sed indicat illam, ad naturam eius spectare, seu naturam eius consequi; maximè verò cùm res priùs sit in se & ad se, quàm propensa ad aliud: Quòd etiam concipi non possit accidens absque illa aptitudine ad inhærendum, est quia intellectus noster assignatâ quacunque ratione quidditatiuâ eius, nondum quiesceret, sed vlteriùs quæreret cuiusnam subiecti esset forma: quia nulla forma potest habere conceptum perfectum quietatiuum, nisi cointelligatur illud cuius est forma.

Dicunt aduersarij accidens naturâ suâ esse ordinatum ad afficiendam substantiam: Ergo naturâ suâ debere respicere substantiam. Respondeo ita esse, si id sanè intelligatur; fieri enim potest vt accidens naturâ suâ ordinatum sit ad afficiendam substantiam; & tamen illa ordinatio, seu ille ordo ad substantiam, non sit quidditas eius: Imò ex hoc sic confirmo nostrùm propositum. Accidens naturâ suâ ordinatum est ad afficiendam substantiam: Ergo potiùs ad perficiendam & ornãdam ipsam, quàm ad inhærendum ipsi: quippè cùm ipsa inhæsio sit veluti tantùm conditio sine quâ non posset accidens perficere & ornare substantiam. Ergo ratio perfectiua & affectiua substantiæ, esset potiùs dicenda ratio quidditatiua accidentis, quàm inhærentia aptitudinalis, seu ratio inhæsiua, quâ accidens potest inhærere substantiæ.

Prætereà, inhærentia est tantùm existentia talis; non est autem verisimile quòd tota ratio accidentis sita sit in eo quòd taliter existat vel possit existere, quia ratio illa est tantùm ratio modalis, non autem ratio quidditatiua. Ergo de facto habet accidens aliquam rationem quidditatiuam intimiorem & principaliorem, quæ nos latet. Concludamus itaque accidentis cuiuslibet esse à parte rei quandam rationem quidditatiuam priorem ipsa aptitudine ad inhærendum, quicquid reclament alij.

QVÆSTIO VI.

Quomodo Substantia & Accidens se habeant ad inuicem?



PRÆSENTI quæstione sumus examinaturi cõparationes, quę fieri solent inter substantiam & accidens, scilicet distinctionis & prioritatis, ac prioritatis quidem, tùm secundùm perfectionem, tùm secundùm tempus, tùm secundùm rationem, tùm secundùm notitiam, quas omnes prioritatis habitudines latè prosequitur Doctor Subtilis 7. Metaphysic. quæstionibus 2. 3. & 4. & ibidem Antonius Andreas, & Alexander Alensis 7. etiam Metaphysic. text. 5.

Non omnia acciden tia eodem modo distinguũtur à substantia. Prænotandum autem primò non omnia accidentia eodem distinctionis genere distingui à substantia; quædam enim distinguuntur realiter, vt quæ adueniunt & recedunt, & vniuersim omnia separabilia; quædam verò tantùm formaliter, vt propriæ passiones.

Quomodo sumitur tempus in hoc proposito. Prænotandum 2. pro intelligentia prioritatis temporis, quã docet Philosophus initio 7. Metaphysic. Substantiam esse priorem accidente; tempus non ab eo vsurpari, pro tempore quod definitur 4. Physic. Nam vt rectè obseruat Doctor Subtilis dictâ q. 2. prioritas illa temporis est prioritas substantiæ, inquantùm substantia est; tempus verò vt definitur in Physicis, est tantùm mensura motus & quietis, & eorum quæ sunt in motu & quiete; cuiusmodi non est substantia secundùm se, quæ quidem vt sic, abstrahit à motu & à quiete. Non accipitur etiam hìc tempus pro aliqua duratione vel mensura extrinseca successiua alia ab essentia rei; nam cùm illa sit etiam accidens, substantia posset illam præcedere; sicque de illa orietur noua difficultas; & ita tandem procederetur in infinitum. Sumitur itaque tempus hìc pro ratione separabilitatis, ita vt illud sit prius tempore alio, quod potest separatim esse sine ipso, & ipsum aliud non sine eo; & ista quidem prioritas parùm differt à prioritate naturæ: Vnde etiam laborant Aristotelis Interpretes in indaganda ratione, quâ motus fuerit Aristoteles, vt illam prioritatem, temporis prioritatem appellaret; præsertim cùm prioritatem temporis à prioritate naturæ distinxerit in Postprædicamentis, & 5. Metaphysic. capite de priori; quòd illa significet realem prioritatem in existendo: Hęc verò carentiam conuersionis seu conuertibilitatis in subsistendi consequentia. Nihilominùs aperiemus in conclusionibus, quare illa prioritas dici debeat prioritas temporis.

Prænotandum 3. illud esse prius definitione altero, quod definiri potest sine ipso; illud autem esse posterius eadem posterioritate, altero, quod definiri non potest Quid sit aliquid esse prius alio definitione.

sine eo; & id quidem vel definitione quidditatiuâ absolutè sumptâ, vel definitione quietatiuâ intellectus nostri, & respectiuâ ad cognitionem nostram.

Quid sit aliquid esse pri' altero, cognitione, & quot modis hoc dicitur.

Prænotandum 4. pro intelligentia distinctionis, quæ statui potest inter prioritatem definitionis seu rationis, & prioritatem cognitionis in hoc proposito, aliquid posse esse prius altero, cognitione, duobus modis, vt rectè obseruat Doctor Subtilis 7. Metaphysic. qu. 3. scilicet prioritate cognitionis secundùm perfectionem, & prioritate cognitionis secundùm generationem. Priori modo, illud est priùs cognitione, altero, quod est natùm parere cognitionem sui nobiliorem & perfectiorem. Posteriori modo, illud est prius cognitione altero, quod est natam prius cognosci & apprehendi à facultate cognoscente; & id quidem adhuc duobus modis, scilicet vel à facultate expedita & non impedita, & superiore naturis rerum; vel à facultate impedita seu habente obstacula ratione sui status. Priori modo, quæ sunt priora cognitione secundùm perfectionem, sunt etiam priora cognitione secundùm generationem; quia sicut illa sunt maximè cognoscibilia; ita facultas cognoscens perfectissima, qualis est vis intellectiua primæ causæ, est etiam illorum maximè cognoscitiua. Posteriori modo, quæ sunt priora cognitione secũdùm perfectionem, non semper, imò rarò sunt priora cognitione secundùm generationem; propterea quòd facultas impedita, qualis est virtus cognoscitiua hominis pro hoc statu, priùs apprehendit ea quæ sunt propinquiora sensibus, & quæ magis illos excitant, cuius conditionis non sunt ea quæ nata sunt parere sui nobiliorem perfectionem, sed ea quæ nata sunt parere minùs nobilem, cuiusmodi sunt accidentia. Et quidem prioritatem cognitionis secundùm perfectionem, vocat Doctor Subtilis prioritatem considerationis Metaphysicę; prioritatem autem cognitionis secundùm generationem, pręsertim secundo modo, & habitâ ratione coniunctionis facultatis nostrę cognoscitiuæ cum sensibus, vocat prioritatem considerationis animasticæ; quia huiusmodi prioritas non tam ad naturas rerum, quàm ad modum & ordinem nostræ cognitionis pro hoc statu, pertinet. Itaque iuxta hęc, prioritas cognitionis consistet in eo quod aliquid vel perfectiùs, vel priùs natum sit cognosci & apprehendi; prioritas autem definitionis, in eo quòd illud quod sic est priùs, non dependeat ab altero quantùm ad definitionem sui. His positis, sit

Prima Conclusio.

Substantia & accidens distinguuntur semper plusquàm ratione, scilicet vel realiter, vel formaliter; non tamen distinguuntur semper realiter. Prior pars patet; quia secluso omni opere intellectus, Substantia non est acccidens, nec accidens substantia; substantia enim secundùm se est Ens subsistens & independens: Accidens verò est

Quomodo distinguantur substantia & accidēs.

Ens inhęrens & dependens. Altera pars patet similiter; quia non omnia accidentia separantur, nec separari possunt à substantia, nimirum propriæ passiones eius. Si tamen conferamus substantiam cum nouem generibus accidentium; existimo inter illam, & ista omnia, intercedere distinctionem realem, tùm quia dantur quædam substantiæ expertes huiusmodi accidentium; tùm quia nulla est substantia, quæ non possit fortassis virtute diuinâ omnibus illis spoliari.

Secunda Conclusio.

Substãtia est prior accidẽte, perfectione.

SVbstantia est prior accidente, prioritate perfectionis. Patet, quia substantia est independens ab accidente, accidens verò dependens à substantia. Denique, quia substantia est causa accidentis; Accidẽs verò non est causa substantiæ. Prętereà, quia substantia est Ens simpliciter: Accidens verò non est Ens, nisi quia Entis. Tandem quia substantia habet nobilissimum & perfectissimum quod quid est; accidens non sic.

Tertia Conclusio.

Substãtia est prior tempore, accidẽtee.

SVbstantia est prior tempore, accidente. Conclusio est Philosophi, disertis verbis, initio 7. libri Metaphysic. Et ideò authoritas illius sufficit ad veritatem conclusionis. Superest tantùm explicandum quomodo id sit intelligendum. Omissis itaque aliorum omnium opinionibus; sententia Doctoris Subtilis est, eâ ratione substantiam dici priorem tempore, accidente; quia ipsa non dependet ab accidente, & quantùm est ex se, ei non repugnat contradictoriè esse sine quolibet accidente. Sed hæc prioritas est tantùm prioritas naturæ, vt patet; quia quod est prius naturâ, altero, debet esse independens ab eo, & ei non repugnaret posse existere sine eo.

Explicatur quomodo sit id intelligendũ.

Quare alij addunt eâ ratione, substantiam esse priorem tempore, accidente, quia de facto, substantia est prior multis accidentibus suis; quòd si non omnibus, id aliunde prouenit: Nullum autem accidens est prius substantia; imò verò ad sui existentiam, necessariò requirit existentiam substantiæ. Et hæc quidem interpretatio non displicet, quia redit cum nostra, & meliùs prioritatem temporis explicat. Sic ergo vno verbo, substantia dicetur prior tempore, accidente, quia est independens ab illo, quia non illud requirit ad sui existentiam, quia non repugnat ei contradictoriè existere sine illo, quia quantùm est ex se, non indiget ipso, nec habet intrinsecam & necessariam connexionem cum ipso, quia tandem est prior multis accidentibus; accidens verò est dependens à substantia, requirit substantiam ad sui existentiam, habet necessariam & intrinsecam connexionem cum ipsa, & nullum est accidens quod aliquo modo pręcedat substantiam.

Non debemus tamen hìc prętermittere quod Scotus obseruat, nimirum, substantiam non esse priorem tempore, accidente, si spectetur præcisè, vt causa eius; quia

quia vt sic, intra essentiam suam, habet causalitatem necessariam respectu saltem alicuius accidentis, nimirum propriæ passionis suæ.

Confutatur interpretatio Cōmentatoris.

Commentator Auerroës 4. Metaphysic. eâ ratione dicit substantiam esse priorem tempore, accidente; quia, inquit, si accidens aduenit corpori, postquam est corpus, vt accidens separabile, tunc est prius tempore omni tali accidente adueniente, si verò non est accidens aduenjens, sed inseparabile, & semper simul cum eo, tunc substantia composita non pręcedit accidens tempore; aliqua tamen substantia incompleta & incomposita, nimirum materia pręcedit illud idem accidens.

Contra istam sententiam insurgit Doctor Subtilis dictâ qu. 2. ac imprimis ostendit hanc interpretationem non esse ad mentem Philosophi, quia Philosophus de qua substantia affirmat prioritatem temporis respectu accidentis, de eadem affirmat prioritatem cognitionis & definitionis, respectu eiusdem accidentis; sed materia non præcedit cognitione, quia est scibilis per analogiam ad formam, ex primo Physicorum, & quia actus est prior cognitione, quàm potentia, ex 9. Metaphysic. Materia autem est in potentia respectu accidentis. Similiter nec pręcedit definitione; quia substantia composita cadit in definitione accidentis, & non materia: Nam 7. Metaphysic. dicitur quòd accidentia copulata habent definitionem per proprium subiectum. Præterea, Philosophus 4. Metaphysic. probat quòd substantia est primum Ens, & quomodo sit primum Ens, scilicet tempore; sed ea quæ ibi docet intelligi non possunt de materia; probat enim substantiam esse primam, quia prædicatur simpliciter in quid: & quia alia sunt entia, quia sunt taliter entis: Sed neutrum est verum de materia. Primum non; quia 9. Metaphysic. dicitur quòd materia prædicatur denominatiuè de materiato, & non in quid: Secundum etiam non est verum de materia: Nam accidentia non dicuntur entia quia materiæ; quia non sunt in materia, vt in subiecto, saltem accidentia perfecta. Quod ergo dicitur de accidentibus inseparabilibus, quod scilicet materia præcedit ea, non est de intentione Philosophi.

Secundò ostendit Doctor Subtilis hanc positionem Auerrois esse falsam secundùm se: Quia, inquit, si materia præcedit accidens tempore; aut hoc est verum de materia secundùm se; aut vt est sub aliqua forma. Non primo modo, quia vt sic, non est sub tempore, cùm sit ingenerabilis & incorruptibilis, ex 1. Physic. Nec secundo modo, quia vt sic, aut est sub forma accidentali; & sic non est prior tempore, quia vt est sub forma, non est prior forma; aut vt est sub forma substantiali; & tunc habetur propositum, quia substantia composita est prior.

Prætereà; si res ita se habeat, inquit, sequitur quòd sint accidentia quæ non præcedentur ab aliqua substantia, scilicet accidentia propria cor-

porum cœlestium, quod est contra Philosophum. Probatur consequentia; quia in cœlo, vel est materia, vel non; si non, vt dicit Commentator in libro de substantia orbis, tunc talia accidentia non præceduntur, quia materia non præcedit. Nec potest dici quòd præcedantur à substantia composita; quia illa accidentia sunt inseparabilia; si autem sit ibi materia; illa non præcedit tempore substantiam compositam, cùm substantia cœli sit ingenerabilis & æterna secundùm Philosophum, & per consequens non præcedit accidentia.

Substantia non eâ ratione dicitur prior accidente, definitione, quòd substãtia primæ causæ sit prior accidente.

Noster magnus Alexander, & post ipsum eximius eius discipulus D. Thomas & Thomistæ ferè omnes docent substantiam esse priorem tempore, accidente, quia datur aliqua substantia omninò prior accidentibus, nimirum substantia primæ causæ, & fortè Intelligentiarum: sed hanc interpretationem non esse ad mentem Philosophi, ostendit Doctor Subtilis loco citato, & post ipsum Franciscus Suarez tom. 2. Metaphysic. disp. 38. sect. 1. num. 7. quia Philosophus non agit tantùm de substantia aliqua singulari, sed de substantia in se; quia etiam prima causa secundùm Philosophum, non est prior tempore, omni accidente, licet nullum in se admittat accidens, cùm secundùm ipsum, tempus sit illi coæuum.

Quarta Conclusio.

Substãtia est prior accidente, definitione.

SVbstantia est prior accidente, ratione seu definitione. Est expressa Aristotelis loco superiùs citato. Et non eam aliter probat Doctor Subtilis quàm quia substantia definitur absolutè, absque vllo respectu vel habitudine ad accidens; accidens verò definiri non potest nisi per respectum & habitudinem ad substantiam; intellige, definitione quietatiuâ intellectus, non definitione quidditatiuâ rei. Quòd si quæras à Doctore Subtili, quare huiusmodi explicatio accidentis per respectum ad substantiam, dicitur definitio eius? dicet quòd quia definitio datur vt res nobis innotescat; accidens autem non omni ex parte nobis innotescit absque respectu eius ad substantiam; ideoque ratio explicãs huiusmodi respectum, rectè dici debet definitio. Ad hanc conclusionem, plura videri possunt apud eumdem Doctorem, q. 4. & apud Antonium Andream q. 3.

Quinta Conclusio.

Quomodo substãtia sit & non sit prior accidente, cognitione.

SVbstantia est prior cognitione, secundùm perfectionem, accidente, non autem secundùm generationem, saltem respectu cognitionis nostræ. Prior pars conclusionis est Aristotelis loco citato, & eam probat Doctor Subtilis ex eo, quia substantia est perfectius cognoscibile quàm accidens; est autem, inquit, perfectius cognoscibile, quia habet perfectius quod quid est. Secunda pars conclusionis est eiusdem Doctoris in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 22. q. 1. Quam ex eo probat, quia nihil cognoscimus quod prius non fuerit in sensu;

accidentia autem priùs ſunt in ſenſibus, quàm ipſa ſubſtantia. Ergo priùs etiam intelliguntur à nobis quàm ipſa ſubſtantia. Confirmatur iſtud; quia accidentia, putà quantitas, qualitas, motus, & cæt. primùm obuerſantur noſtris ſenſibus, & ſe illis exhibent, imprimẽdo in illis ſuas ſpecies; ſenſus autem exteriores tranſmittunt ſpecies quas ab illis acceperunt ad ſenſus internos; & ſic intellectus agens conuertitur ad illas ſpecies phantaſticas; ex quibus eruit ſpecies intelligibiles eorundem accidentium priùs repræſentatorum ſenſibus; habitâque aliquali notitiâ illorum, non ſtatim quieſcit intellectus, ſed profundiùs rem examinat, deprehenditque ſub eiſdem accidentibus, latere quidpiam aliud quod illa fulciat & ſuſtentat; illudque ſubſtantiam appellat. Et eâ ratione docet adhuc Scotus locis citatis, nos pro hoc ſtatu, non habere conceptum quidditatiuum ſubſtantiæ, quia illam tantùm cognoſcimus à poſteriori, & arguitiuè, ſcilicet miniſterio accidentium.

Pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Facultatis Theologicæ Pariſienſis matris meæ; ſubmitto hæc quæ de Rebus Metaphyſicis, pro animi tenuitate, ſcripſi ad laudem & maiorem gloriam omni potentis Dei.





RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR INDEX ABSOLVTISSIMVS, alphabetico ordine digeſtus.

LITTERA A, PRIMAM COLVMNAM paginæ ſignificat, b, verò ſecundam.

D

I

identitas

L

M

N

O

P

Q

Scientiæ

T

V


FINIS INDICIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR grace & Priuilege du Roy, il est permis à DENIS MOREAV, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer ce present Liure intitulé F. MARTINI MEVRISSE *Royensis, Ordinis Minorum, Doctoris & Professoris Theologi Parisiensis Rerum Metaphysicarum Libri tres, ad mentem Doctoris Subtilis*: Lequel Liure il desireroit mettre en lumiere, & faire imprimer, s'il auoit sur ce nos lettres, Nosseigneurs humblement requerant icelles. A ces causes auons par ces presentes permis & accordé, permettons & accordons audit MOREAV de faire imprimer par tel Imprimeur, que bon luy semblera, tant de fois qu'il luy plaira, le Liure que dessus, & ce pour neuf ans finis & accomplis du iour qu'il aura esté acheué d'imprimer, en vertu des presentes: Faisons tres-expresses inhibitions & defences à tous Imprimeurs & Libraires de Paris, Lyon, Rouën, & autres villes de nostre Royaume, & à toutes autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, de l'imprimer ou faire imprimer en quelque maniere que ce soit, à peine de mil liures d'amende, dont moitié nous appartiendra, & l'autre moitié au Suppliant; & aussi de confiscation de ceux qui se trouueront imprimez sans le consentement dudit MOREAV. Supplions mesme si aucuns Imprimeurs ou Libraires de cestuy nostre Royaume ou Estrangers traffiquans en sont trouuez saisis d'autre impression, que de celle qu'aura fait faire ledit MOREAV: Voulons qu'il soit procedé contre-eux, extraordinairement, & soient condamnez en pareille somme & amende, que s'ils les auoient imprimez ou faict imprimer: A la charge toutesfois qu'iceluy MOREAV mettra deux desdits Liures

en noſtre Bibliotheque publique de ceſte ville de Paris, auparauant que de les expoſer en vente, ſuiuant noſtre Reiglement, à peine d'eſtre deſcheu du preſent Priuilege.

Si vous mandons & à chacun endroit ſoy, enioignons que du contenu en ces preſentes nos lettres de Priuilege & permiſſion, vous faciez & laiſſiez iouyr & vſer pleinement & paiſiblement ledit Suppliant, faiſans ceſſer tous troubles & empeſchemens, au contraire de ce faire: vous donnons pouuoir, auctorité & mandement ſpecial; & de proceder à l'encontre de ceux qui y contreuiendront, par toutes voyes deuës & raiſonnables, & par les peines ſuſdictes, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, pour leſquelles, & ſans prejudice d'icelles i ne voulons eſtre differé: Et pour ce que de ces preſentes ledit MOREAV pourroit auoir affaire en diuers lieux: Nous voulons qu'au vidimus d'icelles faict par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires & Secretaires, foy ſoit adiouſtée comme au preſent Original: & auſſi qu'en mettant au commencement, ou à la fin dudit Liure vn Bref ou Extraict des preſentes, cela ait force & vertu de ſignations, tout ainſi que ſi l'original eſtoit particulierement ſignifié à chacun: Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 10. iour de Mars l'an de grace mil ſix cens vingt-trois. Et de noſtre Regne le treizieſme. Par le Roy en ſon Conſeil, Signé RENOVARD.

530